3 Darab. 11 ft V. Xr.

Nagy István
1830.

Digitized by Google

Digitized by Google

Austr. 2615, Suppl. - 1. Kovachich

Austr. 2615 - 2

<36624992240011

<36624992240011

Bayer. Staatsbibliothek

Div 1533

Digitized by Google

SUPPLEMENTUM
AD
VESTIGIA COMITIORUM
APUD
HUNGAROS
AB
EXORDIO REGNI EORUM IN PANNONIA, USQUE AD HODIERNUM DIEM
CELEBRATORUM

TOMUS I.

AUSPICIIS
EMINENTISSIMI, CELSISSIMI, AC REVERENDISSIMI
DOMINI
JOSEPHI
E COMITIBUS
DE BATTHYÁN
S. R. E. PRESBYTERI CARDINALIS, S. R. I. PRINCIPIS,
ARCHIEPISCOPI STRIGONIENSIS,
PRIMATIS REGNI HUNGARIÆ,
MÆCENATIS MUNIFICENTISSIMI.

EDIDIT
MARTINUS GEORG. KOVACHICH SENQUICIENSIS,
AA. LL. ET PHILOSOPHIÆ DOCTOR, INCLYTI COMITATUS
ZEMPLINIENSIS TABULÆ JUDICIARIÆ ASSESSOR.

BUDÆ,
TYPIS REGIÆ UNIVERSITATIS PESTIENSIS.

1798.

NAGY ISTVÁN
TEMÉNYI

BIBLIOTHECA

Digitized by Google

EMINENTISSIMO, CELSISSIMO, AC REVERENDISSIMO S. R. E. TITULI S. BARTHOLOMÆI In INSULA PRESBYTERO CARDINALI, S. R. I. PRINCIPI, ET DOMINO DOMINO JOSEPHO E COMITIBUS DE BATTHYÁN PERPETUO IN NÉMETH-UJVÁR, E. M. STRIGONIENSIS ARCHI-EPISCOPO, S. SEDIS APOSTOLICÆ LEGATO NATO, I. REGNI HUNGARIÆ PRIMATI, SUMMO, ET SECRETARIO CANCELLARIO, I. ORDINIS S. STEPHANI REGIS APOSTOLICI MAGNÆ CRUCIS EQUITI, ET PRÆLATO, II. COMITATUUM CASTRIFERREI QUIDEM PERPETUO, STRIGONIENSIS VERO SUPREMO, AC ITIDEM PERPETUO COMITI, SS. CÆSAREÆ, ET REGIO-APOSTOLICÆ MAJESTATIS ACTUALI INTIMO STATUS, ET AD EXCELSUM CONSILIUM REGIUM LOCUMTENENTIALE HUNGARICUM CONSILIARIO, NEC NON AD EXCELSAM TABULAM SEPTEM-VIRALEM CO-JUDICI.

MÆCENATI MUNIFICENTISSIMO

MARTINUS GEORGIUS KOVACHICH SENQUICIENSIS PELRPETUAM FEICITATEM P.

Perpetuus Munificentiæ Tuæ debitor, & virtutum Tuarum Cultor, defero iterum novum & officii, & devotionis meæ tributum, ſerius, quam volebam, ſed uberius, quam ſperabam; novum Tui quidem in excolendam, & ornandam Patriam ſtudii fructum, meæ vero nutibus Tuis gratificandi promptitudinis argumentum, ac diligentiæ ſpecimen.

Cum Tibi Primitias fructuum in ampliſſimo iſto, licet adhuc inculto, campo, quem tum primum ingreſſus fueram, tumultuaria ſolum opera collectorum detuliſſem, viſus es, etſi quædam adhuc immatura eſſent, animum, & conatus meos probare, officium autem benevole ſuſcipere, atque hoc ipſum

 erat,

erat, quod mihi calcar addidit, ut & ſtudium in tenderem, & induſtriam augerem, atque id, quo Auſpiciis Eminentiæ Tuæ coepi, perficerem.

Huic Tuæ benevolentiæ addidiſti & beneficentiam, dum ampliſſimam Bibliothecam Tuam liberaliter mihi patere voluiſti, & ſi otio abundarem, ſecretius etaim Tabularium reſerare promiſiſti.

Tuæ facilitati debeo, quod ad indagandas altius legum origines excitatus fuerim, quod inter jura Imperantium, & Parentium æquo, & inoffenſo pede incedere didicerim, & ut ſemper ante oculos haberem, cui ſingula uſui deſerviant, opportune monitus ſim.

Pari facilitate, quod impenſius petebam, indulſiſti, ut ſi ſupplementa iſta his numeris utcunque abſolverem, eadem nomini Eminentiæ Tuæ iterum inſcribere poſſim.

Niſi

Digitized by Google

Niſi munificentiſſima Auſpicia Tua coeptis meis acceſſiſſent, dimidium facile eorum, quæ bona fortuna nactus in hiſce ſupplementis ſcitu non inutilia profero, in tanta ſortis meæ tenuitate, & ad edenda majora opera inſufficientia, reſecandum fuiſſet.

Ita multis nominibus opus hoc Eminentiæ Tuæ conſecrandum erat, cujus potior pars Tuæ ſapientiæ, facilitati, munificentiæ debetur, cum e Tuis dictis, quæ mihi, dum Tui ſalutandi facilem acceſſum præberes, ut multa paucis complecti ſoles, non otioſe attento audire licuit, e Tua Bibliotheca plurimum profecerim. Non poteram ſane partem hanc paullo abſolutiorem Tibi non inſcribere, qui rerum iſtarum peritiſſimus, initium adhuc multis imperfectum, ex debito tamen Tibi dicatum, præſagus, quo evadere poſſit, tanta cum benevolentiæ ſignificatione ſuſcepiſti.


Digitized by Google

3 Darab. [illegible]

Nagy Istváné

1830.

Digitized by Google



~~Austr. 2615, Suppl. - 1~~

Kovachich

Austr. 2615 - 2

<36624992240011

<36624992240011

Bayer. Staatsbibliothek

Div 1533

Digitized by Google

SUPPLEMENTUM
AD
VESTIGIA COMITIORUM
APUD
HUNGAROS
AB
EXORDIO REGNI EORUM IN PANNONIA, USQUE AD HODIERNUM DIEM
CELEBRATORUM
TOMUS I.

AUSPICIIS
EMINENTISSIMI, CELSISSIMI, AC REVERENDISSIMI
DOMINI
JOSEPHI
E COMITIBUS
DE BATTHYÁN
S. R. E. PRESBYTERI CARDINALIS, S. R. I. PRINCIPIS,
ARCHIEPISCOPI STRIGONIENSIS,
PRIMATIS REGNI HUNGARIÆ,
MÆCENATIS MUNIFICENTISSIMI.

EDIDIT
MARTINUS GEORG. KOVACHICH SENQUICIENSIS,
AA. LL. ET PHILOSOPHIÆ DOCTOR, INCLYTI COMITATUS ZEMPLINIENSIS TABULÆ JUDICIARIÆ ASSESSOR.

BUDÆ,
TYPIS REGIÆ UNIVERSITATIS PESTIENSIS.
1798.

NAGY ISTVÁN TEMÉNYE

Digitized by Google

BIBLIOTHECA

Digitized by Google

EMINENTISSIMO, CELSISSIMO, AC REVERENDISSIMO S. R. E. TITULI S. BARTHOLOMÆI In INSULA PRESBYTERO CARDINALI, S. R. I. PRINCIPI, ET DOMINO DOMINO JOSEPHO E COMITIBUS DE BATTHYÁN PERPETUO IN NÉMETH-UJVÁR, E. M. STRIGONIENSIS ARCHI-EPISCOPO, S. SEDIS APOSTOLICÆ LEGATO NATO, I. REGNI HUNGARIÆ PRIMATI, SUMMO, ET SECRETARIO CANCELLARIO, I. ORDINIS S. STEPHANI REGIS APOSTOLICI MAGNÆ CRUCIS EQUITI, ET PRÆLATO, II. COMITATUUM CASTRIFERREI QUIDEM PERPETUO, STRIGONIENSIS VERO SUPREMO, AC ITIDEM PERPETUO COMITI, SS. CÆSAREÆ, ET REGIO-APOSTOLICÆ MAJESTATIS ACTUALI INTIMO STATUS, ET AD EXCELSUM CONSILIUM REGIUM LOCUMTENENTIALE HUNGARICUM CONSILIARIO, NEC NON AD EXCELSAM TABULAM SEPTEM-VIRALEM CO-JUDICI.

MÆCENATI MUNIFICENTISSIMO

MARTINUS GEORGIUS KOVACHICH SENQUICIENSIS PELRPETUAM FEICITATEM P.

Perpetuus Munificentiæ Tuæ debitor, & virtutum Tuarum Cultor, defero iterum novum & officii, & devotionis meæ tributum, ſerius, quam volebam, ſed uberius, quam ſperabam; novum Tui quidem in excolendam, & ornandam Patriam ſtudii fructum, meæ vero nutibus Tuis gratificandi promptitudinis argumentum, ac diligentiæ ſpecimen.

Cum Tibi Primitias fructuum in ampliſſimo iſto, licet adhuc inculto, campo, quem tum primum ingreſſus fueram, tumultuaria ſolum opera collectorum detuliſſem, viſus es, etſi quædam adhuc immatura eſſent, animum, & conatus meos probare, officium autem benevole ſuſcipere, atque hoc ipſum

Digitized by Google

erat, quod mihi calcar addidit, ut & ſtudium intenderem, & induſtriam augerem, atque id, quod Auſpiciis Eminentiæ Tuæ coepi, perficerem.

Huic Tuæ benevolentiæ addidiſti & beneficentiam, dum ampliſſimam Bibliothecam Tuam liberaliter mihi patere voluiſti, & ſi otio abundarem, ſecretius etaim Tabularium reſerare promiſiſti.

Tuæ facilitati debeo, quod ad indagandas altius legum origines excitatus fuerim, quod inter jura Imperantium, & Parentium æquo, & inoffenſo pede incedere didicerim, & ut ſemper ante oculos haberem, cui ſingula uſui deſerviant, opportune monitus ſim.

Pari facilitate, quod impenſius petebam, indulſiſti, ut ſi ſupplementa iſta his numeris utcunque abſolverem, eadem nomini Eminentiæ Tuæ iterum inſcribere poſſim.

Niſi

Digitized by Google

Niſi munificentiſſima Auſpicia Tua coeptis meis acceſſiſſent, dimidium facile eorum, quæ bona fortuna nactus in hiſce ſupplementis ſcitu non inutilia profero, in tanta ſortis meæ tenuitate, & ad edenda majora opera inſufficientia, reſecandum fuiſſet.

Ita multis nominibus opus hoc Eminentiæ Tuæ conſecrandum erat, cujus potior pars Tuæ ſapientiæ, facilitati, munificentiæ debetur, cum e Tuis dictis, quæ mihi, dum Tui ſalutandi facilem acceſſum præberes, ut multa paucis complecti ſoles, non otioſe attento audire licuit, e Tua Bibliotheca plurimum profecerim. Non poteram ſane partem hanc paullo abſolutiorem Tibi non inſcribere, qui rerum iſtarum peritiſſimus, initium adhuc multis imperfectum, ex debito tamen Tibi dicatum, præſagus, quo evadere poſſit, tanta cum benevolentiæ ſignificatione ſuſcepiſti.

Digitized by Google

Et cum probe perſpectum habeatur, quid huic, atque affinibus argumentis diuturniore induſtria, ſi hæc animetur, accedere, quidve inde ornamenti, & emolumenti in Rempublicam dimanare poſſit, nihil equidem hanc in rem antiquius in votis eſſe poteſt, quam Tua, Tuique ſimilium Mæcenatum incolumitas, quo fontes melioris cognitionis reſerari, atque inde reſtaurandæ ſincerioris Jurisprudentiæ, & Hiſtoriæ Hungaricæ Epocha aliquando derivari poſſit; hoc erit ſplendidiſſimum Tuorum in Patriam ſtudiorum præmium, hæc ampliſſima Laborum meorum merces.

Budæ ex Inſtituto Diplomatico Hiſtorico die 9. Julii 1794.

LE-

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO.

Solvo fidem, quam in Præfatione ad Veſtigia Comitiorum p. LXXVII. aliisque locis publice obligavi, dum hæc eorum ſupplementa, quantum ſubſecivi temporis anguſtiæ, & ſortis conditio patiebantur, collecta, in ordinem redacta, connexa, & notis, ac animadverſionibus illuſtrata oculis Lectorum ſiſto. Quo in opere, quid præſtare voluerim, quid me præſtitiſſe exiſtimem, quas in progreſſu rationes ſecutus ſim, quid adhuc reſtare putem, quid deinceps præſtare intendam, quam utilitatem ex his conatibus in publicum dimanaturam eſſe ſperem, in quas difficultates offenderim, quorum beneficiis adjutus fuerim, ſi hic in Limine forte prolixius, quam Præfationis limites admittere videantur, ſincere expoſuero, ſperabo me Lectoris patientia nequaquam abuſum fuiſſe, qui capitibus hiſce penitius perſpectis, Oeconomiam totius operis, quam animo concepi, mente comprehendet, quatenus eam executus ſim, advertet; conditionem ſtatus mei cognoſcet, ex ea de conatibus meis æquius Judicium feret, & defectus, quos advertet, faci-

lius ignoſcet. Erunt fortaſſis poſt me aliqui, apud quos hæc, velut probæ Notæ ſemina in terram bene cultam, & fertilem projecta, olim pullulabunt, in lætam ſegetem increſcent, & uberem Meſſem proferent. Cum iter emenſi ſumus, juvat aliis illud ingreſſuris conſuluiſſe, quo difficultates prævideant, pericula præcaveant, devia declinent, compendia ineant, commoda advertant, ut cum illud feliciter emenſi fuerint, ſentiant ſe Veſtigia Noſtra cum utilitate præſſiſſe.

I. Prima cura fuit, ſi quæ Comitia olim celebrata fuiſſent, quorum in Veſtigiis nulla indicia protuliſſem, ea detegerem, ac fide Diplomatum reipſa celebrata fuiſſe docerem.

Comitiorum, quæ jam in Veſtigiis commemoravi, conabar plura, & luculentiora Veſtigia detegere, & adjuncta hiſtorica eruere.

Seriem Regalium in Veſtigiis adhuc multum interruptam, altius ordiri, & ſequioribus ſeculis complere ſtudui.

Peculiarem attentionem eo converti, ut indicio Diplomatum diſcerem, in quibus Comitiis, quorum Veſtigia detexiſſem, Decreta condita, ſeu Leges latæ fuerint, an illæ etiam approbatæ, an adhuc ignotæ lateant, an, & per quem in lucem protractæ, an uspiam, & ubi in exemplari authentico ſuperſtites ſint? detegerem, & indicarem.

Univerſim omnium eorum detegendorum, colligendorum, ac eruendorum ſtudioſus eram, quæ ad Hiſtoriam Legislationis, Jus Publicum, & Origines Legum illuſtrandas facere videbantur,

tur, & ad notitiam conſtitutionis Reipublicæ pertinent.

Ut non facile gloriari poſſumus, nos aliquid omnibus numeris abſolutum præſtitiſſe: ita perpetuo memores eſſe decet, non ſolum diligentiam noſtram, ſed etiam attentionem permulta fugere, atque ita non defectus duntaxat relinquere, verum etiam errores committere nos poſſe. Hac ego ductus conſcientia, ſupplendis quidem defectibus hæc ſupplementa collegi, ſiquid autem in Veſtigiis obrepſiſſet, quod aliter ſe habere deprehenderem, officii mei eſſe duxi, errores ingenue emendare.

Licet autem & res ipſa dictaverit, & ego mihi eos limites præfixerim, quos pertractandi argumenti amplitudo deſignat, minime tamen ita me ſuperſtitioſum oportere eſſe arbitrabar, ut nonnunquam extra hos limites excurrere nefas eſſe ducerem, præcipue: ſi in aliquid offenderem, quod cum aſſumto Themate affinitatem aliquam haberet, neque vulgo notum eſſet.

Ne autem congeries tot monumentorum male juncta videretur, & Lectori tædium eadem conjungendi relinqueretur, omnia ex ordine collocanda, brevi narratione veſtienda, temporum, objectorum, materiarum nexu mutuo concilianda erant. Et cum in hoc meditationum genere multa obſervanda ſemet ſponte offerant, alia evidenti, aut probabili conſecutione ex præcedentibus fluant, nonnulla ex affinitate quadam vel notionum, vel objectorum in mente enaſcantur, quædam denique

que ſola temporis opportunitate commemoranda ſeſe objiciant, aut quia non facile ab aliis adhuc obſervata eſſent, velut propria ſemet commendent, talia inter animadverſiones, reflexiones, corollaria, & notas non avara manu ſpargenda eſſe exiſtimavi.

Hæc, atque talia præſtare, in animo quidem firmiter propoſitum habui, atque ſtudui etiam ea diligentia, quam vitæ meæ ratio, & ſortis conditio admittebat, ea ſinceritate, qua religioſiſſimus antiquitatum ſcrutator uti debet, qui multa adhuc detecturæ poſteritatis de ſe judicium reveretur; ſed quam fideliter huic propoſito inhæſerim, quam feliciter in præſtituta ſemita progreſſus ſim, quousque excitatæ exſpectationi reſponderim, quamquam ipſe prius, quam hæc mea publicæ luci exponerem, diligenter expendere debuerim, ne tamen vel puſillo animo mihimet ipſi penitus diffidere, vel ex complacentia juſto plus blandiri videar, in ea velut digitum intendam, quæ me præſtitiſſe exiſtimo, ac Lectorum judicio decidendum relinquam, an hoc opere meo numerum duntaxat auxerim, an etiam de iis bene meruerim. Tum demum aliquo laborum, quos non vulgares exantlandos habebam, perfruiturus ſolatio, cum videro, me tempus, & vigilias illis impenſas etiam intelligentium opinione non plane fruſtra quieti ſubtraxiſſe.

II. Jam in Veſtigiis Comitiorum indagandis, ac producendis ita me feliciter verſatum eſſe ſperabam, ut exiſtimarem non plane multa

ta eſſe poſſe, quæ aliquo indicio ductus non commemoraſſem; hac igitur in parte locum ſpicilegio ſolum reliquiſſe mihi videbar, ſed iſtud adhuc ſatis fertile fuiſſe, Lectores advertent, qui Comitia olim celebrata, & in hiſce ſupplementis ad Annos 1136. 1169. 1214. 1221. 1271. 1279. 1287. 1291. 1294. 1298. 1301. 1304. 1306. 1312. 1317. 1327. 1330. 1332. 1398. 1402. 1419. & conſequentes alios commemorata in Veſtigiis fruſtra quæſierint. Quamvis autem producta de his ipſis, & aliis Annis Comitiorum indicia non omnia ita evidentia ſint, ut de celebratis Comitiis nullum relinquatur dubium, quamvis ad Annos 1271. 1317. & quosdam alios non tam generalia Comitia, quam Conventus Diſtrictuales referantur, id ipſum tamen in Hiſtoria Status tanti eſt, ut plura hujusmodi indicia merito exquirenda ſint.

Inter multa Comitia, quorum aliqua Veſtigia prius produxeram, pauca talia erunt, quorum luculentiora in hoc ſupplemento non adduxiſſem, aliquorum plura, quam ad Veſtigia pertinere viderentur, quædam diplomatica monumenta ibi tantum commemorata, hic textu integro, aut certe pleniore referuntur, uti hæc omnia clarius patebunt, ſupplementa cum Veſtigiis contendenti.

Regales, aut illis affines Literas hic quidem vix tanto, uti in Veſtigiis Comitiorum, non tamen multo inferiori numero, plures certe ex ipſis Originalibus beneficio cumprimis L. R. Civitatis Sopro-

Sopronienſis, ac Bartphenſis profero, quarum collectio ita jam increvit, ut ad continuam earum ſeriem trium, & dimidii poſteriorum ſeculorum non plane multæ deſiderentur. Juvabit vel illas inſpexiſſe, quas in hiſce ſupplementis iterum textu integro produxi ad Annos 1318. 1449. 1457. 1464. 1466. 1490. 1505. 1508. 1523. 1527. Joannis, & Ferdinandi 1531. quoad conventus Veſzprimienſem in Belavár, & Keneſſe 1535. 1536. 1538. 1544. 1547. 1548. 1549. 1550. 1551. 1552. 1553. 1555. 1559. 1560. 1561. Regales, & duplices Prorogatorias 1563. 1564. 1567. 1569. 1571. 1572. 1574. 1578. 1580. Convocatorias, & Prorogatorias 1581. 1583. 1593. 1596. 1599. 1600. 1601. 1603. 1604. 1605. duplices, & Prorogatorias 1606. 1607. Convocatorias, & Prorogatorias 1609. 1614. 1618. 1619. duplices 1625. 1629. Prorogatorias 1635. Convocatorias, & Prorogatorias 1637. 1646. Convocatorias, & Prorogatorias 1655. 1659. 1662. 1722. 1741. 1751. 1764. 1792.

Fateor equidem in Stylo Regalium multas conſuetas formulas eodem verborum tenore conceptas recurrere, atque lectionem earum hoc nomine ſatis tædioſam eſſe, quod illarum integro textui in Veſtigiis producendo nonnulli amicorum non plane de nihilo oppoſuerunt; verum ego in Hiſtoria eorum Comitiorum, pro quibus mihi Regales defuerunt, maximas difficultates expertus, continuam earum ſeriem propemodum neceſſariam unde unde complere conſtitui, neque, al-

alibi opportunius, atque in Veſtigiis produci poſſe puto.

In detegendis Decretis Comitialibus, quæ vulgato Corpori Juris Hungarici, vel penitus inſerta non ſunt, vel parte aliqua ſolum referuntur, inſperata fortuna uſus ſum.

Jam in Veſtigiis Comitiorum ſequentia indubitata Decreta Comitialia Corpore Juris Hungarici non comprehenſa vel produxi, vel ſupplevi.

Anno 1231. Andreæ II. R. Decretum II. pag. 98.
1267. Belæ IV. Decretum, quo Libertates a S. Stephano ſtabilitas confirmat, primus edidi p. 134.
1385. Mariæ I. Reginæ Decretum II. primus edidi in Præfat. p. LIX. antequam fons citatus prodiret.
1446. Conſtitutiones Statuum, & OO. cum Joannes de Hunyad in Gubernatorem eligeretur complevi. p. 253.
1458. Mathiæ I. Corvini Decretum primus edidi p. 298.
1459. Mathiæ I. Decretum Szegedienſe pag. 335.
1470. Mathiæ I. Decretum p. 385.
1518. Ludovici II. Articulos Tolnenſes p. 466.
1518. Ejusdem Articulos Bachienſes pag. 475.
1521. Ejusdem Articulos Budenſes. p. 513.

An-

Anno 1525. Ejusdem Articulos Rákoſienſes pag. 574. omnes primus integros edidi nusquam antea productos.

In his autem ſupplementis ſequentia itidem indubitata Decreta Comitialia in lucem produco, quorum pleraque hactenus prorſus ignota, nec ab ullo vel commemorata, minus adhuc vulgata, a me autem complura eorum ex ipſis authenticis Exemplaribus deſumta ſunt.

Anni 1298. Andreæ III. Decretum hactenus unicum. (a)

1440. Wladislai I. Decretum hactenus unicum, quo Leges ab Andrea II. 1222. ab Andrea III. 1298. & a Ludovico I. 1351. latas tranſcribit, confirmat, & ſuos Legum Articulos addit.

1445. Statuum, & OO. Regni Conſtitutio de Ladislao Poſthumo pro Rege agnoſcendo, & alii Legum Articuli.

1447. Statuum, & OO. Regni cum Joanne de Hunyad Gubernatore repetiti, & de novo conditi Legum Articuli.

Anni

(a) Deinceps tamen ejusdem Decretum I. A. 1291. detexi in Archivo Capituli S. Michaelis Albæ Tranſylv. in *Auctario* vulgandum.

Digitized by Google

1467. Mathiæ I. Corvini Decreti Fragmentum.
1468. Ejusdem Decretum.
1472. Ejusdem Decretum.
Anni 1474. Ejusdem Decreti Anni 1474. hactenus deſideratum Diploma confirmatorium. Omnia ex Authenticis Exemplaribus Coævis.
1475. Ejusdem Decretum.
1519. Ludovici II. Articuli vulgo Bachienſes inſcripti redintegrati.
1523. Ejusdem Articuli Budenſes.
1542. Ferdinandi Regis reſponſum ad Articulos Novizolienſes ex originali. Alia partim ex Copiis Coævis, partim ex MSS. Codicibus vetuſtioribus.

Habemus igitur XX. indubitata Decreta Comitialia, quorum XII. penitus deſiderabantur, & pleraque hactenus latebant, VIII. autem ſolummodo incompleta in Corpore Juris Hungarici edita exſtabant. Hæc nunc primum partim in Veſtigiis, partim in ſupplementis e MSS. redintegravi, Decem integra, a nullo hactenus edita, & fere penitus ignota ipſe detexi, & primus vulgavi.

Hæc, ut opinor, abunde jam docent, Legum domeſticarum Collectionem, qua Populares Noſtri hactenus uſi ſunt, completam non eſſe. Multa Decreta Comitialia non ſolum Ætatis Regum Stirpis Arpadianæ, verum etiam mediæ, qua mixtæ Stirpis Reges imperabant, deſiderantur,

quo-

Digitized by Google

quorum aliqua penitus interciderint, aliqua forte uſpiam in tenebris ſepulta latent, feliciore Poſterorum induſtria detegenda. Ut ne vel ignorare videamur, ea olim exſtitiſſe, miſſis illis, quorum in Veſtigiis memini, referam eorum potiora, quæ condita fuiſſe, in hiſce ſupplementis ad præfixos Annos fide Diplomatum docui, ut ita moniti, qui hæc aliquando novis curis recenſenda ſuſceperint, textum etiam eorum, quem nobis fata inviderunt, facilius detegant, & in lucem proferant.

Anno 1306. Ordinatio omnium Baronum, & Nobilium de Regno Hungariæ.

1327. Decretum de mineris Auri, Argenti &c.

1398. Decretum in Themesvár conditum.

1409, & 1411. Patet ante hos Annos Decretum quodpiam nondum detectum, conditum fuiſſe.

1436. Ante hunc Annum Decretum aliud ab iis, quæ nota ſunt, conditum fuiſſe patet.

1443. Decretum editum.

1444. Decreti conditi meminit Art. 6. A. 1445.

1445. Conſtitutio Comitiorum Albenſium, niſi repetatur inter Articulos Anni 1446.

1463. Decretum inter cætera de excipiendo Turcarum impetu.

Anno

Digitized by Google

Anno 1465. Decretum Generale.
1466. Decretum.
1467. Decreti Budenſis tantum Fragmentum produco, in ſua vero integritate adhuc deſideratur.
1499. Decretum ſuum Wladislaus ipſe provocat.
1501. Ordinatio Regnicolarum in Diæta Feſti B. Georgii M.
1505, 1524. Decreta edita.

Præter indubitata Decreta Comitialia produxi adhuc quædam alia, quæ utrum inter Comitialia Decreta reputanda ſint, nondum tuto definire poſſum, alia item Decretis adeo affinia, ut in Hiſtoria Legislationis ignorari minime debeant. *Horum* notabiliora in Veſtigiis Comitiorum ſequentia videri poſſunt.

Anno 1404. Sigismundi R. Edictum contra Bullatos p. 199.
1439. Præfatio, & Concluſio ad Decretum Alberti Regis nomine Statuum, & OO. facta, quæ inſigne exemplum Capitulationis præbet, primum producta p. 228.
1440. Statuum, & OO. Regni conſtitutio de Corona Regni p. 235.
1444. Wladislai I. Edictum de bello Turcis inferendo. p. 244.

Anno 1446. Statuum, & OO. Regni ſtatutum de ſubſidio Belli. p. 261.

1468. Matthiæ I. Diploma Aſſecuratorium de non exigendo ſubſidio extraordinario. p. 378.

1508. Wladislai II. Diploma Aſſecuratorium ante Coronationem Ludovici II. in Regem Hungariæ pro eodem editum. p. 455.

1525. Articuli Hatvanienſes. p. 593.

1548. Ferdinandi I. Aſſecuratoriæ de Contractu cum Maria ſine præjudicio Regni inito. p. 673.

1594. Articuli Conventus Strigonienſis. p. 792.

In ſupplementis iſtis adhuc plura ſimilia producuntur, inter quæ ſequentia exſtantiora videri poſſunt.

1402. Recognitio Regnicolarum ſuper acceptatione pacti Succeſſionalis per Sigismundum Regem pro Alberto Auſtriæ Duce initi.

1427. Sigismundi R. Regulamentum Militare Braſſoviæ editum.

1432. Ejusdem Decretum de valore Denariorum.

1433. Ejusdem Regeſtum, ſive Propoſitiones de modo Exercituationis.

1446. 1458. 1527. &c. Formulæ Juramenti.

Anno

Digitized by Google

Anno 1470. Mathiæ I. R. Edictum Circulare circa Dicationem geminum Edicto Sigismundi R. de A. 1411.

1486. Series Æſtimationum.

1490. Statuum, & OO. Regni Hung. Conventio cum Joanne Corvino Duce, & plures cum Wladislao Tractatus.

1491. Wladislai II. Circulares ad Comitatus propter diſceſſum ante Comitia terminata, & Gentium levationem.

1504. Salariatus Regni — Proviſio Caſtrorum — Nomina Banderiatorum — Taxatio Banderiatorum.

1516. Proceſſus de Quarta Decimarum.

1518. Articuli Diætæ Feſti B. Georgii M. — Inſtructio oratorum ad Regem Poloniæ — Bona Regiæ Majeſtatis obligata.

1519. Hieronymi Balbi Epiſtola de ſtatu Comitiorum Peſtienſium.

1525. Antonii Baronis de Burgio, S. R. Nuncii Diarium Actorum in Comitiis Peſtanis.

—— Ejusdem Relatio Actorum in Conventu Hatvanini Anno 1525. celebrato.

—— Michaelis Chazaar Narratio eorum, quæ in Conventu Hatvanienſi, & poſtea evenerunt.

—— Anonymi Diarium Actorum Conventus Hatvanienſis Teutonico idiomate conſcriptum.

Digitized by Google

Anno 1525. Franciſci Bachy Oratio ad Cenventum Hatvanienſem ſcripta.
1526. Antonii Baronis del Burgio S.R. Nuncii Diarium Actorum in Comitiis Peſtanis die 24. Aprilis, & ſequentibus.
1526. Ejusdem Epiſtola de Statu Regni Hung.
—— Inſtrumenta Proſcriptionis Stephani de Werbewcz, & Michaelis Zoby, ac Repoſitionis Stephani de Báthor in Palatinum.
1527. Diſtributio Magiſtratuum.
—— Joannis de Zapolya Reſcriptum ad Conventum.
—— Ferdinandi I. R. Manifeſtum Circulare.
—— Zapolyanorum ad idem Reſponſum.
1528. Ferdinandi I. R. Diploma, quo in abſentia ſui Conſiliarios vicarios conſtituit.
1544. Articuli Conventus in Sajó Szent-Péter.
1545. Articuli Conventus Debreczinenſis.
1547. Articuli Conventus Hydwégienſis.
—— Articuli Conventus Kermendienſis.
1553. Articuli Conventus in Göncz celebrati.
—— Reſcriptum Regiæ Maj. ad eosdem.
1619. Ferdinandi II. Decretum.

Anno

Digitized by Google

Anno 1647. Ferdinandi IV. Neo electi Regis Hung. Diploma Inaugurale.

1687. Joſephi I. in Regem Hung. coronandi Diploma Inaugurale.

Univerſim his conatibus tum Legum collectioni, tum Hiſtoriæ Legislationis maximum, quod vix unquam ſperari poſſe videbatur, ſubſidium acceſſit. Legislationis Belæ IV. Andreæ III. & Wladislai I. nullum hactenus exſtabat Veſtigium, nunc eorum Decreta ex ipſis authenticis deſumpta ad Annos 1267. 1298. & 1440. habemus, Sigismundi, & Mathiæ Corvini Regum adeo illuſtrium Leges vix dimidio ſui hactenus notæ erant, jam nunc pauciſſimæ deſiderantur. Ad Legislationem Ludovici II. plura protuli, quem hactenus omnes Hiſtorici de tota ætate Regiminis illius memoriæ tradiderint.

III. Ne quis exiſtimet, me Veſtigia Comitiorum triennio ab hinc a me edita, velut recoctam crambem iterum Lectoribus proponere, vix eſt, quod moneam, hæc ſupplementa pertinere quidem ad complementum Veſtigiorum, eſſe tamen ab illis prorſus diſtinctum, & novum de eodem argumento opus, in quo nihil, quod in Veſtigiis dictum eſt, repetitur, niſi vel evidentia poſtulaſſet, vel plenior textus proferendus fuiſſet. Sunt itaque Decreta, Diplomata, Veſtigia, aliaque monumenta, & provocationes in his ſupplementis producta, ipſæque animadverſiones, reflexiones, & notæ, omnia nova, in Veſtigiis non pro-

 lata,

lata, adeoque minime ſuperflua, uti hæc omnia, ſupplementum cum Veſtigiis contendenti evidenter patebunt.

Non deerant equidem amici, qui cenſerent, hæc nova Veſtigia prioribus jam editis inſerenda, & cum illis in una ſerie opere completiore ſecundis curis edenda eſſe, ne tamen id facerem, pluribus rationibus inductus ſum; imprimis, nequi priora Veſtigia jam poſſident, ſuperflue pecuniam impendiſſe videantur, dum idem iterum longe auctius emendo, primam editionem ſuperfluam, & inutilem evaſiſſe viderent. Deinde dum plura longe accederent, quam priore opere comprehendantur, & ea juſtum volumen ſola exæquarent, illi commixta in nimiam molem increviſſent, carius veniſſent, neque tamen opus omnibus numeris abſolutum evaſiſſet, cum adhuc multa latentia detegenda ſperentur, quæ vel ſupplementi, vel tertiæ iterum emendandæ, & augendæ editionis, adeoque emptionis neceſſitatem adferrent, & hanc quoque ſecundam, licet auctiorem jam, & ſumtuoſiorem, inutilem, & ſuperfluam redderent. Dum itaque recentius detecta, & collecta hoc ſupplemento ſeorſim edo, cum eo nonniſi talia comprehendantur, quæ prius prolata non ſunt, nullus illud ſuperflue ſolvet, neque Veſtigia inutilia, & ſuperflua manebunt; Lector autem unum hoc exiguum incommodum ſentiet, quod Veſtigia, & monumenta in duplici diſtincta ſerie chronologica quærere debeat. Quod ſi deinceps aliqua detecta, & collecta fuerint,

in

in Auctario edi poſſunt; ita Lector nihil deſiderabit, neque ſuperfluum habebit, cum Veſtigia, Supplementa, & Auctarium poſſederit. Erit deinde fortaſſe aliquis, qui Analecta, quæ vel Archivorum repagula, vel caſus, ac diſperſio ipſa non ſolum ſagacitati Eruditorum, ſed etiam edacitati temporum adhuc ſubtraxerunt, olim detecta cum iis, quæ in Veſtigiis, Supplementis, & Auctario edita eſſent, in unam chronologicam ſeriem, ac unum corpus rediget, & uno volumine forma folii edet, pro apparatu ad Corpus Juris Hung. Hiſtoriam Comitiorum, & Legislationis, ac origines Legum deſerrituro.

In Præfatione ad Veſtigia Comitiorum diſerte profeſſus ſum, me præcipue Veſtigia Comitiorum colligere decreviſſe, neque Hiſtoriam eorumdem ſcribendam ſuſcepiſſe, quod alioquin ab eo, qui argumentum adeo prolixum, in quo vix ullus adhuc vires ſuas exercuiſſet, primus pertractandum ſuſcipit, eo minus exſpectari poteſt, quo cautius ad Archiva ſive publica, ſive privatarum Familiarum acceſſus indulgeri ſolet. Neque tamen ego ea me religione ad hocce propoſitum adſtrinxeram, ut ſterilia, & jejuna Veſtigia tum etiam proferam, cum integra membra nactus eſſem, neque commitendum eſſe exiſtimabam, ut modeſtia mea gratæ Poſteritati fraudi cedat, alioquin Decreta Comitialia hactenus nondum edita, & alia quantivis pretii monumenta, quæ hiſce operibus maximum pretium conciliare poſſunt, exmittenda fuiſſent, multa itaque hete-

 roge-

Digitized by Google

rogenea etiam ex occaſione non ſolum attingo; ſed etiam integro textu produco, quæ ultra limites Veſtigiorum pertinere videbuntur; cum nihilominus ad hoc argumentum diligentius excolendum eo motivo potiſſimum inductus fuerim, quod illud hoc adusque jam jam effluens ſæculum, magno Reip. damno neglectum, & innumera, ſcitu non utilia ſolum, ſed etiam neceſſaria monumenta Majorum incuria vel penitus interiiſſe, vel ita diſſipata eſſe viderem, ut ni reliquiæ iſtæ tamquam e naufragio Tabulæ tempeſtive adhuc ab extremo interitu vindicentur, periculum ſit, ne maxima, & nobiliſſima memoriæ rerum domeſticarum pars irreparabili damno, non ſine aliquo ſtudii nationalis dedecore penitus intercideret. Ea quoque producenda exiſtimabam, quæ Lucis aliquid ad Hiſtoriam Comitiorum, aut Status Reip. Hung. affundere, vel ad illuſtrandam ejus Conſtitutionem deſervire poſſe videbantur, etiamſi eminus ſolum eo pertinerent, præſertim, ſi nondum ab aliquo prolata eſſent. Poterant illa quidem differri in aliis operibus, quæ luci publicæ deſtinavi, proprio loco vulganda, ſed vitæ ignotus, ac incertus terminus monet, ut præſenti occaſione utamur; malui itaque paucorum cenſuram ferre, quam cupidos Lectores talibus monumentis vix alias e tenebris proferendis fraudare, alioquin parum ſpei erat, ut opportuno adhuc tempore ab aliis vulgentur, aut ſi quæ affulſiſſet, ipſa monitura fuerat, ne mihi gloriam primi

Digitized by Google

primi eorum Editoris, quæ primus detexiſſem, per ignaviam e manibus elabi ſinerem.

Ipſa etiam Diplomata, in quibus Veſtigia Comitiorum occurrunt, tam in Veſtigiis, quam hocce Supplemento integro ſæpe textu referri quidam ægre ferent, quibus ſuffecturum fuiſſe videbitur, ſi textus duntaxat, qui ad indicanda Veſtigia Comitiorum pertinent, decerpſiſſem. Feci hoc poſterius paſſim, ubi Diplomata, unde deſumti ſunt, textu extenſo ab aliis vulgata ſunt, ſi reliqua nulli uſui in Hiſtoria Legislationis futura erant, vel tempori minus accommoda, aut iis, quos concernerent, ingrata, vel noxia eſſe poſſent. In aliis nihilominus, etiamſi ab aliis jam edita eſſent, truncandis, minime tum facilis eram, dum vel contextus integer ad rem faciebat, vel ad vim argumenti perſpiciendam neceſſarius erat, vel eo truncato tantum præfari oportebat, quantum Diploma integrum proferendum loci expoſcebat, aut reliqua ad notitiam ſtatus publici lucem affundere poſſe videbantur, vel denique ſi ejusmodi monumenta per editores non ita applicata eſſent, ut, quam promererentur, attentionem excitarent. Tanto religioſior eram in conſervanda eorum Diplomatum integritate, quæ adhuc a nullo vulgata eſſe meminiſſem, aut in operibus, quæ paucis ad manus ſunt, exſtarent. Hoc in facto apud nonnullos excuſationem, apud exteros, & Populares, quibus Bibliothecæ, aut Libri, in quibus Diplomata ejusmodi ſparſa ſunt, ad manus non eſſent, etiam gratiam

mere-

merebor, ſi meminerint, quam id moleſtum ſit, ſi perpetuis inviationibus ad opera, quibus deſtituuntur, conſulenda relegentur. Accidit tamen, ut indicio duntaxat, aut fragmento etiam momentoſiorum Monumentorum contentus eſſe deberem, prout ab amicis ſuppeditata, vel communicantium difficultate admiſſa erant, aut in expeditionibus literariis temporis defectu deſumere licebat.

Quemadmodum jam in Veſtigiis Comitiorum eam Legem preſſe ſecutus ſum, ut fontes fideliter ſemper indicarem, unde Veſtigia, vel Diplomata, quæ protuli, hauſerim, ita in his quoque ſupplementis eidem fideliter inhæſi, quo fidem prolatis, vel aſſertis conciliarem, neve reticendo, quorum laboribus profecerim, ſtudii mea alienis exornandi arguerer; occurrunt nihilominus nonnulla, quorum fontem Lectores nuspiam indicatum advertent, de quibus id eos meminiſſe velim, ſæpe quædam per amicos communicata eſſe, quorum fontes indicare vel neglexiſſent, vel, quod forte propriis, aut alienis Juribus privatis incommodum aliquod inde enaſci poſſe crederent, noluiſſent. Alias vel in expeditionibus literariis perægre, vel domi conſtitutus, quædam in Adverſariis, aut Schedis ſingularibus, ut moris eſt, materialia colligentibus, excerpſi, quin, vel celeritate, vel opinione, vel aliis negotiis impeditus, vel ipſa nimia attentione abreptus, aut memoriæ juſto plus fidens, unde deſumſerim, adnotarem, quorum deinde fontem in tanta multitudine, ac varietate e memoria

ſup-

ſupplere non poteram. Defectus tamen iſte nec frequens eſt, nec tantus, ut illius cauſa vel ſimilia Veſtigia exmittenda, vel reliquarum lucubrationum cura ſeponenda fuerit. Cæterum id Lectorem ſecurum eſſe velim, me ut nihil ſine auctoritate vel produxi, vel aſſerui, ita omnia, quæ locis citatis deprehendiſſem, exhauſiſſe, nihil proinde, quod ad rem pertineret, cum ea conſuluerit, ultra ea reperiet, cum citationes non ad uberiorem notitiam inde hauriendam, ſed ad fidem dictis, prolatisque, ut præmiſi, conciliandam adnotaverim, ſecurus, haud facile oſcitantiæ aliquod indicium detectum iri, adeo in exſcribendis textibus, notandisque locis religioſe verſatus ſum.

Si ſpeciem originalis Scriptoris apud Lectorem affectare voluiſſem, poteram plerumque ad MSS. ſæpe ad originalia provocare, quin oportuerit uspiam Scriptorum jam vulgatorum aliquem citare, habebam enim ad manus Batthyaniana, Heveneſiana, Kaprynaiana, Cornideſiana, Vagneriana, Széchyniana (adeoque maximam partem Kollarianorum) Fejérváryana, Székelyiana, Szirmayana, Bardoſiana, Kopiana, & permulta alia, quibus Diplomatarium meum univerſale ita ditavi, ut ea exhauſiſſe videri poſſim; habebam his e fontibus & notata plurima in Adverſariis, & ipſa textu integro deſcripta, ac ordine Chronologico diſpoſita monumenta diplomatica, priusquam aliquem Scriptorum typis editorum conſulerem, cum ad id nec Bibliotheca pro-

vi-

viſus ſim, nec ſi ampliſſimam ad manus haberem, otio abundem; tunc demum, qui collecta Diplomata in ſuis operibus edidiſſent, conſulendos aſſumſi, cum jam operi lucubrando manum admoviſſem, idque eo ſolum fine factum eſt, ut quoad vulgata fontes, quos conſulere, velut typis jam vulgatos, adeoque publicos, quilibet poteſt, indicarem; eam enim Legem Scriptoribus bonæ fidei, præſertim Hiſtoricis, ac Diplomaticis ſanctam eſſe debere exiſtimo, ne ad ſcripta, & privatas collectiones, quas inſpicere pauciſſimis domeſticis, nulli extero licet, Lectores invient, dum ad opera publica typis vulgata, quæ cuilibet conſulere integrum eſt, provocare poſſunt, ego plerumque ad Hiſtoriam criticam Stephani Katona præ cæteris, a quibus ipſe deſumſit, ideo provoco, quod ille recentiſſima, & paſſim nota plurima Diplomata per alios ſparſim vulgata, collecta, ad veros Annos revocata, ordine chronologico diſpoſita, & complura primum edita contineat, quod opus magna certe diligentia compilatum, vicem Diplomatarii Hungarici hactenus ſupplens, etiam in exteris Bibliothecis haberi, & conſuli poſſe credebam. Non autem ideo ad illud provoco, quod mea ex eo deſumſiſſem; cur enim ad rivulum recurrerem, dum fontes, ut præmiſi, ad manum habebam, ſed ut indicarem, ubi vulgata eſſent, quæ produxi, ne iis quoque primi Editoris gloriam quæſiviſſe videri poſſim, ſi Lectori diſſimularem, an ab aliquo jam edita fuerint. Nihil igitur ex iſto quoque opere ad hæc Supplemata ſubſidii

ſidii nactus ſum, tædii autem plurimum ſuperandum habui, ut Lectoris gratia loca, quibus ea, quæ produco edita leguntur, connotarem. Obſervo tamen eſſe nonnullos hujusmodi compilatores, qui honoris duntaxat cauſa amicorum, aut earumdem Partium profeſſione ſibi conjunctorum Scriptorum opera citare amant, diſſimulatis illis, ex quibus & iſti ſua deſumſerunt, imo quosdam, licet primi Editores eſſent, ne nominare quidem dignantur, cum tamen ea ſit ſcriptorum Lex, ut præprimis ad ipſos fontes provocent, reliquos autem ea ſolum de cauſa commemorent, ut ſi eos ſolos Lector ad manus habeat, conſulere poſſit. Ab hujusmodi partium ſtudio puſillis animis proprio alieniſſimus quidem ſum, ſi tamen evenerit, me in quibusdam Diplomatibus jam ab aliis editis ad eos non provocaſſe, minime arguendus ſum ſtudioſæ diſſimulationis; ſciunt enim plurimi, qui me, meaque propius norunt, me Bibliotheca editorum Librorum deſtitui, quæ ſufficiat ad id, ut in omnibus conſulere poſſim, ubi ſingula edita ſint, & ſi mihi talis ad manus eſſet, otio evolvendi deſtituerer, lucubrationibus meis non alia ſubſidia deſerviunt, quam fidelis memoria eorum, quæ ante hos decem Annos, quibus ab omni literatura abſtractus ſum, attente legiſſem, aut in Adverſariis connotaſſem, & MSS. quæ mihi ipſi proprio marte, & ingentibus ſumptibus adornaſſem; nil mirum igitur, ſi non ſemper definire poſſim, an monumentum aliquod ſingulare uspiam, vel a quo, quove loco editum

jam

jam ſit, quod a præcipuis fere Bibliothecariis, aut iis, qui in aliquo genere profeſſa opera verſantur, jure aliquo exigi poteſt.

IV. Quoscunque conatus impendiſſem, quamcunque induſtriam adhibuiſſem, quæcunque illius indicia etiamſi minime obſcura prodidiſſem, facile tamen Lectores perſpicient, me ſtudii iſtius metam in hiſce ſupplementis nequaquam poſuiſſe, nequaquam id me exiſtimare poſſe, quaſi hoc argumentum, quod bono omine ſuſcepi, & in quo hactenus me non infeliciter verſatum eſſe puto, ut volebam, ita exhauſiſſe, ut manum de tabula retrahere liceat. Video multa ſupereſſe, video mihi & fortunam, & populares meos in detegendis monumentis, in animadvertendis defectibus, in arripiendis occaſionibus, ita favere, ut mihi ſupera providentia partem aliquam meritorum in hiſce ſtudiis reſervaſſe videatur. Licet igitur vetuſtatis Hungaricæ monumenta nimium, lateque diſperſa ſint, licet ad publica non minus, quam privata Tabularia, in quibus complura latent, acceſſus difficillimus ſit, licet denique in argumento ampliſſimo, & adeo parum adhuc trito diuturnitas temporis, infracta diligentia, vigilantiſſima induſtria, & vires integræ neceſſariæ ſint, mihi vero majores quidem animi, quam vires, ſed pauci jam vitæ anni adhæc ſuperſint, fixum tamen eſt animo, eruderando huic argumento inſiſtere, ac telam, quam orſus ſum, pertexere, quæve ſive propria felicitate, & induſtria, ſive aliorum diligentia, & benevolentia detexero,

ac

ac obtinuero, in claſſes diſtributa, notis, obſervationibus, reflexionibus, animadverſionibus illuſtrata, vel propria cura vulgare, vel primam ſolum glaciem frangere, & induſtriæ poſterorum ita viam complanare, ne cum illis initiorum difficultatibus eos luctari oporteat, quibus ſuperandis ego potiorem ætatis partem inſumſi, & niſi prorſus obæratum pectus, animique infractum robur objiciatur, non ſine tædio cedere oporteret.

Nimirum, ut conſtitutio Reipublicæ Jus Publicum, Hiſtoria Legislationis, & Status, Origines Legum non ex ideali quopiam Syſtemate, ſed ex Actis publicis, e genuinis antiquitatis monumentis eruantur, pragmatice deducantur, illuſtrentur, invicem combinentur, rite dijudicentur, & genio ætatis noſtræ applicentur, non ſufficit ita dictum Corpus Juris Hungarici ope Cynoſuræ obiter inſpexiſſe, & concordantias avara, ne dicam, imperita manu, ſparſas conſuluiſſe, verum oportet genuinos harum notionum fontes ad manum habere, attente relegere, combinare, & quæ ex iis reſultaverint, ad ſingula capita revocare, genuina principia ſtatuere, eaque in tale Syſtema redigere, quod memoriam non obruat, ſed ſublevet, in quo nexus ipſe intellectui evidentiam pariat, & quæſtiones ſingulas non ſolum extra controverſiam, ſed etiam extra dubium ponat, in quo nec ſuſpicionibus, neque conjecturis locus relinquatur.

Deſiderantur nihilominus adhuc apud nos innumera ad Legislationem Hungaricam, ejusque

Hi-

Hiſtoriam pertinentia monumenta Diplomatica. Pars Decretorum, quibus Leges publico nomine rogatæ comprehenduntur, temporis diuturnitate, an majorum incuria deperdita, denſis adhuc tenebris ſepulta jacet, quam pauca ea ſunt, quæ ex primis IV. ſeculis hactenus eruta ſuperſunt! Aliorum ſola Veſtigia ægre deteximus, textus deſideramus, quædam paucula per viros eruditos ex occaſione producta erant, plura ego data opera quæſita in Veſtigiis Comitiorum, & hiſce Supplementis nunc primum in lucem protraxi. Ad Hiſtoriam Comitiorum, in quibus Leges apud nos condi ſolent, vix minuta fragmenta hactenus colligere licuit, Acta in illis intra ſex anteriora ſecula edita, quæ hactenus in lucem ſparſim protracta ſunt, ſi colligerentur, non tantum efficient, quantum vel unius Diætæ hoc, quo vivimus ſeculo, celebratæ; reliqua vel interierunt, vel domi, foriſque ita diſperſa ſunt, ut iis colligendis ætas unius hominis minime ſuffectura eſſe videatur. Et tamen prioribus etiam ſeculis permulta interveniſſe luculentiſſime oſtendi poteſt. Quid jam de monumentis Actorum, quibus Inſtituta publica innitebantur, dicam? ſi Leges, quæ ſuperſunt, attente relegantur, opinione plura Actorum publicorum monumenta occurrent, quæ ibi commemorantur, & quorum textus hiſce ſeculis poſterioribus aut nulli viſus, aut non obſervatus, in lucem certe nunquam productus eſt, uti vel ſolum Sigismundi Regeſtum documento eſt. Jure communi Hungarico non ſolum

lum Diſtrictus, Comitatus, Civitates, Oppida, & Corpora privilegiata, Communitatesque intra limites Hungariæ propriæ, ſed etiam Partes, Provinciæ, & Regna juribus Sacræ illius Coronæ obnoxia utuntur, habent nihilominus ſua ſingula Privlegia, Statuta, Conſuetudines ſibi proprias, quibus in ſui gremio ita utuntur; ut in eisdem ab aliis minime turbari poſſint; habent igitur jura municipalia partim *privilegialia*, partim *ſtatutaria*, partim *conſuetudinaria*, quorum cognitio ad notitiam conſtitutionis, juris publici, hiſtoriam ſtatus, & ipſam communium legum intelligentiam prorſus neceſſaria eſt; tantum autem abeſt, ut juris municipalis ſub S. Corona Hungarica obtinentis, vel prima principia ſtabilita, vel ſpecies, rite connexæ, vulgatæ habeantur, ut ipſo juris municipalis vocabulo nonnulli turpiter abuſi Regnum propria legislatione gaudens, vel ut in Provinciam redactum proderent, & jus commune pro municipali haberent. Hæc tamen partem duntaxat notitiæ ſtatus Reip. interni efficiunt, in qua errare magis turpe, quam periculoſum videri poſſet; quod autem nexum cum vicinis nobis gentibus concernit, in eo etiam minima quæque e genuinis fontibus, atque ipſis fundamentis noſſe oportet, neque ſine Reip. periculo ignorare licet. Hunc in finem deſerviunt Acta Tractatuum publicorum, eorumque genuina hiſtoria. Et ſunt quidem domeſticorum æque, ac extraneorum vicinorum Scriptorum fragmentis eorum plena volumina, ſed hæc ipſa ita diſperſa ſunt, ut nullus

omnium ſit, cui occaſio, tempus, animus, vires ipſæ combinandis omnibus ſuppetant, plurima nunquam in lucem protracta ſunt, neque a ſcriptoribus in conſilium adhibita; nulla peculiaris Hiſtoria Tractatuum publicorum, nulla collectio actorum eorumdem exſtat, quibus tamen cognitio juris publici externi inniti debet. Quodſi jam auxiliaria ſubſidia ſpectemus, nec Diplomatarium aliquod univerſale, nec ſcriptorum hiſtoricorum eas collectiones habemus, ut cum aliqua gravior quæſtio occurrit, commode conſuli poſſint.

Horum igitur omnium primo apparatus deſideratur, tum ex iis eruenda, ſtabiliendaque recta principia, & ex illis deducenda per ſingulas claſſes notitia, ſed ut Architectus deſignare quidem, ac dirigere ædificii ſtructuram poteſt, non item una etiam materialia conquirere, procurare, convehereque, ita nec uni homini etiamſi tempeſtive ad hæc deſtinatus, ac omnibus ſubſidiis proviſus, profeſſa opera incumberet, id eſſet poſſibile, ut & monumenta omnis ordinis adeo diſperſa, tot ſeculorum lapſu fere conſumta, tam arctis Archivorum clauſtris incluſa colligat, ſuasque ſingula in claſſes redigat, & omnia attente relegat, diſcutiat, & ex illis ipſam ſubſtantiam probe concoctam extrahat, ac in ſyſtema diſpoſitam ordinate proponat, verbo: argumentum totum, quantum eſt, exhauriat.

Multo minus id a me aut exſpectari, aut deſiderari poteſt, qui ab ineunte adoleſcentia diu quidem in literis, ſed abſque idoneo magiſtro, exemplo, ac delectu verſatus, ut illis fere uſu-

ve-

venire ſolet, qui ſibi quoquo fato Αυτο διδασκαλοι effecti ſunt, poſt longas meditationes tandem non tam conſilio, quam experientiæ fortuito caſu in defectuum primum, tum finium, deinde mediorum, ac tandem rectæ methodi adhibendæ notitiam delapſus, unde conatus meos ſublevatum iri jure ſperare poteram, præcipuos obices, ac difficultates expertus, vitæ ſuſtentandæ gratia potiſſimum tempus muneris officiis impendere coactus, horas duntaxat ſubſecivas, & tenuem laborum mercedem hiſce ſtudiis impendere poteram. His profecto tam arctis fortunæ velis nequaquam ſperare auſus, eo me provehi poſſe, ut ad claſſem ſublimium Scriptorum didacticorum eluctor, operarium duntaxat in comportandis materialibus, futuris Scriptoribus uberiores in uſus deſervituris agere, & inglorio compilatoris, aut nimis mediocri collectoris honore contentus eſſe debebam. Hinc eſt, quod præter collectionis induſtriam, claſſium deſignationem, ordinem plerumque chronologicum, & nexum qualemcunque monumentorum, quæ nactus ſum, non aliud, quam viæ aliquantum complanatæ, & excitandorum feliciorum ingeniorum meritum mihi vendicare poſſim.

V. Quin ego argumenta, quæ pertactranda ſuſcepi, exhaurire cupiam, diffiteri minime poſſum, abſit tamen eminus a me, ut adeo ambitioſam de meritis meis opinionem aut ipſe foveam, aut Lectoribus inſerere ſtudeam, quaſi mihi fiderem omnes, aut ſaltem præcipuos hiſtoriæ legiſlationis, & ſtatus publici, jurisprudentiæ, ac

præſertim juris publici fontes reipſa reſerare poſſe, quin hoc quoque in meriti partem repono: ſi non ea ſolum, quæ præſtare poſſum, re ipſa præſtem, ſed etiam ſine diſſimulatione profitear, quibus limitibus facultas mea, & rerum iſtarum cognitio reſtricta ſit, qui conatus meos literarios nunquam inter arcana molimina repono, & argumenta lucubrationum mearum prævie etiam, & publice libenter profiteor. Feci hoc paſſim in omnibus operibus, quæ hactenus in lucem edidi, & aliquot programmatis, præſertim poſtremo illo, quod anno 1793. die 10. Aprilis titulo *notitiæ* inſignivi, non, quod plerique ſolent, ut emtores concirem, ſed ut eos attentos redderem, qui diverſa diplomatica, & hiſtorica monumenta nondum ſatis vulgata, præ manibus habent, & quo plura poſſem, undique obtinerem. Hoc medio me feliciter uſum, neque ſpe fruſtratum fuiſſe, patet ex operibus a me jam editis, & aliorum conatuum meorum progreſſu, præſertim cum ab omni libraria ſupellectili non tam loco, quam otii defectu remotus, & in argumentis nondum tritis occupatus, potiſſimum e MSS. monumenta deſumam, & tamen brevi hoc tempore ingentem eorum copiam mira facilitate undique mecum communicatam obtinuerim.

Licet autem, quod jam præmiſi, & in operibus meis, & in programmatis paſſim ſparſis argumenta lucubrationum, & collectionum mearum publice profeſſus ſim, cum tamen expertus fuerim, complures, eorum etiam minime ignaros,

ros, & ad communicanda ſua faciles quidem, ſed ad ea, quæ poſſident, & hos in uſus deſervire poſſent, haud ſatis attentos, niſi identidem adurgeantur, cum opus iſtud ad manus eorum etiam delatum iri ſperem, qui programmata illa fugientia nondum viderunt, cum præterea facile evenire poſſit, ut antequam deſtinata opera exequar, ex arena literaria, vitaque ipſa decedere oporteat, eapropter & coævorum, & poſterorum cauſa hic eorum quædam repetenda eſſe cenſui, quæ in programmate illo, quod *Notitiam* inſcripſi, de collectionibus, & lucubrationibus, quibus imprimis adornandis operam locaſſem, luculentius expoſui.

1. *Auctarium ad Veſtigia Comitiorum, eorumque Supplementa.*

Efficient illa Decreta Comitialia, Regales, & alia diplomatica Veſtigia, quæ ſeu propria induſtria deinceps detegere, ſeu fautorum benevolentia adhuc adipiſci potuero, nondum in Veſtigiis, & Supplementis prolata, eadem methodo, quam hactenus tenui, pertractanda.

2. *Subſidia pro Hiſtoria Legiſlationis in Hungaria.*

Opus proximum hiſce Supplementis eſt, cui elaborando manus admovebo, cum eam hanc in rem ſuppellectilem collegerim, quæ juſto volumini ſufficiat, & ad ſequentia capita revocari poſſit.

Digitized by Google

I. Prænotationes Generales.

II. Recenſebuntur Decreta Comitialia Regum Hungariæ ſerie Chronologica tam ea, quorum textus hactenus in lucem productus eſt, quam & illa, quæ condita quidem fuiſſe fide Diplomatum conſtat, ſed quorum textus nondum detectus eſt cum multiplicibus obſervationibus, & reflexionibus.

III. Recenſebuntur ſingularia aliquot exemplaria in copiis coævis, aut vidimatis MSS. ſingulorum Decretorum.

IV. Recenſebuntur codices MSS. Decreta comitialia collecta complectentes.

V. Recenſebuntur editiones collectorum Decretorum Comitialium typis vulgatæ, ſive corporis Juris Hungarici.

VI. Recenſebuntur ſingulorum aliquot Decretorum editiones.

VII. De Rubricis aliquot Decretorum Articulis præfixis, quæ vetuſtioribus codicibus, & coævis MSS. ante editionem eorum typis adornatam, inſertæ occurrunt, & hic referentur.

VIII. Acta publica, ad quæ in legibus provocatur.

IX. Recenſebuntur heterogenea, legibus aut affinia, aut temere intermixta.

X. De conatibus Majorum circa legum Patriæ reformationem.

XI. Corporis Juris Hungarici, ſeu collectionis Decretorum Comitialium ex ipſis authenticis ſingu-

Digitized by Google

ſingulorum exemplaribus adornandæ, & edendi conſpectus.

3. *Reliquiæ Actorum Diætalium, quæ Seculum XVII. ſuperant, & uspiam reperiri potuerint, ab initio Reip. Hungaricæ ad Annum usque* 1600. *ordine chronologico diſpoſitæ.*

Triſte eſt, ſi expendamus, quam pauca hujusmodi Actorum monumenta non ſolum vetuſtiorum temporum, ſed proxime etiam præteriti ſeculi in lucem producta, & illa ipſa ita diſperſa ut Bibliothecam ad manum habere oporteat, ſi ea conſulenda ſint, paucorum itaque uſui deſerviant. Ego non pauca jam collegi, quæ nuspiam vulgata exſtant, plurium ſpem habeo, quorum ubi ſeriem etſi non continuam adornavero, forma folii, vel uno ſolum volumine edam, ut alii ſubinde plura detecturi facto initio ſupplementa addere poſſint.

4. *Collectio ampliſſima Diariorum, & Actorum Diætalium, quæ vigilantiſſima induſtria uspiam locorum reperiri, & obtineri potuerunt ab Anno* 1601. *usque ad moderna tempora.*

Collectio iſta, cujus in Opuſculo Inſtituti Hiſt. Dipl. Cap. XI. §. 3. p. 124. memini, & proſpectum peculiari programmate A. 1790. d. 28. Sept. ſub generalibus Regni Comitiis edito, & ſparſo delineavi, ad poſtrema duo ſecula XVII. & XVIII.

ex-

extenſa, duplici claſſe conſtat *Diariorum*, *&* *Actorum Diætalium*, *Diaria* publica, & privatorum opera conſcripta, quotquot uſpiam etiam ejusdem Diætæ diverſa obtinere potui, ſine mutatione deſcribi curavi, cum ſinguli eorum Auctores quædam adjuncta adnotaverint, quæ aliorum attentionem fugerunt, præſertim cum eodem tempore tractatibus utriusque Tabulæ nullus continuo intereſſe, adeoque ſingulorum ſententias, & alias conſultationes notare potuerit, & præterea complures ea tantum attentius connotaverint, quæ vel partibus, quas ſequebantur, vel miſſioni ſuæ, aut affectui magis affinia eſſe exiſtimabant. *Acta* quæcunque antecedentia, concomitantia, conſequentia, publica, & privata, quæ aliquo nomine Comitia Hungarica concernunt, adeoque & Commiſſionum Diætalium, & Deputationum Articularium Acta univerſa in hunc cenſum veniunt. Speciatim *Regales* convocatoriæ, acceleratoriæ, vel prorogatoriæ, *Credentionales*, & *Plenipotentiales*, *Inſtructiones* tam Regiæ pro Commiſſariis, quam Communitatum, & Abſentium pro ſuis Ablegatis; Directoria Aulica pro variis ſolennibus, *Propoſitiones*, & *Reſolutiones Regiæ*, *Reſponſa*, *Replicæ*, *Repræſentationes*, *Poſtulata* & *Gravamina* Regnicolarum, publica, communia, particularia, Provinciarum, Comitatuum, Civitatum, Diſtrictuum, Communitatum, Capitulorum, Fiſci Regii, Catholicorum, Evangelicorum privata: Familiarum, vel ſingularum perſonarum; *Informationes*,

Re-

…ctationes, *Declarationes*, *Opiniones*: Palatinales, Dicaſteriorum, Directorum, Cauſarum Regalium de Comitiis, aut objectis in illis tractatis, vel tractandis; *Proteſtationes*, *Querelæ*, *Conditiones*, *Inſtantiæ*, *Puncta*, *Orationes*, *Diplomata Inauguralia*, *Projecta Articulorum*, vel aliorum Inſtitutorum, *Exhibita*, *Plana*, *Relationes*, & *Elaborata* Deputationum, Commiſſionum, vel Circulorum, *Reſcripta*, & *Intimata* Commiſſariorum Regiorum, *Protocolla*: Conferentiarum, Deputationum, Commiſſionum, *Deſcriptiones* ſolennium, & quæ ſunt aliæ hujus generis Actorum Diætalium variæ, ac multiplices ſpecies, ordine chronologico annorum, menſium, ac dierum diſpoſitæ, & præfixis ſummariis proviſæ. Scribuntur hæc in grandi, & ſplendida charta Regali, centenis plura ingentis molis volumina effectura; indicibus generalibus perſonarum, Locorum, rerum, & materiarum deinde providenda, & loco publico, Archivo nimirum Regni in MSS. aſſervanda, nec ob ingentem eorum numerum, ac varietatem, requiſitorum proinde ſumtuum, & pretii magnitudinem typis mandanda, unde tamen & Diaria e combinatione plurium compendio deduci, & acta ſelecta pro uſu publico typis aliquando exprimi poſſent.

5. *Repertorium Actorum Diætalium, ſive ſcriptorum potiſſimam partem publicorum, ſed & privatorum, quæ in Generalibus Comitiis I. Regni Hungariæ, Regnorum-*

que,

que, & Provinciarum S. illius Coronæ juribus obnoxiorum, ab exordio Reip. unquam celebratis, aut edita, aut producta, & literis conſignata ſunt ordine chronologica diſpoſitum.

Cum Diariorum, & Actorum Diætalium collectio per extenſum typis edenda non facile ſperari poſſit, & ſi re ipſa vulgaretur, propter pretii magnitudinem, paucorum in manus ventura eſſe videatur, ac ob ingentem operis molem, & Actorum multitudinem, ac diverſitatem ſine compendiaria quapiam manuductione, etiam indicibus proviſa difficilis uſus futura ſit, nec niſi ab Anno 1600. incipiat, ſcire autem ſæpe, ac multorum interſit, quæ objecta quando in Comitiis tractata ſint, quæve, & qualia Acta in quibusvis edita fuerint, neceſſarium propemodum eſt manuale aliquod compendium, quod facile quisque habere, ac revolvere, ex eoque videre poſſit & objecta, & acta Tractatuum Diætalium, eorumque chronologiam, & argumenta; conſtitui itaque hocce Repertorium ita adornare, ut ab initio Epochæ Legislationis Hungaricæ ordine Chronologico usque ad moderna tempora per ſingula Comitia, quorum notitiam aliquam obtinuimus, procedam, eorumque primo quidem Hiſtoriam quoad vetuſtiora ex coævis Scriptoribus, tum ex aliis, quæ nactus fuero, monumentis, quoad recentiora ex Diariis deſumtam breviſſime præmittam, Scriptores, qui de illis agunt, accurate provo-

cem,

cem, codices MSS. qui mecum communicati ſunt, recenſeam, Diaria, ſi quæ noſſem, commemorem, ac tandem obſervata menſium, & dierum ſerie non ſolum elenchum actorum ad ſingula pertinentium ſubjiciam, verum etiam inſtrumentorum, quæ pluribus, ac diverſis punctis conſtant, uti ſunt Propoſitiones Regiæ, Gravamina Regnicolarum, & ſimilia, ſummaria ſingulorum punctorum pauciſſimis verbis indicem. Opus hoc in plures quidem Tomulos increſcet, ſemper tamen in tanta actorum, præſertim poſteriorum ſeculorum ubertate utiliſſimi compendii, ac Cynoſuræ vices ſubire poteſt.

6. *Decretorum Comitialium Hungariæ Regum ſive Legum in Comitiis Generalibus apud Hungaros conditarum, ex authenticis Exemplaribus deſumptarum completa, & diplomatice authentica collectio.*

Quæ hactenus commemoravi opera, ſive collectionum, ſive lucubrationum ad Hiſtoriam duntaxat Comitiorum, & Legislationis faciunt. In ipſa Jurisprudentia mihi tanto magis vela contrahere licet, quo major ſpes ejus etiam ab aliis illuſtrandæ affulget, modo genuini fontes reſerentur, & neceſſaria ſupellex apparetur, gemina tamen hoc in campo ſpecimina edere conſtitui.

I. *Sub-*

Digitized by Google

1. *Subſidia pro Hiſtoria Bibliographico Literaria Jurisprudentiæ Hungaricæ.*

Quod in Programmate *Notitia* inſcripto, & Anno 1793. d. 10. Aprilis vulgato Sect. II. §. 5. uno opere complectendum promiſi, hoc poſtulante objectorum diverſitate, & materialium multitudine in gemina membra dividendum, ac diverſis operibus pertractandum jam eſt. Reducentur hæc ſubſidia fere ad ſequentia capita:

I. Conſpectus Encyclopædiæ Jurisprudentiæ Hung.

II. De Fontibus Jurisprudentiæ Hungaricæ.

III. De Mediis auxiliaribus Jurisprudentiæ Hung.

IV. De Scriptoribus in variis Jurisprudentiæ Hungaricæ partibus, eorumque operibus editis.

V. Recenſebuntur notabiliora quædam opera inedita, ad Jurisprudentiam Hungaricam facienta.

VI. Claſſificatio Legum Hungariæ ſecundum varias Jurisprudentiæ partes, earumque Capita.

VII. Deſiderata in Jurisprudentia Hungarica.

2. *Prænotationes Juris Municipalis ſub Jurisdictione S. Regni Hungariæ Coronæ præter Jus commune obtinentis. Accedet ſpeciminis loco Sylloge Monumentorum diploma-*

plomaticorum potiorem partem ineditorum Juris municipalis notis illuſtratorum.

Vetus, & fere communis eſt error etiam Gentilium noſtrorum, qui cum de Jure communi Hungariæ ſermo eſt, illud Jus municipale Hungaricum appellant, indubie in comparatione Juris Civilis Romani, quaſi vero Hungaria Romani, aut alterius cujuspiam Imperii Provincia vel Municipium eſſet, & non potius Reſpublica, & ſtatus avtonomus proprio Rege, propria independenti Legislatione gaudens. Jus igitur Hungariæ, quod Decretis Comitialibus continetur, eſt Jus commune Regni Hungariæ, *Jus Municipale* apud nos illud ſolum appellari poteſt, quod ex Privilegiis, Statutis, aut conſuetudine, & uſu juri communi non derogantibus reſultans, ſingulis Diſtrictibus, Comitatibus, Civitatibus, Provinciis, aliisque particularibus Territoriis, aut Communitatibus, & Corporibus etiam Territorio deſtitutis, legitima tamen jurisdictione gaudentibus proprium eſt. Hoc igitur Jus Municipale Hungaricum *Privilegiale*, *Statutarium*, & *Conſuetudinarium* in hiſce Prænotationibus ita pertractabitur, ut præmiſſis notionibus præliminabus Jurisdictiones ejusmodi, quas paulo ante commemoravi, methodo geographica, earum autem Privilegia, Statuta, & Conſuetudines propriæ, ſerie chronologica recenſeantur, quin tamen ad enumeranda ſingula eorum capita progrediamur, quod *Prænotionum* terminos utique excederet, & fortaſſis etiam gravaminibus anſam præberet. Tentabo

præ-

præterea nexum explicare Juris Municipalis cum Syſtemate feudali, uſum illius oſtendere in exponenda Conſtitutione Reip. Hungaricæ, in illuſtrando Jure publico, & communi, interpretandis legibus, eruendis conſuetudinum originibus, & hiſtoria Status pragmatice deducenda. Hoc ſpecimine campi hujus amplitudinem, & quanto ſubſidio notitiæ rerum domeſticarum neglectu hujus momentoſi argumenti deſtituamur, oſtendere volo, atque telam ordiri, quam alii deinceps ultro pertexant, quorum cauſa conſpectum codicis Juris Municipalis exhibere conabor, quo habito aliquando certa in hoc argumento principia ex omnibus rite expenſis, & in claſſes reductis, ſtabiliri, theoria ſtatui, ſyſtema efformari, & tota doctrina methodo ſcientifica pertractari poteſt, quæ in Hiſtora, & Jurisprudentia magno uſui deſerviet, & corrigendis Reip. nævis lumen præferet, cujus defectu multa nunc ſentimus, quin, ubi originem habeant, aut quomodo corrigenda ſint, perſpiciamus.

Hæc omnia exiguam adhuc partem earum notionum complectentur, quas virum ad gerenda publica negotia, & conſulendum Reipublicæ aſpirantem integra mente complecti oportet. Deſunt præterea alii ab his diſtincti, uberrimi civilium diſciplinarum fontes, quibus reſerandis adhuc ſequentia opera deſtinavi.

1. *Col-*

Digitized by Google

1. *Collectio Diariorum, & Actorum Tractatuum publicorum.*

Quam lato ſenſu Tractatus publicos accipiam, e ſequentis operis prolixo titulo patebit. Collectio iſta prorſus analoga eſt collectioni Actorum, & Diariorum Diætalium; in utraque proinde adornanda easdem rationes ſequar, eandem methodum obſervabo; collectio tamen Tractatuum publicorum extendetur ad omnia Reip. Hungaricæ ſecula, adeoque ab exordio ejusdem incipit, ſed hæc quoque in MS. duntaxat, uſibus adminiſtrationis publicæ, & virorum eruditorum deſervitura conſervabitur, neque ſua in extenſione typis edetur. Interim, ut hujus quoque argumenti Repertorium quoddam manuale deſerviat, propoſui aliquando edere.

2. *Indicia Tractatuum, & Contractuum publicorum, ſeu Conventuum, Congreſſuum, Concurſuum, Commiſſionum, Conſultationum, Deputationum, Synodorum, Conventiculorum, Legationum, aliorumque ſolennium actuum, quibus pacta conventa, mutua fœdera, ſubſidia belli, commeatusque, ſtatuta, concordata, tranſactiones, permutationes, inſcriptiones, infeudationes, ceſſiones, & renunciationes, confœderationes, conjurationes, fidejuſſiones, diffidationes, manifeſta, intermediationes, capitulationes, Armiſtitia, induciæ, treugæ, pacificationes, homa-*

Digitized by Google

homagia, & amniſtiæ. Pacta item amicitiæ matrimonialia, & dotalia, nec non armorum, & commerciorum, inter Gentem, Regesque Hungarorum, & hos inter, ac Principes, Populosque exteros ab exordio Regni Hungarici in Pannonia in hodiernum usque diem, aut tractata ſolum, aut concluſa etiam ſunt: e probatis Scriptoribus, ac potiſſimum Diplomatibus, Actisque publicis eruta, ſuas in claſſes, ordinemque chronologicum diſpoſita, opportunis reflexionibus, notis, & animadverſionibus illuſtrata.

In elaborando iſto opere easdem rationes ſequar, eandem methodum obſervabo, quas mihi pro Repertorio actorum diætalium præfixi, per ſingula nimirum Reip. Hungaricæ ſecula ordine chronologico ita procedam, ut ſingulorum hujusmodi Tractatuum hiſtoriam quantum e Scriptoribus coævis, & actis, aut recentiorum temporum diariis eruere licuerit, in ſynopſi pragmatica præmittam, non neglectis cauſis, quæ illis auſam præbuiſſent, ratione tractandi, tum natis inde in Remp. commodis, aut incommodis, ſubjungentur ſeries actorum ad ſingulos Tractatus pertinentium, ordine annorum, menſium, ac dierum, cum indiciis, ubi aut edita legi poſſint, aut inedita lateant. Poſtremo adducentur Scriptores, qui de ſingulis vel data opera egerunt, vel ex occaſione mentionem injecerunt. Judicia

cia hæc ad Hiſtoriam Status, & Jus publicum Hungariæ illuſtrandum plurimum ſubſidii, & lucis adferre poſſunt.

3. *Monumenta Hiſtorica inedita, ad Jus publicum, & notitiam ſtatus Reip. Hungaricæ facientia, collecta, in ordinem ſyſtematicum redacta reflexionibus, & animadverſionibus illuſtrata.*

Inter varias MSS. collectiones mihi notas reperiuntur diverſæ diſſertationes, & commentationes de ſingularibus Juris publici, & Status notitiæ capitibus, occaſione Comitiorum, aut ortarum ſtatiſticarum quæſtionum, partim per viros eruditos, partim per illuſtres, & longo uſu publicorum negotiorum exercitatas perſonas conſcriptæ, quæ quamquam aſſumtum Thema non ſemper exhauriant, ſubinde etiam a vero aberrent, multa tamen ſcitu utilia, neque paſſim nota continent. Hujusmodi monumentorum hiſtoricorum adhuc ineditorum collectio, ſi notis, & animadverſionibus e monumentis diplomaticis recentius detectis deſumendis illuſtrata in ordinem ſyſtematicum diſponerentur, non modicam lucem Juri publico, & Hiſtoriæ Status Reip. Hungaricæ affunderet.

Præter hos præcipuos Jurisprudentiæ, & Hiſtoriæ domeſticæ fontes ſuperſunt etiam auxiliaria ſubſidia, ad uberiorem rerum domeſticarum notitiam facientia, quæ fortaſſe pro ipſis fontibus

 ha-

Digitized by Google

haberi poſſent. Ego induſtriam meam ad ſequentia adornanda reſtringo:

1. *Scriptores Rerum Hungaricarum inediti.*

Horum duplicem claſſem ſtatui.

I. Scriptores Rerum Hungaricarum inediti majores, potiſſimum qui Annales ſui temporis deduxerunt, ordine chronologico ita diſpoſiti, ut in qua ætate alter deſiit, ab eadem alter hiſtoriam ſuam ordiatur.

II. Scriptores Rerum Hungaricarum inediti minores, & proxime coævi, qui breviores temporum Periodos, ſingulares converſiones, & eventus, aut locorum hiſtoriam deſcripſerunt, e manu ſcriptis autographis, partim apographis inter ſe collatis deſumti.

Præter hos occurrunt & chronologici, & genealogici, & alterius generis, qui collecti multiplices notitias hiſtorias ſuppeditabunt. Hujusmodi Scriptorum collectiones complures ex illis, quæ mihi hactenus innotuerunt, adornari poſſunt, quæ ſi eadem continuo forma ederentur, quam Schwandtnerus olim adoptavit, haberet Poſteritas Scriptorum domeſticorum ſeriem, qualem exteris hactenus tantum invidere debuimus.

2. *Di-*

Digitized by Google

2. *Diplomatarium univerſale I. Regni Hungariæ, ab initio regiæ dignitatis in Hungaria chriſtiana inductæ usque ad Annum* 1526. *ſive initium regiminis Ferdinandi I. R. deductum.*

Collectionem hanc edita uspiam, & inedita, quæcunque obtineri potuerint, monumenta diplomatica, latiſſimo ſenſu ſumta, adeoque etiam Bullæ, Brevia, &c. pontificia, Res Hungaricas concernentia ingredientur. Monumenta præfixis ſummariis ordine chronologico annorum, menſium, & dierum edentur, & ſingula periodus Indicibus realibus perſonarum, locorum, & rerum providebitur. Poſſunt Diplomatario hujusmodi deinde facile ſupplementa addi.

3. *Antiquitates Juris, & Hiſtoriæ Hungaricæ e reliquiis Diplomatum priorum trium Regni ſeculorum XI. XII. & XIII. erutæ, & e Diplomatibus poſteriorum duorum ſeculorum XIV. & XV. quodve ad initium usque regiminis Ferdinandi I. pertinet XVI. illuſtratæ.*

Hoc unum ex omnibus operibus, quæ hic recenſui, ſolum deſtinatum eſt, cui manus nondum admotæ ſunt, immenſi laboris, & ſtudii, ſed paris utilitatis futurum, ſi ad apicem aliquando perduceretur, præſertim ſi monumenta omnia etiam, quæ in publicis, privatisque Tabulariis adhuc ſuperſunt, ſumma accuratione exhaurirentur,

cui ſimile nuspiam Gentium adhuc exſtare memini. Vel illa monumenta diplomatica, quæ in meo Diplomatario univerſali jam poſſideo, aut ab aliis edita ſunt, & quæ e MSS. Collectionibus, ac ſingularibus exemplaribus me obtenturum ſpero, uberem hic meſſem ſuppeditabunt, dignum vero opus fuerit, cui omnibus numeris abſolvendo Diplomatum originalium vel in abditiſſimis Tabulariis recluſorum copia ſuppeditetur, quod ſane citra omne vel remotum periculum Jurium privatorum fieri poteſt, cum ea nullatenus in hoc opere attingenda ſint, quæ nexum ejusmodi Jurium quoquo modo in propatulum exponerent. Methodus illa obſervabitur, ut cum ſingulum monumentum diplomaticum lectum fuerit, occurrentia in eo nomina propria familiarum, perſonarum, locorumque, appellativa item munerum, dignitatum, officiorum, monetarum, vocabula Juris, aliarumque rerum, & quæcunque voces pro teſſera eruendarum antiquitatum eligendæ occurrerint, idque, quod de iis e contextu monumenti colligi poteſt, exceptis poſſeſſorio, metis, aliisque juribus nondum peremtis, vel ut explicatio ſingulæ voci, ſeu articulo ſeorſim ad ſingulas chartas ſcribendo ſubjiciatur, ad monumentum autem, ceu fontem talismodi notitiæ, expoſitis ejusdem temporum datis provocabitur, ne toties eorum ſummaria referendo opus in immenſum ſine neceſſitate increſcat, aut Archivum, ubi habentur, indicando, vel ita privatorum jurium veſtigia propalentur. Hujusmodi

Digitized by Google

di voces, ſive Articuli in diverſis monumentis cum diverſis notitiis redituri, deinde in ordinem alphabetico-ſyllabicum, prædicata vero de illis, ſeu antiquitates juridicæ, & hiſtoricæ ſerie chronologica diſponentur, & ita opus in vicem Lexici, aut Gloſſarii hiſtorico-juridici, Indicis in Diplomata realis, & Repertorii antiquitatum Juris, & Hiſtoriarum Hungariæ deſerviet, Mappis geographicis, loca Hungariæ ſingulis Periodis temporum in Diplomatibus commemorata referentibus illuſtrandum, in quo quidquid ad Hiſtoriam, aut veterum Legum intelligentiam notitiæ e monumentis coævis erui poteſt, aut origines illuſtrat, concentratum reperietur, fons, ſi unquam aliquis pro Hiſtoricis, ac Juris peritis Patriæ, ut uberrimus, ita limpidiſſimus futurus, ex quo gloſſas, notas, illuſtrationes, animadverſiones, reflexiones, parallella, analogias ad omnia occurrentia Themata, & Argumenta plena fidelia haurire poſſint; ſed cujus reſeratio innumeris obſtaculis, ac difficultatibus prius removendis obſita, unius hominis & vires, & ætatem longe ſuperat, & plurium conjunctam, & uniformem operam exigit. Cum igitur ego unus, etiamſi cum prima ætate orſus fuiſſem, ne relegendis quidem omnibus, quæ ſuperſunt, interitum Ludovici II. Regis præcedentibus monumentis diplomaticis, minus hanc in rem exhauriendis parem me eſſe videam, conſtitui periculum facere in primis illis tribus ſeculis, ubi ad ea Diploma-

 tarium

tarium edidero, ut edito ſpecimine, via poſterorum diligentiæ complanetur.

Prima de adornando tali fonte cogitatio mihi enata eſt, cum immortalis meriti Cardinalis Princeps Joſephus de Batthyán munificentiſſimus Moecenas conatuum meorum jam ante hoc triennium jure ſuo mihi Problema de originibus Legum Hungariæ illuſtrandis acutiſſime proponeret, & ego, quid pro dignitate reſpondendum ſit, meditarer.

Hæc, quæ hactenus commemoravi, plerisque nec immerito, majora eſſe videbuntur, quam ut unus aliquis etiam integris viribus, & in primo ætatis vigore ſuos humeros omnibus ſubjicere ſine temeritate audeat, nec ego profiteri auſim, a me omnia iſta jam ad umbilicum perducta eſſe, quibus tamen Grammatophylacium meum, quod omnibus patere volui, adire libuit, viderunt autem illud, & per ſingulas claſſes luſtrarunt plurimi illuſtres viri, qui meos apparatus, & operandi methodum perſpexerunt, nullus omnium erat, qui dubitaret, a me illa omnia præſtari poſſe, ſi vita, vires, otium, & facultates ſuppeterent; atqui tacitæ iſtæ conditiones, quoties in futurum aliquid promittimus, ſemper ſubeſſe cenſentur, quæ ſi mihi negata fuerint, hasce cogitationes Poſteris hoc loco, veluti Teſtamento transcribere voluiſſe videbor. Habeo non ad has duntaxat, quas enumeravi collectionum, & lucubrationum ſpecies, verum etiam ad alia permulta argumenta in mea penu plurima materia-

ria-

Digitized by Google

rialia, quæ cum luculentiſſima methodi explicatione lubens cum iis communicabo, qui exequendo pares, argumentum aliquod elaborandum in ſe ſuſcipere voluerint; habeo Themata plurima notitiæ rerum domeſticarum, quibus deducendis & capita pertractandorum, & ſubſidia literaria iis promte ſuppeditabo, qui hac ex parte de Patria bene mereri voluerint, ſunt adhuc multa intacta, in quibus & originalis, & claſſicus labor evadere poteſt, quibus tamen omnibus ætas mea minime ſufficiet, & quæ aliorum diligentiæ ſine invidia cedam.

VI. Quas ego difficultates in detegendis, conquirendis, obtinendis, colligendis, & connectendis monumentis, diplomatibus adeo diſperſis, in excitando, & ſtabiliendo Inſtituto diplomatico hiſtorico, in elucubrandis meis operibus, & adornandis collectionibus expertus ſim, non ſine meo, Lectorumque tædio exponere poſſem; majores vero partim ſortis meæ tenuitas, partim actorum, hominumque, non ita ſemper, ut optaremus, comparatorum indoles objecerunt. Quas poſteriores ſummatim, & quantum ſine invidia fieri poteſt, Lectoribus enumerare eo ſaltem juvabit, ut, quod non omnibus numeris abſolutum eſſe deprehenderint, unde promanaſſet, perſpiciant, tantoque æquiori animo conatuum meorum mediocritatem metiantur.

De iniquitate fortunæ, ſortisque, quam nactus ſum, queri nolim, quamquam jure poſſe viderer, qui Majoribus olim in Illyrico ampla for-

tuna florentibus, dein Turcarum incurſione ejectis, Senquicium in Comitatu Poſonienſi delatis, ac ad pauperiem redactis die 9. Novembris Anno 1744. natus, & primis pueritiæ annis orphanus, mihi ipſi relictus, inops conſilii, virium expers fere nihil, præter nomen a Parentibus hereditavi, quæ ſive ad vitæ neceſſitates, ſeu corporis, animique cultum pertinerent, induſtria propria curare coactus ſum.

Prima Literarum elementa, pueritiæ annos bene jam ſupergreſſus, ab Euphroſina ſorore, quam mihi unicam ad hanc usque ætatem fata reliquere, paternos intra Lares ad expeditam typi lectionem usque didici, ſed cum ad clauſulam: *Et cætera* ſolito ſigno expreſſam, lectione perveniſſem, *hæc*, dixit illa, *& cetera, tibi jam in ſcholis publicis condiſcenda, his multi Anni ſedulo impendendi ſunt.* Multa deinde proſpera, adverſaque, inſtar Caſſandræ vaticinata, manu blande prehenſum, primo ad matris viduæ, ac morbidæ ſinum, ut more priſcæ religionis auſpiciis bene precaretur, tum ad Gabrielem Kolinovich popularem, virum de Literis bene meritum, & moribus antiquum adduxit, ut ad pedes ejus, velut alterius Gamalielis vitæ præcepta audirem, demum ab eo ſalubribus conſiliis ſuaviter inſtructum, ad trivium Scholarum deduxit, unde paucos poſt menſes Modram profectus, Grammaticis, deinde & Humanioribus Literis Bazinii, Strigonii, Tyrnaviæ, alternatim, poſtremo loco Philoſophicis pro ea ætate ſic ſatis imbutus, priva-

ti

ti Pedagogi auxilium, quo deſtitutus eram, perpetua Librorum lectione ſupplere ſtudui, quam ut experientia quaſi animarem, die 6. Julii anno 1765. in Italiam profectus, Regiones ejus Romam usque tanta celeritate, omni tamen cum attentione peragravi, ut die 6. Novembris, ejusdem anni pro initio Scholarum redux, nullum peregrinationis cauſa lectionum curſum negligerem (*a*) Jurisprudentiæ deinde, biennio tunc ibi traditæ, eaque abſoluta, diſciplinis Theologicis, poſt has demum Politicis recenter inductis, operam impendi, nequid vero culturæ politioris deeſſet, anno 1772. Viennam profectus, viros celeberrimos Martinium imprimis, ac Sonnenfelſium publice diſſerentes, biennio alternatim audivi, aliis culturæ ſubſidiis interim minime neglectis. Indicto tandem anno 1774. in menſem Octobrem ſolenni Tyrnaviam concurſu, velut Spectator ſolum futurus, eo conceſſi, atque inopinate pro Cancelliſta Bibliothecæ ejusdem univerſitatis, tum primum in Hungaria publico uſui aperiendæ delectus, & non ſine encomio propoſitus, a Majeſtate Regia Diplomate d. 24. Octobris 1774. edito confirmatus, ac 300. florenorum ſti-

---

(*a*) Menſes Julius, & Auguſtus tunc Examinibus, Tentaminibus, Defenſionibus, Diſputationibus, Comædiis impendebantur, in quibus mihi velut pauperi nulla perſona agenda obtigit, Septembri, & Octobri alioquin feriæ agebantur, poteram itaque citra jacturam ſtudiorum abeſſe.

Digitized by Google

ſtipendio proviſus, ad annum usque 1781. id muneris ita geſſi, ut in Bibliotheca nihil ordinis, nihil oneris eſſet, cujus potior pars ad me non pertineret, eaque de cauſa Diplomate die 16. Aug. eodem anno 1781. edito, Vice-Cuſtos quidem ejusdem Bibliothecæ, cum priori tamen 300. fl. ſalario, & oneribus porro quoque ſuſtinendis, renunciatus fuerim. Demum anno 1784. die 14. Junii poſt decem nimirum annorum ſervitia Cuſtos quidem illius Bibliothecæ nominatus eram, *ſed nonniſi* 100. florenis ad ſtipendium, quod prius habui, adjectis, iisque primum a die 1. Novembris tunc venturi percipiendis. Hujus quidem beneficii fructus non attigi, ſiquidem eodem anno 1784. die 27. Octobris ex Bibliotheca Univerſitatis ad Archivum Camerale translatus, 600. florenorum ſalarium obtinuerim; hic integro pæne decennio, *non ſecus, quam ſi omnis fortuna mea magicis quibusdam incantamentis faſcinata fuiſſet, immotus* hærebam, dum tandem anno 1793. die Decembris iterum poſt Decennium 100 flor. ſalarium accederet. *Atque hoc loco ſors mea ſubſiſtit, ut anno ætatis* 50. *poſt* 20. *Annorum ſervitia, poſtquam Cancelliſta, Vice-Cuſtos, & Cuſtos in Bibliotheca fuiſſem, deinde Indicans, nunc demum Regeſtrans cum ſalario* 700 *fl. eſſem.*

Cum præter genium, & vota mea inſperate a Literis avulſus ad negotia politica tractanda translatus fuerim, ut genio aliquid indulgerem, ac una quæ improba induſtria didiciſſem,

ea

Digitized by Google

ea Patriæ commodis conſecrarem, penes Excelſam Cameram jam conſtitutus, velut majorennis effectus paucas, quæ a quotidianis Officii laboribus ſupererant horæ, nocturnas potiſſimum literis conſecravi, ac primum quidem, cum meminiſſem diu, multumque de edendis Ephemeridibus literariis patriis, actum eſſe, anno 1786. & 1787. feci operis periculum propriis ſumtibus, editis Ephemeridibus literariis ſub titulo: *Merkur von Ungarn* biennii curſu XXIV. ſegmentis juſtos Tomulos V, cum Appendicibus efficientibus, & Iconibus potiorum, ornatis, quod qui ſucceſſerit poſterorum Judicio decidi malim.

Neque deinceps a ſtudio Literarum penitus animum abſtraxi, vilem otioſitatem ſemper exoſus. Anno itaque 1788. *Diſſertationem de Religione, ut ea Reip. curæ eſſe debet.* Anno 1789. *Gabrielis Kolinovich Chronicon Templariorum* multis literariis acceſſionibus de proprio adjectis auctum, anno 1790. ejusdem *Gabrielis Kolinovich* Diarium Comitiorum Inauguralium Poſonii anno 1741. celebratorum ſub titulo: *Nova Hungariæ Periodus Gynæcocratiæ Auſtriacæ*, tum propriæ induſtriæ *Veſtigia Comitiorum apud Hungaros ab initio Regni eorum in Pannonia usque ad hodiernum diem celebratorum* ſingula ſingulis formæ Octavæ Tomis, ac denique: *Solennia Inaugnralia ſereniſſimorum, ac potentiſſimorum Principum utriusque ſexus, qui ex Auguſta ſtirpe Habſpurgico-Auſtriaca ſacra corona Apoſtolica in Reges Hungarorum, Reginasque Periodo III. redimiti*

ſunt

ſunt forma folii, anno deinde 1791. *Inſtitutum Diplomatico-Hiſtoricum I. Regni Hungariæ*, & anno 1792. *Inſtitutionem Grammatophylacii publici* utrumque forma Octava, adeoque intra ſeptem annos operum Tomos XII. præter complura Programmata, quæ niſi alioquin in longum excurriſſet præfatio, recenſere minime fuiſſet erubeſcendum, proprio marte, ac ſumtibus ita edidi, ut tamen muneris officiis non defuiſſe, verum duplicatam induſtriam impendiſſe videri poſſim. Quid præterea moliar, & ſuperius jam prolixe ſatis recenſui, & quivis in meo Grammatophylacio videre poteſt.

His tamen omnibus conatibus tantum abeſt, ut aliquid lucrifecerim, aut fortunam meam vel eo provexerim, quo vulgari vitæ ratione quisque ipſo ſenii ordine pertingere ſolet, ut potius fato quodam, omnia in adverſam ſortem converſa ſint. Nullius operis tertiam impenſarum partem recepi, ut plerisque, qui apud nos hac in arena pro priis ſumtibus militarunt, accidit, cujus rei cauſas tædet enumerare; reliqua itaque Exemplaria Fautoribus muneri potius offerenda erant.

VII. Piaculum tamen eſſet, diſſimulare, qua fortuna ex adverſo uſus, & quorum beneficiis in hiſce conatibus privatim adjutus fuerim, quibus ſi pari conditionis fortuna, & publico favore perfrui mihi tempeſtive conceſſum fuiſſet, forte id præſtiturus eram, quo patria gloriari potuiſſet. Imprimis id ſive fatis, ſeu providentiæ gratus in acceptis refero, quod ad præcipua Themata vix ante ab ullo attacta delapſus, tot momentoſiſſima in argu-

gu-

Digitized by Google

gumentis graviſſimis monumenta hactenus inedita, ingnotaque quaſi fortuna ultro offerente detexerim, ac primus in lucem produxerim, quot plures etiam juncta opera vix detecturi ſunt. Deinde eo naturæ beneficio gaudeo, ut ad hanc usque medii ſeculi ætatem omnis familiaris, aut chronici morbi expers, penes continuas, & multiplices occupationes, labores, anguſtæ rei domeſticæ curas, perpetuo quaſi valetudinis vere integris viribus, ac ſenſibus, plena animi quiete, & alacritate, mentisque juvenili vigore, & in propoſitis conſtantia ita perfruar, ut aliis ſecundam fortunam non invideam, *alios altis dignitatum gradibus gloriari tum tantum ægrius feram, ſi immeritos, aut malis artibus evectos eſſe ſciam.*

Si benevolentiam Popularium meorum non paucis, neque vulgaribus indiciis erga Inſtitutum meum privatim proditam expendam, non poſſum non Patriæ, cujus Gentiles tam nobili animo comparati ſunt, ut hos pro illa ornanda conatus promoveant, gratulari. Patet id luculentiſſime ex iis ſubſidiis ſive literariis, ſive pecuniariis, quæ hactenus a pluribus magna facilitate obtinui, ac deinceps, cum indiguero, promiſſa habeo, univerſim id cum voluptate profiteor, vix ullum adhuc apud nos fuiſſe, qui cum ſcripta, quorum uſum habere poteram, poſſideret, petenti negaſſet, aut ſi tergiverſaretur, non promiſiſſet tamen, plerique magna facilitate ultro tanta obtulerunt, ut in meo Grammatophylacio ultra 150.

vo-

volumina MSS. uſui commodata concurrerent, & id unum votum ſupereſſet, ut omnibus celeriter in uſum convertendis, ac Poſſeſſoribus reſtituendis, ſufficienti ære, ac otio abundarem.

Quibus fontibus, & in hiſce ſupplementis, & in aliis lucubrationibus, & collectionibus meis uſus ſim, penes ſingula monumenta, Indicia, & Veſtigia fide integra, & ſincere profeſſus ſum, & in Hiſtoria collectionis Actorum, & Diariorum Diætalium generatim profitebor, id unum hoc loco reſtat, ut Mæcenates, Promotores, Fautoresque Inſtituti, & Amico qui hactenus ſive ſcriptis, ſive pecuniis, ſive opera ſua conatus iſtos adjutum ibant, & quorum beneficiis potior meriti, ſi quod in his conatibus collocandum eſſe videatur, pars in acceptis referenda eſt, recenſeam.

I. Et ſcripta, quæ habebant, & pecuniaria ſubſidia ſuppeditarunt: Mæcenates, Promores, Fautores.

37. 41. Sereniſſimus Regius Hæreditarius Princeps Alexander Leopoldus, Archi-Dux Auſtriæ, & I. Regni Hungariæ Palatinus.

39. Eminentiſſimus, ac Celſiſſimus S. R. E. Presbyter Cardinalis, S. R. I. Princeps Joſephus e Comitibus de Batthyán Primas, & Archi-Epiſcopus Strigonienſis.

13. Celſiſſimus S. R. I, Princeps Antonius, & alter.

Pr. Celſiſſimus S. R. I. Princeps Nicolaus Eſzterházy.

69. Stephanus Aczél Protonotarius Perſonalis Præſentiæ Regiæ. S. C. R. A. Majeſtatis Conſiliarius.

71. Comes Franciſcus de Paula Balaſſa de Balaſſa-Gyarmath, Perpetuus in Kékkeö, Vágh-Beſztercze, Lietava, & Eberhard, Inſignis Ord. S. Stephani Regis Apoſtolici Commendator, S. C. & R. A. Majeſtatis Camerarius, Actualis Intimus Status Conſiliarius.

43. Nicolaus Senior Jankovich, S. C. & R. A. Majeſtatis Conſiliarius, Emeritus Tabulæ Regiæ Aſſeſſor.

72. Nicolaus junior Jankovich I. Comitatus Albenſis Notarius.

22. Paulus Liber Baro Jeſzenák de Királyfia, S. C. & R. A. Majeſtatis Conſiliarius.

28. 57. Mathias Nitray I. U. D. ad Excelſum Conſilium R. L. Hung. Secretarius.

19. 64. Ladislaus L. B. Orczy de eadem S. C. & R. A. Majeſtatis Camerarius, Actualis Intimus Status, & ad Ex. Conſilium R. L. Hung. Conſiliarius, Vice-Theſaurarius Regius Hungaricus, Ex. Cameræ Regiæ Hungarico-Aulicæ V. Præſes, & I. Comitatus Abaujvarienſis Supremus Comes.

40. Franciſcus Comes Széchényi de Sárváry, Felsö-Widék S. C. & R. A. Majeſtatis Camerarius, Actualis Intimus Status Conſiliarius, & I. Ordinis S. Januarii utriusque Siciliæ Eques.

65.

Digitized by Google

65. Joſepus S. R. I. Comes Teleky de Szék, S. C. & R. A. Maj. Camerarius, & Actualis Intimus Status Conſiliarius, I. Comitatus Ugochienſis Supremus Comes.

II. Pecuniariis ſubſidiis ſuccurrerunt præterea.

35. Andreas Bachinſzky Græci Ritus Catholicorum Epiſcopus Munkachienſis, Abbas SS. Petri & Pauli Apoſt. de Tapolcza, S. C. & R. A. Majeſtatis Intimus Status Conſiliarius.

2. Franciſcus Bedekovics de Kumur, S. C. & R. A. Maj. ad Excelſam Cancellariam Regiam Hung. Aulicam Conſiliarius, & Referendarius, Eques Auratus.

16. Carolus Bikkeſſy, S. C. R. A. Maj. Excelſæ Cameræ Hung. Aulicæ Conſiliarius.

Libera Regiaque Civitas Cibinienſis in Comitatu Saroſſienſi.

9. Joannes Nep. e Comitibus Erdödy de Monyorókerék, Arcis Varasdinenſis, & Montis Claudii Hæreditarius Capitaneus, I. Comitatus Varasdinenſis Perpetuus, & Supremus Comes, Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Banus, & in Confiniis Colapianis, ac Vunanis Supremus Regni Capitaneus, S. C. & R. A. Maj. Intimus Status Conſiliarius, Generalis Campi Mareſchalli Locumtenens, unius Legionis Equeſtris Ordinis Militiæ Hung. duorum præterea Pedeſtrium Regi-

giminum Banalium Colonellus, & Excelſæ Tabulæ Banalis Præſes.

11. 33. Joſephus Fengler Epiſcopus Jaurinenſis, S. C. & R. A. Maj. Actualis Intimus Status Conſiliarius.

5. 44. Nicolaus e Comitibus Forgách de Ghymes, S. C. R. A. Maj. Actualis Intimus Status Conſiliarius, & I. Comitatus Nitrienſis Supremus Comes.

8. Franciſcus Xav. Fuchs Epiſ. Nitrienſis.

7. Gaſpar Gindl Ordinis Monachorum S. Pauli Primi Eremitæ Emeritus Sextum Provincialis.

61. Alexius Jordánſzky Eminentiſſimi, ac Celſiſſimi Cardinalis Principis Joſephi de Batthyán Primatialis Archivarius.

34. Franciſcus Xav. Kalatay Epiſcopus Magno-Varadienſis.

45. Ignatius Kapuváry de Mindzenth, I. Comitatus Kraſſovienſis Ord. V. Comes.

6. Joſephus e Comitibus Keglevich de Buzin, Inſignis Ord. S. Stephani Regis Apoſt. Commendator, S. C. & R. A. Majeſtatis Camerarius, & Actualis Intimus Status Conſiliarius, I. Comitatus Tornenſis Supremus Comes, ac per I. Regnum Hungariæ Agazonum Regalium Magiſter.

3. Joſephus Klobuſiczky de eadem, S. C. & R. A. Maj. Excelſi Conſilii R. L. Hung. Conſiliarius.

Digitized by Google

73. Joann Baptiſt. Latinovich de Borſod, Exc. Conſilii Locumtenentialis R. Conſiliarius;
63. Antonius Mandich Electus Epiſcopus Priſtinenſis, Abbas B. M. V. de monte Petri Varadini, C. E. Zagrabienſis Cuſtos, & Canonicus, Proto.Notarius Apoſtolicus; SS. Theologiæ Doctor, S. C. & R. A. Maj. ad Excel. Conſil. R. L. Hung. Conſiliarius.
59. Georgius Palkovics Cooperator Windſchachtæ.
30. Franciſcus Papp I. Comit. Soproníenſis Tabulæ Judiciar. Aſſeſſor, Exc. D. Comit. Franciſci Széchényi Plenipotentiarius.
23. Adalbertus Prokop Eccleſiæ Némethienſis Parochus, Fratruelis Avunculus meus.
1. Joſephus e L. B. Püchler S. C. & R. A. Maj. ad Exc. Conſil. R. L. H. Conſiliarius.
60. 66. Joſephus Ragályi de Kis-Choltho S. C. & R. A. Maj. Conſiliarius I. Comitatus Borſodienſis Ord. V. Comes.
12. 67. Andreas Semsey de eadem S. C. & R. A. Maj. ad Excelſum Directorium Aulicum Conſiliarius Aulicus, & Referendarius.
32. Andreas Szabo Electus Epiſcopus Novienſis Abbas S. Jacobi de Siliſio, Præpoſitus S. Joannis Bapt. de Buda. E. M. Strigonienſis Canonicus, Archi-Diaconus Neogradienſis, SS. Theologiæ Doctor, S. C. & R. A. Majeſtatis Conſiliarius.
36. Daniel Terſtyanſzky S. C. & R. A. Maj.
56. Excelſæ Cameræ Hung. Aulicæ Conſiliarius,

Digitized by Google

58. rius, Archivi Director, & ad Exc. Ta-
62. bulam Septem-Viralem in re Montani-
70. ſtica Referens.
74.
4. Stephanus Végh Eques Auratus S. C. & R. A. Maj. ad Excelſum Conſilium R. L. Hungar. Conſiliarius, Provincialis Commiſſariatus V. Director.

10. Maximilianus Verhovácz Epiſcopus Zagrabienſis, Abbas B. M. V. de Thopuſzka, I. Comitatus de Berzencze Supremus, ac Perpetuus Comes, S. C. & R. A. Maj. Actual. Intim. Status Conſiliarius.

Horum quidam, ut præfixi numeri Protocolli indicant, iterata, & annua ſubſidia ſuppeditarunt.

III. *Subſidia Literaria in MSS. ſuppeditarunt.*

54. Arvay e Scholis Piis Humaniorum Profeſſor in Gymnaſio Roſenbergenſi.

51. Joannes Bardoſſy I. Comitatus Scepuſienſis Tabulæ Judiciariæ Aſſeſſor, Gymnaſii Regii Leutſchovienſis Localis Director.

47. Libera Regia Civitas Bartphenſis.

Libera Regia Metropolitana, & Reſidentialis Civitas Budenſis.

54. Libera Regia Civitas Caſſovienſis.

Carolus Fejérváry de Kereſztes Komlós I. Comitatus Sároſſienſis Tabulæ Judiciariæ Aſſeſſor.

48. Emericus Horváth-Stanſich de Gradecz

S. C. & R. A, Majeſtatis Conſiliarius. I. Comit. Scepuſienſis Ord. V. Comes.
Venerabile Capitulum Cathedralis Eccleſiæ Jaurinenſis.
14. Carolus Koppy e Scholis Piis AA. LL. & Philoſophiæ Doctor, in Regia Scientiatiarum Univerſitate Hung. Peſtienſi Hiſtoriarum Profeſſor Publicus Ordinarius.
Georgius Sigismundus Lakics, I. U. D. S. C. & R. A. Maj. Conſiliarius, Facultatis Juridicæ, ac Typographiæ R. Univerſitatis Director, & Gremialis Studiorum Commiſſionis Aſſeſſor.
Andreas Lehoczky I. Tabulæ Diſtrictualis Cis-Danubianæ Aſſeſſor.
50. Gabriel Péchy de Péchy-Ujfalu, Excelſæ Tabulæ Septem-Viralis Aſſeſſor, S. C. &. A. Maj. Conſiliarius Aulicus.
Libera Regia Civitas Poſonienſis.
46. Conventus Auguſt. Confeſ. Poſonienſis.
68. Innocentius Simonchicz e Scholis Piis, in Regio Gymnaſio Tatenſi Humaniorum Profeſſor.
Libera Regia Civitas Sopronienſis.
I. Comitatus Szaladienſis.
38. Joannes Petrus e Comitibus Szapáry de eadem, Perpetuus in Muray-Szombath, & Széchy-Szigeth, S. C. & R. A. Maj. Camerarius, & Actualis Intimus Status Conſi., Sereniſſimi Hæreditarii Princ. Alexandri

Leo-

Leopoldi, Archi-Ducis Auſtriæ, & I. Regni Hung. Palatini Suprem. Aulæ Præfect.

Antonius Szirmay de eadem, S. C. & R. A. Maj. Conſiliarius Aulicus, I. Tabulæ Diſtrictualis Cis-Tybiſcanæ Eperiesſienſis Præſes.

49 Thomas Joſephus e Comitibus Szirmay de Szirma Beſſenyew. S. C. R. A. Maj. Camerarius.

I. Comitatus Zempliuienſis.

IV. *Alii partim operam, & Studium conjunxerunt, partim aliis modis Inſtitutum promovere conabantur.*

Georgius Aranka de Zágon, I. Tabulæ Regiæ Tranſylvanicæ Aſſeſſor.

Alexander Balogh in Gymnaſio Regio Jaurinenſi Humaniorum Profeſſor.

Comes Georgius Bánffy L. B. de Loſſoncz, S. R. & C. A. Maj. Camerarius, Actualis Intimus Status Conſiliarius. Inſignis Ordinis S. Stephani Regis Apoſt. Magnæ Crucis Eques, & Magni Principatus Tranſylvaniæ Gubernator.

I. Comitatus de Baranya.

I. Comitatus Békeſſienſis.

Joſephus Calovino, Eminentiſſimi Cardinalis Principis Joſephi de Batthyán Bibliothecarius.

Antonius Décsy Fiſcalis, & Cauſarum Fori utriusque per Hungariam Advocatus.

Chriſtianus Engel I. Comitatus Scepuſienſis Aſſeſſor, Exc. Cancellariæ, Tranſylvanico-Aulicæ Juratus Notarius.

Joannes Nep. e Comitibus Eſzterházy de Galantha, S. C. & R. A. Maj. Actualis Intimus Status Conſiliarius.

Joſephus e Comitibus Eſzterházy de Galantha, S. C. & R. A. Maj. Camerarius, & ad Excelſum Conſilium R. L. Hung. Conſiliarius.

Joannes Chryſoſtomus Hannulik Arcas, e Scholis, Piis Humaniorum in Regio Karolinenſi Gymnaſio Profeſſor.

Godefridus Kéler, Excelſæ Cancellariæ Regiæ Tranſylvanico-Aulicæ Regeſtrator.

Martinus Lendvay Excelſæ Cameræ R. H. A. V. Archivarius.

I. Comitatus Maramaroſſienſis.

Stephanus Markos I. Comitatus Zemplinienſis Regeſtrator.

Antonius Mokoſſiny, S. C. & R. A. Maj. Poſtæ Præfectus, & L. R. Civitatis Bartphenſis Judex.

Joſephus e Liberis Baronibus Orczy de eadem S. C. & R. A. Maj. Camerarius, I. Comit. Zemplinienſis Supremus Comes.

Incl. Comitatus Peſt, Pilis, & Solth.

Joannes Nep. Petrichevich de Száz, Excelſæ Cameræ Regiæ Hung. Aulicæ Primarius Regeſtrans.

Li-

Liberæ Regiæ Civitatis Poſeganæ Magiſtratus.

Stephanus Schönviſner AA. LL. & Philos. Doctor, Bibliothecæ Regiæ Univerſitatis Hung. Peſtienſis Præfectus.

Martinus Schwartner AA. LL. & Phil. Doctor, in Regia Univerſitate Hung. Diplomaticæ Profeſſor, ejusdem Bibliothecæ Primarius Cuſtos.

L. R. Civitatis Segnienſis Magiſtratus.

Paulus e Comitibus Szapáry, de Eadem; Perpetuus in Muray-Szombath, & Széchy-Szigeth, S. C. & R. A. Maj. Camerarius, & Excelſæ Cameræ Regiæ Hung. Aulicæ Conſiliarius.

Volffgangus Thóth in Archi-Gymnaſio Regiæ Univerſitatis Budenſi primus Humaniorum Profeſſor, AA. LL. & Philos. Doctor.

I. Comitatus Thurocezienſis.

Adamus Viſer SS. Theologiæ Doctor, & SS. Canonum Licenciatus, Abbas B. M. V. de Kompolth, Cathedralis Eccleſiæ 5 Eccleſienſis Canonicus Honorarius, Bibliothecæ Epiſcopalis publicæ Præfectus.

I. Comitatus Zabolchenſis.

Joſephus Zabraczky Electus Epiſcopus Veglienſis, Præpoſitus S. Petri de Caſtro Agrienſi, C. E. Agrienſis Cuſtos, & Canonicus, S. C. & R. A. Maj. Conſiliarius.

An-

Andreas Zachar AA. LL. & Phil. Doctor, Gymnaſii Regii Tyrnavien. Local. Direct.

Nicolaus Zorkovich ad Excelſum Conſil. R. L. Hung. Rationum Magiſter, & I. Comit. Liptovienſis Tabulæ Judiciariæ Aſſeſſor.

Præterea Ordo Clericorum a Scholis Piis dictus quaſi communi affectu hiſce Studiis meis propenſus, ut viros multipici eruditione conſpicuos ſinu ſuo nutrit, ita iſti quavis occaſione promovendorum conatuum meorum ſtudioſos ſe eſſe, luculentis indiciis teſtantur, quod in Collegiis Peſtienſi, Cibinienſi, Podolinenſi, Sátor-Ujhelienſi, & in plurimis membris ſingularibus cum peculiari ſolatio, & animorum acceſſione expertus ſum.

Sunt & alii illuſtres in Rep. Hungarica, & extra illam quoque viri, quibus lenimen ſortis meæ diverſis titulis in acceptis referre debeo, & quorum benevolentia, vigor animi, & in arduis iſtis conatibus conſtantia continuo nova incrementa accipiunt.

Budæ in Grammatophylacio Inſtituti Diplomatico-Hiſtorici X. Kal. Sextiles MDCCXCIV.

M. G. Kovachich.

SUP-

Digitized by Google

SUPPLEMENTA
AD
VESTIGIA COMITIORUM.

PERIODO I.
REGUM STIRPIS ARPADIANÆ CELEBRATORUM.

SUB S. STEPHANO I.

Libros Decretorum S. Stephani uſpiam in Originali vel Exemplari quopiam authentice tranſumto reperiendos nos vix ſperare poſſe, luculente patet ex illis, quæ in Veſtigiis Comitiorum hac de re diſputata ſunt. Oportet nihilominus omnem diligentiam adhibere, ut quam plurima, & vetuſtiſſima eorumdem apographa Exemplaria, quæ adhuc exſtant, detegamus, quorum fide integritas, ac ſinceritas textus confirmetur, cum ipſi Libri uſu continuo, vetuſtatis autoritate conſe-

Digitized by Google

crato vim legis obtinuerint, etiamſi nec membranis Originalibus, nec arida ſigilli cera, nec Regis, aut Cancellarii autochira ſubſcriptione, oculorum obtutui exhibendis, hoc, aut alio textu a S. Rege editos fuiſſe, doceri poſſit.

Apographa eorum, quæ adhuc ſupereſſe hactenus experti ſumus, ſequentia recenſere poſſumus.

In MS. Codice Illosvaiano, cujus mentionem ex relatione facit C. Ignatius de Batthyan Ep. Tranſylv. LL. Eccl. T. I. p. 10. quemve ipſe in Bibliotheca Cæſarea Vindob. manibus verſavi, & in *ſubſidiis ad Hiſtoriam Legislationis & Jurisprud. Hung.* ſingillatim recenſebo. Pars illius anterior pertinet ad Annum 1544 prout ex Epigraphe ibi ſubjecta patet. Habetur in eo fol. 9. *In Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Amen. Incipit Decretum S. Regis Stephani.* Nempe primi Regis Hungariæ, ſine tamen Titulo Regis, Dato, & Sigillo, vel ſubſcriptione. Scriptura vetuſtior, minutior, & ab aliis hujus Codicis diſtincta, quæ tamen Seculum XVI. non ſuperat. Aliud Apographum habetur in Cod. MS. Membranaceo Bibliothecæ itidem Cæſareæ Vindobonenſis, quem idem Præſul Tranſylvanienſis l. c. pag. 9. ad initium Seculi XV. refert; & iſtud Exemplar omnium, quæ adhuc innotuerunt, antiquiſſimum eſt, Seculi XVI. ſunt Codices Kollarianus nunc Vindobonæ penes ſanctius Augg. Domus Tabularium aſſervatus, & Feſtetichianus in Ságh

Comi-

Digitized by Google

Comitatu Sopronienſi, ex quo Balaſſiano - Szapa- rianus Bibliothecæ Ercſinienſis deſumtus eſſe videtur, in quibus Libri Decretorum S. Stephani cum aliis poſterioribus referuntur, quos cum aliis mihi notis Cod. MSS. in *ſubſidiis*, ut præmiſi, accuratius recenſebo.

In Enchiridio Decretorum usque A. 1579. editorum de S. Stephani Decretorum Libro I. notatur: *S. Stephani Lib. I. publicatus poſt obitum S. Emerici Ducis.* De Libro II. autem: *Liber II. A. D. 1035. in Synodo Tolnæ promulgatus.* Qua tamen autoritate adductus Nic. Telegdinus Autor Enchiridii iſta affirmet, non indicavit. Zacharias Moſſoczy in prima ſua Decretorum editione ad finem Libri II. tantum ſubjicit: *Explicit Decretum S. Stephani Regis promulgatum Strigonii* (in margine: *Al. Tulnæ*) *Anno MXXXV.* autoritate, ut videtur, vetuſtiorum Codicum MSS.

Combinanti cuipiam curioſum videri poſſet, quod ſecundum horum Decretorum Libri I. Cap. X. §. 1. *Exercitus cæleſtis plenitudo in denis conſiſtit choris*; cum tamen in Diplomate fundationali Capituli Nitrienſis, ab eodem S. Stephano, ut prætenditur, edito, *novem* dumtaxat Chori Angelorum agnoſcantur, quo numero eos univerſa decantat Eccleſia, cujus traditionem Nitrienſes, ubi jam antea Epiſcopatum fuiſſe ferunt, accuratius notam habuerint.

In his ipſis Fundationalibus, ſi genuinæ eſſent, quas Katona ad Annum 1006 refert, Ste-

phanus uſum Comitiorum ætate ſua viguiſſe fatetur in ſequenti clauſula:

„ Et ut tanto amplior hæc donatio noſtra habeatur,
„ adornavimus (fors ordinavimus) uti præſentes &
„ futuri Sacerdotes Presbyteri Eccleſiæ B. Emerici
„ M. de Caſtro Nitra Capitulares Canonici in
„ omnibus tam Synodalibus, *quam Regis, & Re-*
„ *gnicolarum Conventibus*, ab Eccleſia, & Capi-
„ tulo Strigonienſi, per nos in Metropolitanum
„ erecto, ſtatim ſecundum locum teneant, &
„ vocem habeant. "

Quam ineptæ Rubricæ compluribus Capitibus & Articulis in edito Corpore Juris Hungarici præfixæ ſint, videri poteſt vel ex ea, quæ S. Stephani L. II. C. 45. habetur: *Promiſſum cadit in debitum*, cum tamen in textu nigri nulla vox de promiſſo, vel debito ſonet. Paulo melior eſt illa, quæ in Cod. MS. Balaſſiano-Szapariano ad idem Caput occurrit: *De mendacio domi ſponte facto.*

De Libris Decretorum S. Ladislai & Colomani Regum idem, quod de Libris S. Stephani dictum eſt, intelligere oportet, nimirum Originalia, vel authentica illorum Exemplaria fruſtra ſperari, neque ad oſtendendam eorum vim Legis neceſſaria eſſe, ſed textus duntaxat ſinceritatem ex Apographis vetuſtioribus, quæ in omnibus Codicibus cum Decretis S. Stephani habentur, confirmari debere. Libri II. antiquiſſimum Exemplar, Seculi nimirum, ut exiſtimatur XII. eſt in MSS. Codice Membranaceo Bibliothecæ Capituli Po-

Digitized by Google

Poſonienſis, ex quo illum G. Pray Hierarchiæ Eccl. T. I. edidit.

SUB BELA II.

Ante Annum 1136. Strigonii celebrati Conventus Diplomaticum Veſtigium habetur in Inſtrumento apud Bernard. Pez Cod. Dipl. T. VI. Col. 355. vulgato, quod inde deſumtum Steph. Katona Hiſt. Crit. p. 503. ad Annum 1136. inſeruit, & cujus initium huc pertinens ita habet:

„ In Nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis. Notum ſit omnibus Sanctæ Dei Eccleſiæ Cultoribus, tam Clericis, quam Laicis, quod Rex Bela Inclytus in *Conventu Strigonienſi*, ubi filio ſuo Ladislao *communi Regni conſilio* Boznenſem Ducatum dedit. “

Quæ clauſula: *communi Regni conſilio* ſatis indicat, Conventum hunc non Concilium Cleri, ſed Comitia Acta fuiſſe.

SUB GEYZA II.

Aliqua Comitia celebrata fuiſſe, obſcure licet, colligitur ex quodam Inſtrumento authentico ſine dato edito, ubi commemoratur *Teſtamentum* cujusdam *Adalberti ad Regem Siciliæ, Apuliæ, Capuæque* nomine R. *juſſu Geyzæ Regis Hungariæ, & Archiepiſcopi M. cunctorumque Regni Primatum Decreto cum Legatione miſſi.* Factum hoc fuerit intra Annum 1140, & 1160.

quibus Geyza vixit. Diploma vero præciſe ad Geyzam II. pertinere colligitur ex pluribus ejusdem adjunctis; ſub hoc vero Archiepiſcopi, quorum nomen a Litera M. incipit, erant Macharius & Martyrius.

SUB STEPHANO III. RESTITUTO.

Anno 1169. celebratorum Comitiorum non obſcurum Veſtigium occurrit in Diplomate Emerici Regis, quo Clero nonnulla Privilegia contulit, edito apud Baronium ad h. A. & Kollar Hiſt. Dipl. p. 120. quod ita clauditur.

„ Hæc autem omnia de Conſilio glorioſæ Reginæ, Matris noſtræ, & Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, omnium Electorum, Præpoſitorum Regalium, atque Abbatum, Comitum omnium, Procerum, & aliorum Principum ſtabilita, ac firmiter corroborata noſcantur. Actum in Civitate W. Anno 1169. “

SUB ANDREA II.

Ante Annum 1214. celebratorum Comitiorum Veſtigia innuunt Literæ, ab Andrea Rege Innocentio PP. ſcriptæ, quæ cum & de Jure Coronationis, & de factioſa Coronatione filii ſui, & de pluribus ætatis illius adjunctis agant, & partem aliquam culpæ, prodigalitatis Regi tributæ in perfidiam Archiepiſcopi Colocenſis derivent, lege ſis apud Raynaldum ad Annum 1214. & ex illo editas apud S. Katona Hiſt. Crit. T. V. p. 209.

Circa

Digitized by Google

Circa Annum 1221. ſub Andrea II. Comitia celebrata fuiſſe eruitur ex Literis aliquot Epiſcoporum Hungariæ Pontifici in cauſa dimiſſæ a Bela Rege juniore Conjugis ſcriptis, quas Raynaldus, Schmitth, Katona ad h. A. & alii vulgarunt. Licet autem in illis non exprimatur Annus, quo editæ ſint, ſatis tamen probabili argumento referri poſſunt ad Annum 1223. cum Pontifex in hoc negotio jam die 22. Febr. 1224. Literas ad Robertum Veſprimienſem, & Ugolinum Colocenſem dederit, credibile proinde ſit, Anno ſuperiore ea de re edoctum eſſe. Cum in illis literis habeatur Belam in ætate legitima jam exiſtentem per biennium, & amplius ut maritum uxori cohabitaſſe, *ipſam* autem *omni ſolennitate adhibita in Reginam coronatam* fuiſſe, *recepto prius a Nobilibus Regni, qui tunc in transductione puellæ abſentes erant, ſolenniter Sacramento*, patet Comitia hæc ſolennia, & Inauguralia ad Annum circiter 1221. referenda eſſe, niſi forte biennium illud non a Nuptiis, ſed ab ingreſſu ſolum ætatis legitimæ repetendum eſſet ita, ut jam antea Regi deſponſata & coronata fuerit, ſed ut marito a biennio ſolum legitimam ætatem ingreſſo convixerit, quo caſu Comitia Inauguralia utique retrahenda eſſent, ante Annum 1221. Utcunque ſit, colligitur circa illud tempus Comitia celebrata fuiſſe, in quibus & Regina coronata, & Sacramentum a Nobilibus receptum ſit.

Digitized by Google

Anno 1222. editi ſub Bulla aurea, ab Andrea II. Decreti in Tranſumtis Authenticis Regum Ludovici I. Mariæ I. Wladislai I. & Mathiæ I. duodenis non pauciora detexi hactenus vetuſta Exemplaria, quæ in *Subſidiis* aliquando indicabo, ut adeo de illius olim exiſtentia dubitare nulla jam ratione liceat. Producam mox ad Annum 1298. tranſumtum Wladislai I. hactenus nemini notum.

Ad illuſtranda ea, quæ in Veſtigiis Comitiorum p. 123. de quibusdam Comitiis ad Sylvam Bozeg, vel Beregh coactis retulimus, & ſimul corrigendos nonnullos errores in locis & temporibus hactenus admiſſos profero, & Inſtrumentum ab aliis truncate ſolum, licet majori in parte etiam in Veſt. Comitiorum p. 124. relatum, integrum, & varias Juris jurandi eadem occaſione nuncupati formulas, quas Raynaldus in Vaticano MS. exſtare teſtatur quidem, nec tamen protulit, & quarum primi Editoris gloria mihi obtigit, beneficio Comitis Franciſci Széchényi, unius e præcipuis Eruditionis domeſticæ promotoribus, & conatuum meorum munifici Fautoris, qui ad honorificentiſſimam ſibi, & Genti Hungaræ Legationem Neapolitanam profecturus a me precibus, ſed ſuapte volenti ſuperfluis interpellatus, Romæ, Neapoli, aliisque in locis incredibili ſtudio, nec mediocribus profuſis ſumtibus in detegendis latentibus adhuc Patriam noſtram concernentibus monumentis Diplomaticis verſatus,

quid

Digitized by Google

quidquid obtinuit, obtinuit autem & plura, & momentoſa, & ſufficienti fide firmata, id totum mecum pro Inſtituto Diplomatico propria ſibi facilitate benevole communicavit.

Cum eodem Inſtrumento deſcriptum erat etiam Decretum II. ejusdem Andreæ II. Anno 1231. editum, quod in Veſtigiis Comitiorum p. 98. itidem primus integrum edidi. Ex Epigraphe Marinii mox præfigenda patebit, & iſtud, & Inſtrumentum illud, & Jurisjurandi formulas hic ſubjiciendas reperiri in Codice Membranaceo, qui aſſervatur in Pontificio Tabulario Secretiori Vaticano Armario XXXV. N. 18. poſt folium 269. cui plena fides adhibetur. Eſt autem Codex iſte nil aliud, quam Regeſtum, in quo ſimilia publica, & authentica Inſtrumenta ſcribebantur, quodve ſemper pro authentico habebatur, ut patet etiam ex Art. 31. Andreæ II. Decreti 1222. & ideo Codex iſte non in Bibliotheca Vaticana, ut alii MSS. Cod. ſed in Archivo Pontificio Secretiori Vaticano conſervatur. Habemus notitiam, ubi nam Andreæ II. Decreti II. authenticum Exemplar aſſervetur, cujus Copiam vidimatam prælaudatus Comes poſſidet, ex qua ego Copiam itidem vidimatam obtinui. Quod ſi ejusmodi Regeſta anteriorum poſteriorumque temporum diligenter omnia excuterentur, fortaſſis omnia, aut pleraque ſaltem primæ ætatis Regum noſtrorum Decreta, quorum tam paucæ ſuperſunt reliquiæ, detegerentur, & Patria completiore

Legum

Digitized by Google

Legum domeſticarum Collectione gloriari poſſet, & tum Originem multorum Inſtitutorum, quæ in Rep. Hungariæ olim obtinuiſſe hodieque obtinere videmus, unde tamen enata ſint ignoramus, non ex *vetuſta, & approbata conſvetudine*, quæ in Hiſtoria Juris eodem pene loco eſt, quo in philoſophia *Qualitates occultæ*, ſed ex ipſis poſitivis Legibus, ſeu priſcorum Regum Decretis, adeoque fontibus ipſis deduceremus, quod ex Decreto Andreæ III. mox ad Annum 1298. referendo luculentius patebit. Ita autem paulo ante memorata Inſtrumenta habent:

Monumenta ad Res Eccleſiaſticas Hungaricas ſpectantia ex antiquo Codice Membranaceo excerpta, qui adſervatur in Pontificio Tabul. Secretiori Vaticano Arm. 35. N. 18. a Folio 269. ad 274.

Andreas II. Jacobo Preneſtino Apoſtolicæ Sedis Legato Jusjurandum de obſervandis Eccleſiæ libertatibus præſtat. 1233. Men. Sept. Indictione 27.

„ Venerabili in Chriſto Patri, & Amico chariſſimo Jacobo DEI Gratia Preneſtino, electo Apoſtolicæ Sedis Legato, Andreas eadem Gratia Rex Ungariæ ſalutem cum conſtantia ſinceræ Dilectionis. Rex qui ſedet in Solio, Judicii teſte Rege Salamone, diſſipat omne malum intuitu ſuo. Hunc Regem Sanctiſſimæ & recolendæ memoriæ intelligimus Beatiſſimum Stephanum Gentis Hungariæ primum Regem, qui ad Regni Solium auctoritate propria noluit ſublimari, ſciens ſcriptum, quod nemo ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur a Deo, & ideo non a quolibet, ſed a Vicario Jeſu Chriſti, & Petri Beatiſſimi

„ Suc-

„ Succeſſore per revelationem Divinam ſummo Ponti-
„ fici factam aſſumpſit Regium Diadema, ſed & Pa-
„ rentibus ejus fuerat divinitus revelatum, quod ei
„ primo in gente noſtra Corona debebatur, & Re-
„ gnum; ſedens itaque in Cathedra cum David Sapien-
„ tiſſimus Princeps omne malum infidelitatis ſecundum
„ illa tempora, ut prædiximus, ſuo intuitu diſſipavit,
„ & obſtetricante manu ipſius a Gente Ungarica edu-
„ ctus eſt coluber tortuoſus. Sed & auctoritate ſummi
„ Pontificis, qui ipſum vocabat Regem, & Apoſtolum
„ Gentis noſtræ, Provincias per Epiſcopatus diſtinxit.
„ Eccleſias mirifice ampliavit. Et ſciens ſcriptum in
„ Iſaia, quod in Juſtitia regnabit Rex, & quod Juſti-
„ tia elevat Gentes, fecit Judicium & Juſtitiam inter
„ ſuos, ut Juſtitia, & Judicium eſſent præparatio Se-
„ dis ſuæ, ut & ſic divino munere, ut Rex Salamon
„ dixit, firmaretur Juſtitia Thronus ejus. Nos igitur,
„ qui hujus Sancti Regis hereditario Jure per Dei
„ Gratiam Regni Solium obtinemus cupientes, prædicti
„ S. Stephani in devotione Sanctæ Eccleſiæ veſtigia
„ imitari, & attendentes, quod noſtris temporibus
„ quædam dicebantur, committi, quæ in derogatio-
„ nem Fidei Chriſtianæ, & contra Sanctæ Eccleſiæ
„ Libertates fieri videbantur, propter quod Venerabi-
„ lis Pater R. Strigonienſis Archiepiſcopus in Regno
„ noſtro auctoritate Apoſtolica tulerat Sententiam in-
„ terdicti, ut Scandala talium peccatorum de Regno
„ noſtro per ſummum Pontificem aufferrentur. Nos
„ & Regnum per ſolemnes Nuncios petivimus per
„ Legatum noſtræ Provinciæ ſubveniri. Ipſe vero no-
„ ſtris juſtis petitionibus condeſcendens. Vos Reve-
„ rende Pater Domine Ja. Preneſtin. electe Apoſtoli-
„ cæ Sedis Legate, in Ungariam cum plenæ Legationis
„ Officio deſtinavit, ſicut in veſtris & nobis miſſis
„ inde Literis plenius continetur. Quare poſt tracta-
„ tus multiplices, & diverſos per Nicolaum Thavar-
„ nicorum, Mauritium Dapiferorum, Michaelem Aga-

„ zonum

Digitized by Google

„ zonum, Bagni Pincernarum Magiſtros Jobbagiones
„ Nuncios & Procuratores noſtros ad hoc ſpecialiter
„ deſtinatos, vobiſcum ſicut in ſtis — inde Literis
„ munitis Sigillo noſtræ Imaginis continetur, compo-
„ ſuimus in hunc modum: Vobis Domine Ja Preneſtin.
„ electe Apoſtolicæ Sedis Legate, Vice & Nomine
„ Romanæ Eccleſiæ ex omnium Eccleſiarum Ungariæ.
„ Nos Andreas Rex Ungariæ juramus ad Sancta DEI
„ Evangelia, omnia & ſingula capitula infra ſcripta
„ conſervare ſtatuentes, ea a filiis noſtris, & a noſtris
„ Succeſſoribus in perpetuum obſervari, & in nullo
„ contravenire, quacunque occaſione vel fraude com-
„ mittere in eis, quin fiant, ſicut inferius continen-
„ tur, & præcipiemus omnibus ſubditis noſtris in Re-
„ gno noſtro, quod omnia & ſingula obſervent. Et
„ ſiqui noſtri Mandati transgreſſores exſtiterint, ſicut
„ decuerit puniemus, & faciemus filios noſtros, &
„ Jobbagiones jurare ſecundum quod inferius de Ju-
„ ramento eorum continetur. Capitula autem ſunt
„ hæc. Judæos Saracenos, ſive Iſmaelitas de cetero
„ non præficiemus noſtræ Cameræ, monetæ, Salibus, col-
„ lectis, vel aliquibus publicis Officiis; nec aſſociabi-
„ mus eos præfectis, nec in fraudem aliquid facie-
„ mus, propter quod ab ipſis poſſint opprimi Chri-
„ ſtiani. Item nec permittemus in toto Regno noſtro
„ Judæos, Saracenos, vel Iſmahelitas præfici alicui
„ publico Officio. Item faciemus, quod Judæi, Sarace-
„ ni ſive Iſmahelitæ de cætero certis ſignis diſtinguan-
„ tur, & diſcernantur a Chriſtianis. Item non per-
„ mittemus Judæos, Saracenos, ſive Iſmaelitas manci-
„ pia Chriſtiana emere, vel habere quocunque modo.
„ Et promittimus per nos, & noſtros Succeſſores con-
„ ſtituere, & dare ſingulis annis Palatinum, vel alium
„ de Jobbagionibus noſtris, quem voluerimus, Chri-
„ ſtianæ fidei zelatorem, quem faciemus jurare, quod
„ mandatum noſtrum ſecundum iſta fideliter adimple-
„ bit, ad petitionem Epiſcopi, in cujus Dioeceſi ſunt,

„ vel

Digitized by Google

„ vel erunt Judæi, Pagani, vel Iſmaelitæ, ut Chri-
„ ſtianos extrahat a Dominio, & Cohabitatione Sarace-
„ norum. Et ſi qui inventi fuerint contra hæc Chri-
„ ſtiani cohabitantes Saracenis, vel Saraceni mancipia
„ habentes: Item Chriſtiani Saracenorum vel Sarace-
„ ni Chriſtianorum quomodocunque mulieribus copu-
„ lati, ſive ſub ſpecie Matrimonii, ſive alio modo,
„ Bonorum omnium copulatione tam Chriſtiani quam
„ Judæi, vel Pagani mulctentur, & nihilominus in
„ ſervitutem Chriſtianorum per Regem perpetuo de-
„ putentur. Item volumus, & concedimus, quod Ec-
„ cleſiæ libere portent ſales ſuos ad Eccleſias ipſas,
„ & ibi ſub Sigillo Salinariorum, & Prælati illius Ec-
„ cleſiæ, in qua Sales deponuntur, qui pro tempore
„ fuerint, deponantur, depoſitique ſerventur usque ad
„ octavam Sancti Stephani Regis, & tunc ab illo die
„ usque ad Nativitatem B. M. Virginis ſolvatur eis
„ argentum pro Salibus, quos tunc Eccleſiæ habue-
„ rint penes ſe ſecundum æſtimationem inferius anno-
„ tatam. Et ſi nullo Termino ipſi Salinarii ipſos Sa-
„ les non emerent, & Eccleſiis ſecundum dictam æſti-
„ mationem argentum non ſolverent, ex tunc omnes
„ Sales illos omni tempore libere in proprium uſum
„ Eccleſiæ percipiant, & vendant juxta ſuæ arbitrium
„ voluntatis. Et omne lucrum, quod deberemus nos,
„ vel alius Rex, qui pro tempore fuerit, vel ipſi Sali-
„ narii inde percipere, totaliter cedat in uſus Eccleſia-
„ rum, nec a Salinariis ipſis, vel novis, vel aliis
„ perſonis aliquo modo moleſtentur, quin poſſint,
„ quicquid placet eis facere ſemper de Salibus, ex
„ quo in dicto Termino non fuerit eis pecunia perſo-
„ luta. Idem dicimus de ſecundo Termino; ut a Feſto
„ B. Nicolai, usque ad feſtum B. Thomæ Apoſtoli pro
„ Salibus, quos apud ſe habebunt Eccleſiæ ſub Sigillo
„ Salinariorum, ſolvatur eis argentum ſecundum æſti-
„ mationem annotatam. Quod ſi factum non fuerit,
„ idem fiat; quod in caſu ſuperiori de Salibus dictum

„ eſt.

Digitized by Google

„ eſt. Argentum vero, quod prædictis Eccleſiis perſol-
„ vetur, erit in Bonis Triſaticis vel in argento, cujus
„ decima pars comburetur. Pretia vero Salium ſunt
„ hæc, quod pro quolibet *Tinno* Salium aquatiquorum
„ perſolventur Eccleſiis octo Marcæ, excepta Domo
„ hoſpitalis Jeroſolimitani, & Eccleſiis Colocen &
„ Batien, quibus pro quolibet *Tinno* dabimus decem
„ Marcas, ſi dictæ Eccleſiæ Colocen & Batien de-
„ beant deferre Sales ſuos in Zegvedin vel ultra, alio-
„ quin octo Marcas habebunt, pro majoribus vero
„ Salibus aquaticis dabimus Abbatiæ de Egris vigin-
„ ti ſex Marcas, pro quolibet Tinno, & Eccleſiæ Oro-
„ dien, viginti quinque ſimiliter, pro quolibet Tinno;
„ pro Salibus vero terreſtribus dabimus unam Mar-
„ cam pro centum Zuanis, ſi Sales ſuos debeant
„ habere in confiniis, excepto Monaſterio Sancti Got-
„ hardi, cui pro octvaginta Zuanis dabimus unam
„ Marcam. Nos vero, & quicunque fuerit Rex, pro
„ tempore debemus mittere Sales ad confinia ſecun-
„ dum tenorem Privilegiorum Eccleſiarum, & depo-
„ ni debent in Domibus Privilegiatorum, ubi ſtabunt
„ ſub Sigillo Salinariorum, usque ad prædictos Ter-
„ minos, & eodem modo omnia ſerventur a nobis,
„ & ab ipſis, ſicut dictum eſt in Terminis ſupradictis,
„ Eccleſiæ vero retinebunt de Salibus ſuis ad uſus
„ ſuos hoc modo. Abbatia de Egris tres Tamnos, Præ-
„ poſitus Orodien cum Capitulo ſuo duo Millia La-
„ pidum, hoſpitalis Jeroſolimitan cum omnibus Do-
„ mibus ſuis de Ungaria quatuor *Tinnos* de talibus Sa-
„ libus, quales habet Monaſterium de Egris, Monaſte-
„ rium S. Gothardi duo Millia, & quingentos Zuanos.
„ Eccleſia Varadienſis duo Millia, Eccleſia de Pernoch
„ Mille Zuanos, Eccleſia de Zerrt Mille Zuanos, Ec-
„ cleſia Colocenſis unum *Tamnum*, Eccleſia Baſien-
„ ſis unum Tamnum, Eccleſia Albenſis Tranſylvanien-
„ ſis duo Millia Zuanorum, Eccleſia de Bul-z quin-
„ que Millia, Eccleſia de Epurjes tria Millia, Eccle-
„ ſia

Digitized by Google

„ ſia de Biſtern quatuor Millia, Eccleſia de Zaduſt „ Mille, Eccleſia de Tiſoh Mille, Eccleſia de Rom- „ ſa quatuor Millia, Eccleſia de Canez duo Millia, „ Eccleſia Sancti Philippi Mille, Eccleſia de Solech „ quingentos, Eccleſia de Vasvar Mille, Eccleſia Ce- „ nadienſis quinque Millia, Eccleſia Triculen tria „ Millia, Eccleſia de Ched Mille Zuanos, Eccleſia „ Strigonienſis duo Millia Zuanorum, Eccleſia Alben- „ ſis totidem, Eccleſia Budenſis duo Millia, Eccleſia „ de Boccan duo Millia Zuanorum, Eccleſia de Pelis „ totidem, Eccleſia de Beerz Mille Zuanos. Aliæ „ vero Eccleſiæ, quarum nomina non exprimuntur, re- „ cipient, ad uſum ſuum, ſecundum quod Prælati ea- „ rum in animas ſuas dixerint. Item volumus, & con- „ ſentimus, quod Sales in ſalifodinis non vendantur „ carius, quam antiquitus vendi conſveverunt Ec- „ cleſiis, quæ conſveverunt emere Sales. Pro rediti- „ bus vero Eccleſiarum, qui hactenus ſunt ſubtracti „ in Salibus, exceptis Decimis perſolvemus decem „ Millia Marcarum per quinque Annos continuos, „ qui anni incipiunt computari a proximo Paſcha Re- „ ſurectionis Dominicæ, & ſolutionem faciemus hoc „ modo: in primo Anno in Nativitate B. Virginis ſol- „ vemus Mille Marcas. In Feſtivitate Sancti Thomæ „ Apoſtoli Mille Marcas alias, & ſic poſtea quolibet „ Anno continue faciemus, quousque dictam pecuniam „ decem Millia Marcarum perſolvamus, & totam „ iſtam pecuniam perſolvemus in dictis Terminis Epi- „ ſcopo Cenadienſi Abbati S. Martini de Pannon, Ab- „ bati Egrienſi vel eorum Procuratoribus habentibus „ a Dominis ſuis Procuratorias, ſuper hoc Literas ſpe- „ ciales, vel duobus ex prædictis, vel Procuratoribus „ eorum. Et ſolvemus eam in Domum Fratrum Præ- „ dicatorum in præſentia Capituli, vel majoris partis „ diſtribuendam, & ordinandam ſecundum volunta- „ tem dicti Legati de Conſilio Strigonienſis & Colo- „ cenſi Archi-Epiſcoporum. Et nihilominus ſi præ-

„ dictam

„ dictam pecuniam decem Millia Marcarum nec ſol-
„ verimus, in ſingulis Terminis ſicut ſuperius eſt ex-
„ preſſum volumus, & conſentimus, quod Eccleſiæ,
„ quibus Sales ſunt ſubtracti, non obſtante iſta com-
„ poſitione libere & integre ſint in eodem ſtatu &
„ Jure, in quo erant ante compoſitionem iſtam. Item
„ nolumus, nec permittemus, quod de cætero tra-
„ ctentur cauſæ dotium, vel matrimoniales per nos,
„ vel per alios Judices Sæculares, quia de his nolu-
„ mus nos intromittere, nec debemus, ſed per Judi-
„ ces Eccleſiaſticos tractentur, & terminentur. Item
„ volumus & conſentimus, quod Clerici & Perſonæ
„ Eccleſiaſticæ reſpondeant, & conveniantur, coram
„ Eccleſiaſtico Judice ſuper omnibus exceptis Judiciis
„ Terrarum, de quibus volumus, quod tam per vos
„ Domine Legate, quam per nos conſulatur Dominus
„ PP. expreſſis eidem circumſtantiis facti, in quibus cir-
„ cumſtantiis inter alia exprimatur, quod vos a Præ-
„ latis Ungariæ percepiſtis, quod Judicia Terrarum
„ Eccleſiarum, & terrarum Clericorum ſemper con-
„ ſveverint agitari, & terminari per Reges Ungariæ,
„ quicunque pro tempore exſtiterunt, & quod a Præ-
„ latis Ungariæ percepiſtis, quod ſi Judicia Terrarum
„ Eccleſiaſticarum ſubtraherentur, a noſtro Judicio
„ damnoſum eſſet Eccleſiis plurimum & periculoſum,
„ quia per hæc multa de Jure Eccleſiaſtico poſſent
„ deperire. Nullas collectas, & nullum Lucrum im-
„ ponemus, vel recipiemus a Clericis & Eccleſiaſticis
„ Perſonis, & contra eorum Privilegia, ſi qua haben-
„ tur ſcienter non veniemus. Super Collectis vos per
„ Regnum noſtrum aliis imponendis per nos & Lega-
„ tum conſulatur Dominus PP. ſicut conveniemus cum
„ eodem de conſultatione facienda Domino PP. ſuper
„ Judiciis terrarum. Et hæc omnia ſponte, & ſine
„ conditione promittimus, & juramus, Juramentum
„ filiorum, & Jobbagionum erit tale. Nos promit-
„ timus, & Juramus, quod omnia Capitula ſupra-

„ ſcripta

„ ſcripta nos tangentia obſervabimus nunc & in futu-
„ rum, & ad ea, quæ tangunt Perſonam Regis, dabi-
„ mus, rogando, & conſulendo operam, quod Rex,
„ quicunque pro tempore fuerit, omnia prædicta, &
„ ſingula debeat obſervare. Et hæc omnia ſponte,
„ & ſine conditione promittimus, & juramus. Item
„ ſingulis Eccleſiis Sales habentibus, hoc Anno dabi-
„ mus patentes Literas noſtras, ſuper Salibus ſuis ſe-
„ cundum formam compoſitionis iſtius, ſuper his ob-
„ ſervandis omnibus dabimus tria paria Literarum no-
„ ſtra Bulla aurea ſigillatarum, quam compoſitionem
„ prædictam duabus vicibus juravimus, & promiſimus
„ ſemper firmiter obſervare. Super hæc duo paria
„ Literarum vobis cum Bulla noſtra aurea conceden-
„ tes, & chariſſimum Filium noſtrum Belam Regem
„ Illuſtrem, & quosdam noſtros Jobbagyiones, qui
„ nobis aderant, apud ſylvam Berech fecimus jurare
„ ſuper prædictis omnibus obſervandis, quæ omnia
„ ſicut olim promiſimus, & juravimus Nunciis veſtris
„ recipientibus loco veſtri & vice Eccleſiæ Romanæ,
„ & Ungariæ, & velut in prædictis duobus paribus
„ Literarum noſtra Bulla aurea confirmatis, hæc ple-
„ nius continentur, ſic & modo, in veſtra præſentia
„ Domine Legate prædicta omnia recognoſcimus be-
„ ne feciſſe, & univerſa & ſingula faciemus, ſta-
„ tuentes & promittentes, vobis Domine Legate re-
„ cipientibus vice & Nomine Eccleſiæ Romanæ &
„ Ungariæ, per Nos, & Succeſſores noſtros omnia
„ & ſingula fideliter adimplere, & imperpetuum ob-
„ ſervare, & a cunctis noſtris ſubditis facere penitus
„ obſervari, quæ omnia prædicta noſtræ Majeſtatis
„ aurea Bulla fecimus communiri, ne aliquibus in
„ futurum aliqua dubietas oriatur. Acta ſunt hæc in
„ hoſpitali Cruciferorum Sancti Regis de Strigonio.
„ In præſentia Venerabilis Patris Domini Jacobi Pre-
„ neſtini Electi Apoſtolicæ Sedis Legati; præſentibus
„ Domino R. Strigonienſi Archi-Epiſcopo, Magiſtro

„ Michaele, Albenſi Præpoſito, Abbate Varadienſi, &
„ Præpoſito Strigonienſi, Præpoſito de Poſuga, & Præ-
„ poſito Veſzprimienſi, Archi Diacono de Suasvar,
„ Archi-Diacono Borſienſi, Priore Provinciali Fra-
„ trum Minorum de Ungaria, Fratrum Marco Ordi-
„ nis Prædicatorum Magiſtro Sancti Sanxonis, Magi-
„ ſtro Sancti Lazari de Strigonio. Datum per Manus
„ Venerabilis Ugolini Colocenſis Archi Epiſcopi, Au-
„ læ Regiæ Cancellarii, Menſe Septembris, Die Indi-
„ ctione Sexta, Anno Domini Incarnationis Milleſimo
„ Ducenteſimo Triceſimo Tertio. Venerabili R. Stri-
„ gonienſi Archi-Epiſcopo exiſtente, Cleto Agrienſi,
„ Gregorio Geurienſi, Britio Vacien. Bartholomeo
„ Veſprimienſi, Stephano Zagrabienſi, Bartholomeo
„ Quinque Eccleſienſi, Rainaldo Tranſylvanienſi,
„ Bulzo Cenadienſi, Benedicto Varadienſi Epiſcopis,
„ Eccleſias Dei feliciter gubernantibus. Dioniſio Co-
„ mite Palatino, Demetrio noſtræ Aulæ Curiali Co-
„ mite, & Batienſi, Nicolao filio Boz Suprun, Ladislao
„ Moſſonienſi, Petro fratre Marcelli Nyttrienſi, Ste-
„ phano Bichorienſi Comitibus, Nicolao Magiſtro Tau-
„ varnicorum, & Comite Poſonienſi, Mauritio Dapi-
„ ferorum, Michaele Agazonum, Bagyn Pincernarum
„ Magiſtris, & aliis, quam pluribus Comitatus tenen-
„ tibus Regni Noſtri Anno Triceſimo.

(LS.) *Collatione diligenter facta cum Codice præfato, cui plena fides adhibetur, teſtor præſens ſumptum, accurate fuiſſe exſcriptum, idque mea manu Signoque munio. Dabam ex Tabulario Vaticano VII. Calend. Majas Anno* 1792.

Calliſtus Marinius Tabul. Secr. Vatican. Præfectus.

Monu-

Digitized by Google

Monumenta ad Res Eccleſiaſticas Hungaricas ſpectantia ex antiquo Codice membranaceo excerpta, qui adſervatur in Pontificio Tabulario Secretiori Vaticano arm. 35. *N.* 18. *fol.* 275. *t. ad* 277.

Juramentum Belæ Regis Ungariæ, ſuper compoſitione ſervanda inter Jacobum Preneſtinum Electum Apoſtolicæ Sedis Legatum nomine Eccleſiæ Romanæ, & Andream Regem Patrem ipſius Belæ.

„Robertus DEI Gratia Strigonienſis Archi-Epi-
„ ſcopus, Renaldus Ultraſilvanus, Baſilius Thenadus,
„ Benedictus Waradus, Theodricus Cumanorum, Jo-
„ annes Boſnen. Epiſcopi. Univerſis præſentes Lite-
„ ras inſpecturis ſalutem in Domino: Noveritis Nos
„ Literas Juramenti Domini Belæ Regis ſuper forma
„ compoſitionis inſpexiſſe in hunc modum. Univerſis
„ pateat hæc lecturis, quod Nos Rex Bela, ſuper fa-
„ cto compoſitionis ſervandæ inter Venerabilem Do-
„ minum Jacobum Preneſtinum Electum Apoſtolicæ
„ Sedis Legatum, & Dominum Andream Illuſtriſſi-
„ mum Regem Patrem noſtrum quondam factæ, & nuper
„ ſolenni Sacramento, & aurea Bulla firmatæ iuravimus
„ in hunc modum: Nos Bela DEI Gratia Rex primo-
„ genitus Domini Andreæ, Illuſtris Regis Ungariæ, vo-
„ bis Patri Bartholomeo Veſprimien. Epiſcopo & Ma-
„ giſtro cognoſcenti Strigon. Canonico Nuncio &
„ Capellano Venerabilis dicti Legati recipientibus no-
„ mine, & mandato ejusdem & vice ac Nomine
„ Romanæ Eccleſiæ omnium Eccleſiarum de Ungaria,
„ de Conſilio Curiæ noſtræ, ſponte absque ulla condi-
„ tione tactis Sacro Sanctis Evangeliis promittimus, &
„ juramus, quod in omnibus, & per omnia tenebi-
„ mus, & obſervabimus bona fide, ſine fraude nunc,

Digitized by Google

„ & imperpetuum omnia & ſingula Capitula ſcripta,
„ in compoſitione præfata in his videlicet, quæ Nos
„ tangunt, vel tangent, & faciemus a noſtris ſubdi-
„ tis inviolabiliter obſervari. In iis vero, quæ tangunt,
„ vel tangent præfatum Patrem noſtrum, dabimus ope-
„ ram, ſtudioſe rogando, hortando, & conſulendo bo-
„ na fide, ſine ulla doloſitate, ut omnia & ſingula
„ Capitula dictæ compoſitionis ipſe impleat penitus,
„ & obſervet. Cumque DEO propitio erimus in Solio
„ debitæ ſucceſſionis Regiæ Majeſtatis, quæcunque
„ nos tangent de prædicta compoſitione, vel de con-
„ tingentibus, eam in omnibus & per omnia implebi-
„ mus, & obſervabimus cuncta penitus bona fide, &
„ faciemus a cunctis noſtris ſubditis ea quælibet in
„ omnibus fideliter obſervari, nec ſuper prædictis,
„ vel aliquo prædictorum fraudem, ſeu machinatio-
„ nem aliquam committemus, vel per aliquem, vel ab
„ aliquo faciemus, vel patiemur ullo modo commit-
„ ti. Quin omnia & ſingula per Nos & noſtros ma-
„ neant illibata, & incorrupta omni tempore obſer-
„ ventur. Præterea Jobagiones noſtros, qui tunc ad-
„ erant, iurare fecimus, ſicut in factis inde Literis
„ continetur. Iſta, & omnia ſupradicta juſſimus no-
„ ſtri pendentis Sigilli munimine roborari. Actum
„ apud Silvam Beregg, Perous Magiſtro Tavarnicorum
„ noſtrorum, Dioniſio Wojawada, Mathia Præpoſito,
„ Aulæ noſtræ Cancellario, Luca Bano de Sceurim, &
„ multis aliis Regni Nobilibus præſentibus, ſub Anno
„ Domini Milleſimo Ducenteſimo Triceſimo Tertio. In-
„ dictione ſexta, die decimo, exeunte Auguſto. In Te-
„ ſtimonium igitur hujus Rei harum ſeriem noſtrorum Si-
„ gillorum munimine fecimus roborari. Datum Strigo-
„ nii Undecimo Calend. Martii.

Jura-

Juramentum Archi-Epiſcoporum & Epiſcoporum de compoſitione ſervanda.

„Robertus DEI Gratia Strigonien. & Ugulinus „ Colocen. Archi-Epoiſcopi, Cletus Agrien. Bartho- „ lomeus Veſprimien. Bricius Vachien. Renaldus Ul- „ traſilvanus, Stephanus Zagrabien. Benedictus Vara- „ dien. & Jacobus Nitrien. Epiſcopi. Univerſis præ- „ ſentes Literas inſpecturis ſalutem in Auctore ſalutis.

„ Vobis tenore præſentium facimus manifeſtum, „ quod Nos ſponte, & ſine conditione in præſentia „ Venerabilis Patris Domini Jacobi Preneſtini Electi „ Apoſtolicæ Sedis Legati promiſimus, & iuravimus; „ Nos obſervaturos nunc & in futurum omnia Capi- „ tula, quæ ſunt in compoſitione facta inter eundem „ Patrem & Dominum Andream Regem Ungariæ Il- „ luſtrem, ſuper negotiis Regni & Eccleſiæ, quæ Ca- „ pitula Nos contingunt. Ad ea vero, quæ tangent „ Perſonam Regis, dabimus rogando, & conſulendo „ operam, quod Rex quicunque pro tempore fuerit, „ omnia & ſingula in compoſitionem ipſam deducta „ faciat & obſervet. In cujus Rei Teſtimonium præ- „ ſentes Literas noſtris Sigillis fecimus roborari. Da- „ tum anno Gratiæ Milleſimo Ducenteſimo Triceſimo „ Quarto, ſexto decimo Cal. Febr. Indictione ſexta.

Monitio facta Domino Belæ Regi de ſervanda forma pacis poſt Juramentum ſuum.

„ Venerabili in Chriſto Patri, ac Domino Jaco- „ bo miſeratione Divina Preneſtino, Electo Apoſtolicæ „ Sedis Legato, Innocentius DEI Gratia Epiſcopus „ Sannen. & Magiſter Albertus Phyſicus Capellanus „ noſter, reverentiam tam debitam, quam devotam „ Dominationi Veſtræ volumus fieri manifeſtam, quod „ Literas, quas Domino Belæ Illuſtri Regi per Nos de- „ ſtinaſtis, eidem exhibuimus, cujus forma talis erat:

„ Cariſſimo in Chriſto & Magnifico Viro Domino B.
„ Regi, Domini Andreæ Regis Ungariæ primogenito,
„ Jac. miſeratione Divina Preneſtinus Electus Apo-
„ ſtolicæ Sedis Legatus ſalutem, & bonorum omnium
„ Incrementum. Cum Veſtram luſtramur prudentiam,
„ illuſtrem Veſtri memoriam non querimus illuſtrare,
„ placere tamen credimus, ſi placita inter vos & Pa-
„ trem veſtrum habita veſtro ingenio mediante, quam
„ iuraſtis, veſtram rogemus amicitiam obſervare. Hinc
„ eſt, quod dilectionem veſtram obſecramus pariter,
„ & monemus, quatenus ſuper Salibus tam præſentis
„ Anni, quam futurorum, quo ad Celſitudinem ve-
„ ſtram ſpectat, Eccleſiis ſatisfaciatis, aut cum effectu
„ ſatisfieri jubeatis. Saracenos etiam, vel quoslibet in-
„ fideles quantum ad vos pertinet, nec præficiatis
„ publicis Officiis, nec ab aliis præfici permittatis.
„ Sed & quæ ad Dominum Regem Patrem veſtrum
„ ſpectare noſcuntur, in compoſitionem deducta, i-
„ pſum ſicut promiſiſtis, inducere, ac movere curetis,
„ ut absque illibatione, & difficultate obſervet. Enim
„ vero, qui ad præſens vobiſcum loqui perſonaliter
„ non valemus, pauca de pluribus per dilectos in
„ Chriſto Patrem Epiſcopum Sirimen & Socium, &
„ Capellanum noſtrum Magiſtrum Albertum veſtræ
„ Magnificentiæ intimamus, ſuper his per eosdem re-
„ ſponſionem veſtræ Magnitudinis expectantes, quos
„ propterea ad veſtram præſentiam deſtinamus, ut ad
„ obſervantiam tam præmiſſorum, quam aliorum o-
„ mnium, quæ in compoſitionem, quam habuimus cum
„ Patre veſtro, venerunt, vos vice noſtra moneant, &
„ inducant, quatenus perſonam veſtram contingere
„ dignoſcuntur. Quippe veſtram nolumus latere pru-
„ dentiam, quod cum pauca, vel nulla de compoſi-
„ tione, poſt tot juramenta conſpiciamus ſervata illo-
„ rum contumaciam, & contemptum, quæ propria
„ circa hoc ſervare non ſtuduerint, Juramenta diu
„ non poterimus ſub diſſimulatione tranſire. Quibus

„ exhi-

Digitized by Google

„ exhibitis ipſum monuimus viva voce. De omnibus „ his, quæ in præmiſſis Literis continentur. Monuimus „ etiam Nobilem virum Dominum Perous, ipſius Re- „ gis Tavarnicorum Magiſtrum, Julam Varami, Ma- „ theum Comitem, ut ſecundum quod ipſi intraverant, „ omnia in compoſitione deducta, perſonas eorum tan- „ gentia, inviolabiliter obſervarent. In ſpectantibus ve- „ ro ad Regem ipſum, Regem monendo, inducendo, „ ac conſulendo eidem darent operam cum effectu, „ ut idem Rex effectui mancipet, & obſervet. In cu- „ jus rei teſtimonium præſentes Literas noſtrorum Si- „ gillorum munimine duximus roborandas. Dat. „ Bach. Anno Gratiæ Milleſimo Ducenteſimo Triceſi- „ mo Tertio, quinto Calen. Decembris.

Juramentum Regis Belæ ſuper pace ſervanda.

„ Univerſis pateat hæc lecturis, quod Nos Rex „ Bela ſuper facto compoſitionis ſervandæ inter Domi- „ num Venerabilem Jacobum Preneſtinum Electum „ Apoſtolicæ Sedis Legatum, & Dominum Andream „ Illuſtriſſimum Regem Patrem noſtrum, quondam fa- „ ctæ, & nuper ſolenni Sacramento & aurea Bulla „ ejus firmitate juravimus in hunc modum. Nos „ Bela DEI Gratia Rex primogenitus Domini Andreæ, „ Illuſtris Regis Ungariæ, Vobis Venerabili Patri Bar- „ tholomeo Veſprimien. Epiſcopo, & Magiſtro cog- „ noſcenti, Strigonien. Canonico Nuncio & Capel- „ lano Venerabilis dicti Legati recipientibus, nomine „ ac mandato ejusdem & vice ac Nomine Romanæ „ Eccleſiæ, omniumque Eccleſiarum de Ungaria, de „ Conſilio Curiæ noſtræ ſponte, absque ulla condi- „ tione tactis Sacro Sanctis Evangeliis promittimus, & „ iuramus, quod in omnibus, & per omnia tenebi- „ mus, & obſervabimus bona fide, ſine ulla fraude „ nunc, & in perpetuum omnia & ſingula Capitula „ ſcripta in compoſitione præfata, in his videlicet,

Digitized by Google

„ quæ nos tangunt, vel tangent, etiam faciemus a no„ ſtris ſubditis inviolabiliter obſervari. In aliis vero, „ quæ tangunt, vel tangent præfatum Patrem noſtrum, „ dabimus operam ſtudioſe rogando, hortando, & con„ ſulendo, bona fide, ſine ulla doloſitate, ut omnia ſin„ gula Capitula dictæ compoſitionis ipſe impleat pe„ nitus, & obſervet. Cumque DEO propitio erimus „ in Solio debitæ ſucceſſionis Regiæ Majeſtatis, quæ„ cumque Nos tangent de prædicta compoſitione, vel „ de contingentibus, eam in omnibus, & per omnia „ implebimus, & ſervabimus cuncta penitus bona fide, „ & faciemus a cunctis noſtris ſubditis, ea quælibet „ in omnibus fideliter obſervari. Nec ſuper prædi„ ctis, vel aliquo prædictorum fraudem, ſeu machina„ tionem aliquam committemus, vel per aliquem, vel „ ab aliquo faciemus vel patiemur ullo modo com„ mitti, quin omnia ſingula per Nos, & noſtros ma„ neant illibata, & incorrupta omni tempore con„ ſerventur. Præterea Jobagiones noſtros, qui tunc „ aderant, jurare fecimus, ſicut in factis inde Literis „ continetur. Iſtaque omnia ſupra dicta juſſimus no„ ſtri Sigilli pendentis munimine roborari. Actum „ apud Silvam Beregh; præſentibus Perous Magiſtro „ Tavarnicorum noſtrorum, Dyoniſio Woyavoda, Ma„ thia Præpoſito, Aulæ noſtræ Cancellario. Luca Ba„ no de Seurin, & multis aliis Regni Nobilibus præſen„ tibus, ſub Domini Milleſimo Ducenteſimo Triceſimo „ Tertio, indictione ſexta, die decimo, exeunte Auguſto.

Juramentum Regis Belæ de hæreticis & aliis contra fidem Catholicam de terra ſua extirpandis.

„ Nos Bela DEI Gratia Rex primogenitus Do„ mini Andreæ Regis Ungariæ Illuſtris, univerſis præ„ ſentes Literas inſpecturis, facimus manifeſtum, quod „ ad petitionem Venerabilis Patris Domini Jacobi „ Preneſtini, Electi Apoſtolicæ Sedis Legati, in ipſius

„ præ-

Digitized by Google

„ præſentia, & plurimorum aliorum iuravimus ad San-
„ cta DEI Evangelia, quod de terris noſtræ Jurisdi-
„ ctioni ſubjectis, & quæ in futurum dante Domino
„ ſubjicientur, univerſos hæreticos, & alios Chriſtianos,
„ qui relicta fide Chriſtianitatis ad ſuperſtitionem I-
„ ſmahelitarum, vel Judæorum pervertuntur, quocun-
„ que nomine cenſeantur, & falſos Chriſtianos de ter-
„ ris noſtris bona fide ſtudebimus pro viribus exſtir-
„ pare. Et eos, qui Romanæ Eccleſiæ in terra noſtra
„ ſunt inobedientes, juxta ritum unius cujusque na-
„ tionis, qui non ſit contra fidem Catholicam, com-
„ pellemus obedire Romanæ Eccleſiæ. In cujus rei
„ teſtimonium præſentes Literas noſtri Sigilli munimi-
„ ne juſſimus roborari. Datum Strigon. Septimo Ca-
„ len. Martii. Anno Gratiæ Milleſimo Ducenteſimo Tri-
„ ceſimo Quarto.

Juramentum Colomanni Regis & Ducis Sclavoniæ de compoſitione Pacis prædictæ ſervanda.

„ Nos Colomannus DEI Gratia Rex, & Dux totius
„ Sclavoniæ. Omnibus præſentes Literas inſpecturis fa-
„ cimus manifeſtum; nos vidiſſe, & habuiſſe Literas ſi-
„ gillatas, Sigillo Domini Andreæ Illuſtris Regis Un-
„ gariæ Patris noſtri, & notaſſe Capitula ſingula dili-
„ genter ſuper compoſitione habita inter Venerabilem
„ Patrem Jacobum Preneſtinum, Electum Apoſtolicæ
„ Sedis Legatum ex una parte, & prædictum Domi-
„ num Andream Regem, ex altera, ſuper negotiis Ec-
„ cleſiarum Ungariæ, & aliis, & tenore præſentium
„ promittimus, & juramus, quod omnia & ſingula, in
„ compoſitionem prædictam deducta, quæ nos tangunt,
„ & de cetero tangent, obſervabimus nunc, & in futu-
„ rum, & ad ea, quæ tangunt, vel tangent Regem Un-
„ gar. dabimus rogando, & conſulendo operam, quod
„ Rex, qui eſt, & quicunque pro tempore fuerit, &
„ omnia Capitula & ſingula debeat obſervare. In cu-

„ jus

Digitized by Google

„ jus Rei teſtimonium præſentes Literas, ad petitionem
„ prædicti Legati Sigillo noſtro fecimus communiri.

Juramentum Calo Joannis filii Jurſac Imperatoris Conſtan. & aliorum ſuper eodem.

„ Noſcant Univerſi præſentes Literas inſpecturi,
„ quod Nos Bealoti Ioannes, filius quondam Iurſac
„ Imperatoris Conſtan. Demetrius Judex Aulæ Regiæ,
„ & Comes Symon, vobis Domine Jacobe Apoſtolicæ
„ Sedis Legate, vice & Nomine Romanæ Eccleſiæ, &
„ omnium Eccleſiarum Ungariæ ſponte, ac ſine con-
„ ditione tactis Sacro Sanctis Evangeliis promittimus,
„ & iuramus, quod in omnibus, & per omnia bona
„ fide tenebimus, & obſervabimus nunc, & in futurum
„ omnia, & ſingula Capitula, quæ ſunt in compoſitio-
„ ne veſtra, & Domini Andreæ Regis Ungariæ, nos
„ tangentia, & in his, quæ tangunt dictum Regem præ-
„ ſentem, vel alium, qui pro tempore fuerit, dabimus
„ operam ſtudioſe hortando, rogando, & conſulendo in
„ omnibus bona fide, ut omnia & ſingula Capitula in
„ ipſa compoſitione facta, aurea Bulla ipſius Regis
„ ſignata, imperpetuum impleat, & obſervet. In cu-
„ jus rei teſtimonium præſens ſcriptum noſtris Sigil-
„ lis duximus roborandum. Act. decimo Calen. Octo-
„ bris.

Juramentum quorundam Nobilium ſuper eodem.

„ Nos Jula Magiſter Tavarnicorum, Demetrius Ma-
„ giſter Dapiferorum, & Opoy Comes de Simmigh, te-
„ nore præſentium promittimus, quod omnia Capitula
„ deducta in compoſitionem factam, inter Venerabilem
„ Patrem Jacobum Preneſtinum, Electum Apoſtolicæ
„ Sedis Legatum ex una parte, & Andream Illuſtrem
„ Regem Hung. ex altera, quæ Nos tangunt, & de
„ cetero tangent, obſervabimus nunc, & imperpetuum,
„ in

Digitized by Google

„ in futurum, & ad ea, quæ tangunt perſonam Regis, „ dabimus rogando, & conſulendo operam, quod Rex „ quicunque pro tempore fuerit, omnia Capitula, & „ ſingula debeant obſervare. In cujus rei teſtimonium „ præſentes Literas ad petitionem prædicti Legati Si- „ gillis noſtris fecimus communiri.

Confirmatio Privilegii Regis facta, Archi-Epiſcopo Colocenſi de Judiciis terrarum, ut non cogantur Clerici reſpondere ſub Judice Seculari.

„ Univerſis præſentes Literas inſpecturis. Jacobus „ miſeratione Divina Preneſtinus, Electus Apoſtolicæ „ Sedis Legatus, ſalutem in Domino. Noveritis, quod „ Nos legimus quasdam Literas Domini Gregorii noni „ Papæ, Sigillo ſuo munitas, & cum ſeta, quarum te- „ nor talis eſt: Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum „ DEI. Venerabili Fratri Archi-Epiſcopo Colocen. Sa- „ lutem & Apoſtolicam Benedictionem. Chriſtiani „ Principes nunquam Chriſto placere melius compro- „ bantur, quam ſi ſponſam ejus Eccleſiam in miniſtris „ ſuis diligant, & in ſua libertate conſervent, hoc au- „ tem attendens, ſicut expoſuiſti nobis Chariſſimus in „ Chriſto filius noſter Illuſtris Rex Ungariæ, tanquam „ Princeps Catholicus, & devotus, libertatem, & immu- „ nitatem univerſis Clericis a jure conceſſam, ne vi- „ delicet ad ſeculare Judicium pertrahantur, & ne exa- „ ctiones aliquæ vel collectæ quacunque occaſione „ imponantur, eisdem ſpecialiter conceſſit Clericis Re- „ gni ſui, quam petiſti provinciæ tuæ Clericis con- „ firmari. Nos igitur Fraternitatis tuæ precibus in- „ clinati, quod ab eodem Rege pie factum eſt in „ hac parte, prout in conceſſionis ſuæ Literis contine- „ tur, ejusdem provinciæ Clericis auctoritate confir- „ mamus, & præſentis ſcripti Patrocinio communimus. „ Nulli ergo omnino hominum liceat hanc pagi- „ nam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu

„ teme-

„ temerario contraire. Si quis autem hoc attentare
„ præſumpſerit, indignationem Omnipotentis DEI, &
„ Beatorum Petri & Pauli ejus ſe noverit incurſurum.
„ Datum Peruſii III. Calen. Januarii. Pontificatus no-
„ ſtri Anno Secundo. Nos autem hujusmodi tranſ-
„ cripto in ſignum Teſtimonii noſtrum Sigillum du-
„ ximus apponendum.

(LS.) *Collatione diligenter facta cum Codice præfato, cui plena fides adhibetur, teſtor præſens ſumptum accurate fuiſſe exſcriptum, idque mea manu, ſignoque munio. Dabam ex Tabulario Vaticano VII. Calen. Junias anno 1792.*

Calliſtus Marinius Tab. Secr. Vatic. Præfectus.

Andreæ II. Juramentum Regno præſtitum habetur ſub authentico in Archivo Archiepiſcopi Strigonienſis, an illud tempore Coronationis depoſitum, an Anno 1233. nuncupatum, definire non poſſum, cum ejus contextum non viderim, ſed hanc notitiam ſolum ex Elencho Inſtrumentorum ejusdem Archivi inter MSS. Heveneſiana reperibili hauſerim.

Reflexione dignum eſt, quod & Andreas II. in Decreto II. Anno 1231. & Bela IV. in Decreto Anno 1267. editis, in Veſtigiis Comitiorum primum vulgatis, uterque in concluſione, pro caſu, quo conceſſas Regno in illis immunitates non obſervarent, ſemet excommunicationi Archiepiſcopi Strigonienſis ſubjiciant, cum tamen uterque obtento a Papa Privilegio, ne ſine ſpeciali licen-

licentia Sedis Apoſtolicæ a quocunque excommunicari, aut interdicto Eccleſiaſtico ſubjici poſſint, de immuninate in omnem caſum ſibi providerint. Didici iſtud ex Elencho complurium Inſtrumentorum Hungariam concernentium, & adhucdum Romæ conſervatorum ſequenti indicio:

„ Avendo il Re (Andrea II.) ubbidito al Legato
„ Apoſtolico, ed accettato le Conſtitutioni da lui
„ publicate in vantagio della Religione, il Papa
„ gl' accorda la grazia, che non poſs' eſſer
„ ſcommunicato, o interdetto ſenza ſpeziale li-
„ cenza della ſede Apoſtolica. Si trova in Li-
„ bro delle Lettere di Gregorio IX. dell' Anno
„ 9. foglio 68. Conſimile prerogativa conceduta
„ al Re Bela IV. ſi trova libro delle Lettere d'
„ Innocenzo IV. dell' Anno 2. fogl. 157.

Imo pro majori & omnimoda ſecuritate Capellano Belæ IV. conceſſa fuit facultas abſolvendi a quacunque excommunicatione incurſa, quod in eodem Elencho ſequenti Rubrica indicatur:

„ Si concede a ſuo (del Bela IV.) Capellano la
„ facolta di aſſolverlo da qualcunque ſcommuni-
„ ca incorſa, Lib. delle Lettere d' Innocenzo
„ IV. dell Anno II. fogl. 157.

Quod alio loco ejusdem Elenchi clarius exponitur his verbis:

„ Si da facolta al Capellano de Re', e della Re-
„ gina di diſpenſarli dal l' aſtinenze, e da i di
„ giuni, e di aſſolverli da qualcunque ſcommu-
„ nica. Lib. delle Lettere dell' Anno II. d' In-
„ nocenzo IV. fogl. 157.

Tam teneræ conſcientiæ hi Reges fuere!

SUB

SUB BELA IV.

Ad Annum 1267. præter Decretum Belæ IV. in Veſtigiis Comitiorum p. 134. editum, habentur etiam Decreta quædam, a Guidone Cardinali Hungaris obtruſa, inter MSS. Heveneſiana Tomo V.V.V. ſeu XLIX. p. 7. habetur eorum copia ſub ſequenti prooëmio: *Exſtant præterea in Augg. Bibliothecæ Cæſareæ antiquo quodam Codice Membranaceo MS. in fol. inter Cod. Theologicos Latinos MSS. XXIII ejusdem Cardinalis Guidonis Decreta Hungarica, quæ cum hactenus, quod ſciam, in lucem non prodierint, haud inconveniens mihi videtur, corollarii loco ea hic ſubjungere.* In Cod. ſequens illis præfigitur Rubrica: *Hæc ſunt Decreta Hungarorum, quæ de Guidone Cardinale ſuſceperunt.* Agunt omnia de Sacris Ordinibus, & gradibus dignitatum Eccleſiaſticarum conferendis, quæ commemoraſſe ſuffecerit, cum nullatenus ad Comitia pertineant.

SUB STEPHANO V.

Anno 1271. Non quidem Comitia Regni Generalia, ſed tamen ſolennem aliquem, & generalem Conventum Partium Regni Hungariæ Cis-Danubianarum actum fuiſſe, diſcimus e Diplomate Stephani V. e MSS. Batthyanianis apud Katona Hiſt. Crit. Tom. VI. pag. 581. edito, quo Prærogativas a Prædeceſſoribus ſuis Eccleſiæ

Agrien-

Agrienſi conceſſas recenſet, & confirmat, ubi ſequentia habet.

„Ad univerſorum notitiam tenore præſentium de-
„ claramus, quod cum nos *Conventionem*, &
„ *Congregationem* omnium Nobilium exiſtentium
„ a parte Danubii verſus orientem in Hayouholm
„ & Heves commode feciſſemus pro Statu Regni
„ noſtri reformando, & juſtitiam cuique redden-
„ do, juris Ordine tamen obſervato, cum conſve-
„ tudine laudabili a Sanctis Progenitoribus noſtris
„ approbata; tandem die octava ſolennitatis
„ ejusdem Convocationis, & Congregationis, quo
„ tempore ardentius, & efficacius unicuique jus
„ ſuum per juſtitiam reddebatur, Lampertus mi-
„ ſeratione Divina Epiſcopus Agrienſis, ſurgens
„ & ſtans in noſtri præſentia, & omnium Regni-
„ colarum, propoſuit in hunc modum. . . .
„ Quibus auditis, & clare intellectis, maxime
„ quia juſta erant, quæ per ipſum petebantur,
„ & quia etiam Nos, & noſtros Succeſſores tan-
„ gebant, ſuper omnes Eccleſias Cathedrales ſpe-
„ cialiſſimo Jure Patronatus, de conſenſu o-
„ mnium Nobilium, Nobiſcum in noſtra Con-
„ gregatione aſſiſtentium decrevimus, quod XXV.
„ ſeniores Nobilium de Diœceſi Agrienſi elige-
„ rentur. “

Licet hac occaſione cumprimis jura & juſtitia adminiſtrarentur, vix tamen Congregatio hæc pro Judiciis Octavalibus, qualia ſequioribus Seculis in diverſis Regni Diſtrictibus celebrari ſolebant, haberi poteſt, cum facta fuerit etiam *pro Statu Regni reformando.* Videtur proinde Conventus aliquis Generalis earum Partium celebratus fuiſſe, in quo primum publica Regni nego-

tia

tia politica, deinde quæſtiones juridicæ pertractabantur, quod Clauſula illa, *quo tempore ardentius & efficacius unicuique jus ſuum per juſtitiam reddebatur*, nimirum die primum octava Congregationis, innuere videtur. Docemur ſaltem hinc, Inſtitutum illud, ut in diverſis Regni partibus præter generalia Regni Comitia, & generales ſingulorum Comitatuum, generales etiam integrorum Diſtrictuum, ſeu plurium Comitatuum Congregationes celebrarentur, tum pro negotiis publicis pertractandis, tum etiam pro jure dicendo, & juſtitia adminiſtranda in Rep. Hungarica fuiſſe antiquiſſimum, cum jam hoc in Diplomate ad *conſvetudinem laudabilem a Sanctis Progenitoribus approbatam* provocetur.

Anno 1278 Comitiorum aliquod Veſtigium legitur in Diplomate Ladislai Regis, quo bona infidelis Andreæ Jako de genere Kaplyon, Nicolao Vaywodæ Tranſylvaniæ filio M. Mauritii confert. Dat. A. D. 1278. VII. Kal. Mart. ex Coll. MSS. Dipl. Dan. Cornides T. II. p. 29. ubi habetur.

„Idcirco nos, Regni noſtri Prælati & Sacerdotes
„ Coronæ fidelibus Nobilibus, & Baronibus pro-
„ ponendo, iidem voluerunt tali modo:“

Cum nedum primæ, ſed nec mediæ ætatis, imo ne tertiæ quidem Periodi Reip. Hungariæ adminiſtrationis publicæ ratio ſatis adhuc enucleata ſit, ignoremusque, quo modo aut Miniſterium, aut Conſilium Aulæ Regiæ vel continuo

conſti-

Digitized by Google

conſtitutum, vel ſucceſſive mutatum fuerit, haud mirum eſt, ſi ſenſum hujusmodi clauſularum, paſſim in Diplomatibus occurrentium, non ſatis certo definire poſſimus. Utinam tandem, quod votum jam alias ſuſpiravi, congeſtis ad id illuſtrandum ſufficientibus qua Diplomaticis, qua Hiſtoricis argumentis, Hiſtoriam ipſam publicæ Adminiſtrationis, tam belli, pacisque, ac negotiorum cum exteris Gentibus, quam domi Politiæ internæ, Juſtitiæ, ac Oeconomiæ publicæ profeſſa opera aliquis deduceret! hoc profecto notitiæ ſtatus publici caput accuratius illuſtrare Scriptoribus noſtris nunquam in mentem venit.

SUB LADISLAO IV.

Anno 1279. Comitiorum celebratorum, & in longius tempus protractorum aliquot Veſtigia Diplomatica evincunt. Literæ Ladislai Regis Hung. de parendo in omnibus Sedi Apoſtolicæ, & reducendis Cumanis ad fidem Chriſtianam, cum reſtitutione poſſeſſionum, & Bonorum Eccleſiis ablatorum. Dat. Budæ A. D. 1279. IX. Cal. Julii, quas edidit Raynald. ad A. 1279. N. 31. Bombardi in Topographia Magni Regni Hung. p. 314. Pray Annal. P. I. p. 342. ac demum Katona Hiſt. Crit. T. VI. p. 790. quamobrem ego mihi diffido integras hoc loco inſerere, contentus eum textum adduxiſſe, qui ad propoſitum meum pertinet.

„ Primo quidem juravimus, quod fidem Catholi-
„ cam, & Eccleſiaſticam libertatem ſervaremus,
„ ac teneremus, ac teneri faceremus & ſervari
„ in Regno noſtro, & terris nobis ſubjectis:
„ quodque Conſtitutiones, & Decreta Sanctorum
„ Regum Progenitorum noſtrorum, & bonas con-
„ ſvetudines eorumdem, nec non omnia alia
„ & ſingula, quæ noſtri Progenitores in ſua con-
„ ſveverunt Coronatione jurare, inviolabiliter
„ ſervaremus. . . Secundo juravimus, quod
„ IX alios Articulos, qui fidem Catholicam, &
„ Eccleſiaſticam libertatem, nec non Chriſtiano-
„ rum, & Cumanorum Statum tangunt, effe-
„ ctualiter impleremus, & modo ſimili ſervare-
„ mus, ac ſervari a noſtris ſubditis faceremus.
„ Demum promiſimus, & juravimus . . . atten-
„ dere, & ſervari facere Articulos infraſcriptos,
„ quos pro cultu Juſtitiæ, & unitate fidei obſer-
„ vanda Uzur, & Tolon Principales Cumano-
„ rum pro ſe, & Univerſitate Comanorum, quo-
„ rum vicem & conſenſum ſe habere dicebant .
„ . . ſolenniter, & publice ſe facturos, ſervatu-
„ ros, ſine refragatione qualibet aſſumſerunt. .
„ . . . Promittimus etiam ſub ſponſione fidei, &
„ præſtiti Juramenti, ac obligationis ſupradictis,
„ quod ut præmiſſa omnia, & quæcunque alia
„ pro ampliatione fidei Chriſtianæ, & Eccleſia-
„ ſticæ libertatis, ac ſublimatione Regalis Solii,
„ & ſtatu pacifico Regni noſtri idem Pater Ven.
„ Apoſt. Sedis Legatus in *Convocatione publica*
„ *Regni noſtri facienda vigeſima die poſt feſtum*
„ *B. Joannis Bapt.* duxerit ordinanda, accepta-
„ bimus, ſervabimus, & attendi, & ſervari ab
„ omnibus noſtræ ditioni ſubditis firmiter facie-
„ mus. Quæ omnia, videlicet tam Articulos
„ prænotatos, quam alia, *quæ in præfata Con-*
„ *vocatione* per ipſum D. Legatum fuerint ordi-

„ nata,

Digitized by Google

„ nata, & ſolenniter publicata, ad æternam rei „ memoriam in noſtris ſcriptis publicis ſub Bulla „ aurea ſeriatim redigi faciemus, ac ſic redacta „ & bullata Legato trademus, & tradi faciemus „ præfato. Quod ſi præfatos Comanos ad prædi- „ cta, & ſingula obſervanda & implenda, exhor- „ tationibus, perſvaſionibus, rationibus, & pre- „ cibus forſitan inducere non poſſemus; recepi- „ mus, promiſimus, & juravimus, *quod in Con-* „ *gregatione prædicta* contra dictos Comanos in- „ dicemus & faciemus exercitum generalem de „ Regno, & terris nobis ſubjectis, ad quem no- „ ſtros, & Regni noſtri invitabimus, & invitari „ faciemus amicos, ad compellendum eos, per „ dictum exercitum, & alios quoslibet utiles mo- „ dos brachio Regiæ poteſtatis, ad recipienda, „ facienda, ac etiam obſervanda omnia, & ſin- „ gula ſupradicta.“

Diſcimus ex hoc Inſtrumento jam Ladislai IV. Progenitores in ſua coronatione jurare conſveviſſe, quod Conſtitutiones & Decreta Sanctorum Regum, & bonas conſvetudines, conſequenter immunitates Regni obſervare velint, jam ante illum Stephani, Ladislai, Colomani, Andreæ II. & noviſſime Belæ IV. Decreta & Conſtitutiones pro legibus recognita fuiſſe, ac indubie & jam aliorum Prædeceſſorum plura, quæ nos adhuc fugiunt, Decreta extitiſſe; Convocationem, ſeu Congregationem publicam Regni ad vigeſimam diem poſt feſtum B. Joannis Bapt. ſeu diem 14. Julii, Anni 1279. indictam fuiſſe. Reipſa vero celebratam fuiſſe teſtatur.

Digitized by Google

Ladislai IV. Privilegium collationale.

„Ladislaus DEI Gratia Hungariæ &c. Rex, ad
„ univerſorum notitiam volumus pervenire, quod
„ cum Venerabilis Pater Philippus Dei gratia Fir-
„ manus Epiſcopus, Apoſtolicæ Sedis Legatus ad
„ Nos, & ad Regnum noſtrum ſpecialiter ab eadem
„ Sede Sancta, a Chriſti ſcilicet Vicario, fuiſſet de-
„ ſtinatus, ipſius ſalubri ſvaſione, & ſancta inductio-
„ ne concurrente, placuit Dominis Comanorum, ſci-
„ licet Alpra & Uzur, & ceteris Dominis de Coma-
„ nis, ſimpliciter omnibus Nobilibus, de Comanis,
„ & Univerſitati eorundem, ut ipſi relictis, idolorum
„ cultura, & omnibus, ac ſingulis Paganorum ritibus
„ prorſus dimiſſis, ad Catholicæ ſeu Orthodoxæ fidei
„ unionem convertantur, ac ſacri Baptiſmatis uni-
„ verſi & ſinguli cujuscunque ætatis, & ſexus, qui
„ nondum ſunt baptizati, recipiant Sacramentum, &
„ ſervent omnia Eccleſiæ Sacramenta, & quæcunque
„ alia docet, tenet, & prædicat Eccleſia Romana
„ Sacro Sancta. Et quia fides ſine opere mortua,
„ ſicut legitur, reputatur, Nos, ut aſſumptæ fidei
„ perfectio apud ipſos, & in ipſis ſumat initium, &
„ principale jaciat fundamentum, cum ad hocce eos-
„ dem Dominus Legatus quodamodo coarctaret, re-
„ cepimus, & prius de ſeptem generationibus eo-
„ rundem Comanorum, prout ſunt ſeptem obſides,
„ quos Nos ad tempus faciemus obtineri, quos qui-
„ dem Dominos de Comanis, & Nobiles Comano-
„ rum, & totam gentem eorundem in Regno noſtro
„ exiſtentem, Nos *ſolenni & publica Congregatione in*
„ *Regno noſtro facta, & diligenti deliberatione cum*
„ *Baronibus, & Nobilibus Regni noſtri habita* deſcen-
„ dere fecimus modo, ac locis infra ſcriptis.

„Videlicet a modo deſcendent, & recedent a
„ tabernaculis ſuis, & domibus filtrinis, & habita-
„ bunt, ac morabuntur in villis more Chriſtianorum,

in

„ in ædificiis, & domibus ſolo fixis; præter abraſio-
„ nem barbarum, & abreviationem capillorum, &
„ habitum veſtium eorundem, ſuper quibus eosdem
„ præter ipſorum voluntatem prædictus Venerabilis Pa-
„ ter Dominus Legatus ad noſtram devotam inſtan-
„ tiam, lenitate paternæ pietatis condeſcendendum in-
„ vitos coegit, ſed in aliis ſe moribus Chriſtianorum
„ conformabunt, & quod in Regno, & terris noſtris
„ ab omnibus inſolentiis, & inſidiis faciendis, ac in-
„ terfectione Chriſtianorum, & eorum ſanguine ef-
„ fundendo retrahent penitus manus ſuas, &, ut an-
„ tea, nullo unquam tempore facient, nec fieri per-
„ mittent, hujusmodi per ſuos famulos, & ſubjectos,
„ & ut præmiſſa per eosdem obſerventur, ordinabit
„ Dominus Legatus inquiſitores aliquos fide dignos,
„ qui per ſingulas generationes, & generationum gra-
„ dus, quacunque linea ſibi unice attinentes, & per
„ alios omnes ſubditos eorum inquirant, & ſciant ſu-
„ per præmiſſis omnibus, & ſingulis veritatem, quam
„ Nobis & eidem Domino Legato, imo Eccleſiæ re-
„ ferre, & exponere teneantur, ut ille, qui in aliquo
„ præmiſſorum transgreſſor inventus fuerit, pœnam Ec-
„ cleſiaſticam, quam meretur ab Eccleſia accipiat, &
„ nihilominus per Nos temporalis vindictæ ſenciat ul-
„ tionem.

„ Et quia copioſa multitudo Comanorum copio-
„ ſum terræ ſpatium capiebat, ſtatuimus, ut hi, qui
„ cum generatione ſua inter Danubium & Titiam,
„ aut juxta flumina Kris (Criſium) vel inter flumi-
„ na Moruz (Maruſium) & Kris, aut ex utraque parte
„ fluminis ejusdem, vel inter flumina Themus (Te-
„ meſium) & Muruz, aut circa eadem deſcenderant,
„ & non alias, ſed ſuper eisdem fluminibus, ſeu lo-
„ cis, ſive terris, quibus primitus quamlibet genera-
„ tionem cum ſuis tabernaculis Dominus Bela Rex,
„ Avus noſter Illuſtriſſimus Rex Hungariæ inclytæ re-
„ cordationis deſcendere fecerat, ibi & nunc deſcen-

Digitized by Google

„ dant, & reſideant modo præmiſſo, tanquam Nobi-
„ les Regni noſtri, conferendo, & dando eis ibi ter-
„ ras Caſtrorum Udvarnicorum Reginalium, & alias
„ terras conditionariorum, aut hominum Nobilium
„ ſine herede decedentium, quamlibet illarum cum
„ pertinentiis, & utilitatibus ſuis ſylvis videlicet,
„ fenetis, piſcaturis, quas eorundem deſcenſus con-
„ cluſerit, quæ noſtræ collationi de jure dignoſcun-
„ tur pertinere; remanentibus juribus, & poſſeſſio-
„ nibus Monaſteriorum, & Eccleſiarum omnium ſem-
„ per ſalvis, dedimus inſuper, & contulimus eis-
„ dem, vacuas terras Nobilium Jobagyonum - - quæ
„ a tempore Tartarorum vacuæ perſtiterunt, & fructuo-
„ ſis utilitatibus carent, videlicet piſcaturis, & ſylvis
„ lucrativis, ita tamen, quod iisdem Nobilibus & Joba-
„ gyonibus Caſtrorum Nos pro talibus vacuis terris
„ ipſorum aut juſtum pretium perſolvemus, aut con-
„ cambium æquivalens conferemus, quas omnes iidem
„ Domini, & Nobiles de Comanis, de qualibet ge-
„ neratione ipſimet inter ſe divident, pro modo, &
„ qualitate cujuslibet, ſive ſtatu. Tales vero vacuas
„ terras Nobilium, & Jobagyonum Caſtrorum, quæ
„ fructuoſis vigent utilitatibus, & abundant piſcaturis
„ videlicet, & ſylvis indenſis, quemadmodum eſt
„ præmiſſum, & etiam terras tales, ſuper quibus
„ iidem Nobiles, & Jobagyones Caſtri, Dominalia,
„ aut populos, ſeu villam habent, ſive in aliis mi-
„ noris utilitatis exiſtant, easdem tales terras ipſi
„ quidem Nobiles, & Jobagyones Caſtri, quorum
„ fuerint libere, & pacifice inter eosdem Comanos
„ poſſidebunt, quod & prædicti Domini de Comanis,
„ & generaliter omnes Nobiles Comanorum conſen-
„ ſerunt, ut ad præſens inter ipſos, & eosdem No-
„ biles mutua compaternitatis, & cognationis affini-
„ tas in futurum contrahatur, & major inter ipſos
„ dilectio, & amicitia propagetur, verum iidem No-
„ biles, & Comani æquali prærogativa libertatis gra-

„ tulen-

„ tulentur. Præciſe expreſſimus; quod Domini, & „ Nobiles Comanorum univerſi, & ſinguli ad no- „ ſtrum exercitum, ad quem Nos perſonaliter acceſ- „ ſerimus, venire teneantur, ſicuti ceteri Nobiles „ Regales ſervientes, & ſi qui ex iisdem negligen- „ tes exſtiterint, eandem ultionem, idemque Judi- „ cium patientur, quam, vel quod incurrent alii No- „ biles Regni noſtri, qui non veniendo exſtiterint „ negligentes.

„ Ceterum cum ſuper Articulo reſtitutionis capti- „ vorum Chriſtianorum, quem Dominus Legatus præ- „ cipuum, & maximum præceteris mente reputabat, „ ad noſtram, & Venerabilium Patrum Epiſcoporum, „ & ceterorum Prælatorum, ac Baronum noſtrorum „ inſtantiam idem Dominus Legatus paternaliter con- „ deſcendit hoc modo: Quod captivos, quos in Re- „ gno, & terris noſtris Chriſtianos quocunque modo „ retinebant, præciſe, & abſolute reddere, nec reti- „ nere tenebuntur, alios vero extraneos captivos ſuos „ in extraneis Regnis captivatos retinebunt. Ad hæc, „ quia prædictæ ſeptem generationes Cumanorum in „ locis diverſis, & in pluribus proceſſibus, utpote „ Domini Archi-Epiſcopi Colocenſis, & Venerabi- „ lium Patrum Dominorum, Varadienſis, Agrienſis, „ Chanadienſis, & Vacienſis Epiſcoporum reſidebunt, „ & deſcendent, volumus eodem Domino Legato an- „ nuente, ut unusquisque eorundem Venerabilium Pa- „ trum accedat ad generationem in ſua Diœceſi de- „ ſcendentem, cum uno Barone noſtro, & duobus „ ſervientibus de Regni Nobilibus fide dignis, & „ idem nondum baptizatis Sacri Baptiſmatis imponat „ Sacramentum, et tam ſuper captivis, qui in Regno, „ et terris noſtris fuerint captivati, remittendis, quam „ etiam ſuper vacuis terris Nobilium prætaxatis, quas „ modo præmiſſo eorundem Comanorum deſcenſus in- „ cluſerit, videant, & inquirant omnimodam veritatem, „ & demum Nobis fideliter debeant remandare, ut

Digitized by Google

„ Nos eisdem Nobilibus Regni noſtri, quorum terræ
„ fuerint, ſciamus in pretio, vel in concambio re-
„ ſpondere.

„ Nec hoc prætermittimus, quod iidem Domini
„ de Comanis, & Nobiles, & Univerſitas Comanorum
„ judicio Palatini Regni noſtri, qui fuerit pro tem-
„ pore conſtitutus, ſubjacebunt; ſicut tempore Belæ
„ Regis Avi noſtri, fuerat inſtitutum, qui quoslibet
„ cum incolis Regni noſtri in omnibus Articulis ju-
„ dicabit, aſſidente ei Judice, ſeu Principe, qui in
„ generatione qualibet fuerit inſtitutus prout a tem-
„ pore Avi noſtri exſtiterat obſervatum; hoc duntaxat
„ excepto, quod ſi lis intra duos Nobiles Comanos
„ ſuper effuſione ſanguinis, vel aliquo caſu incide-
„ rit, ex tunc eundem ſolus Judex illius generatio-
„ nis, qui de parte rei exſtiterit, judicabit, nihilque
„ eorundem duorum Nobilium Comanorum litibus
„ præcipere poterit Palatinus, &, ſi alter hujusmodi
„ duormu inter ſe litigantium ſententiam Judicis ſuæ
„ generationis refutaret ad noſtram præſentiam evo-
„ cando, extunc eosdem duos Nos perſonaliter aſſi-
„ dente Nobis ſimiliter Judice generationis ſuæ judi-
„ cabimus juſtitia mediante: hoc ſpecialiter declarato,
„ quod ſi in alterum talium duorum Nobilium Co-
„ manorum effuſio ſanguinis emineret, & idem per-
„ timens mortem ad Nos confugere poſſet incidenter,
„ ex tunc hujusmodi effuſionem ſanguinis ex hoc,
„ quod ad Nos pervenit, evadet, ſed nihilominus
„ debebit exulari, & ſic manendo extra Regnum
„ tanquam exul requiret gratiam redeundi ab iis,
„ quos exceſſerat, ſi poterit obtinere. Sed interim,
„ donec obtinebit, non in Regno, ſed extra Regnum
„ permanebit. Si vero perſona excedentis talis fue-
„ rit, pro qua interceſſores de Dominis, & Nobili-
„ bus Comanorum ſtatim, cum ad Nos confugerit,
„ acceſſerint, veniam ſuper exulatione excedentis po-
„ ſtulantes, ex tunc talis excedens ab hujusmodi exi-

„ lio

Digitized by Google

„ lio erit abſolutus, ſed de rebus, & bonis ſuis,
„ & inter quem exceſſit, ut præmiſimus ſatis fiet.
„ Porro aſſumſimus, & aſſumimus, quod neminem de
„ ſervis eorundem Dominorum, & Nobilium de Co-
„ manis, ſi ad Nos venerint, recipiemus, nec Baro-
„ nes, nec Nobiles Regni noſtri eosdem recipere
„ poterunt, vel tenere, imo eosdem ſervos cum uni-
„ verſis rebus ſuis, apud quoſcunque inventi fuerint,
„ reſtituere tenebuntur, villas etiam, quas a quibus-
„ dam ex eis, quæ noſtræ Collationi de jure ſpe-
„ ctant, abſtuleramus, eisdem, a quibus abſtulimus,
„ reſtitui faciemus; Ceterum quoniam prædicti Do-
„ mini de Comanis, & Nobiles Comanorum una, ac
„ eadem cum Regni Nobilibus perfruantur libertate,
„ ſtatuimus, ut, ſicut a tempore Sanctorum Regum,
„ Progenitorum noſtrorum ſuper Regni Nobiles, &
„ eorum populos, nec per Nos, nec per Regni Ba-
„ rones deſcenſus fieri debebit violentus, ita & ſu-
„ per eosdem Dominos, & Nobiles de Comanis; ac
„ eorundem populos, nec per Nos, nec per Domi-
„ nam Reginam, kariſſimam conſortem noſtram, &
„ noſtros Barones deſcenſus violentus fieri non poſ-
„ ſit, nec debeat ullo modo. Inſuper etiam terras
„ ſeu poſſeſſiones, quas hactenus ex Collatione Pro-
„ genitorum noſtrorum, & noſtra cum Privilegiis eo-
„ rundem, & noſtro, vel aliquibus aliis evidentibus
„ inſtrumentis juſte, & pacifice poſſidere dignoſcun-
„ tur, eas poſſidere valeant, & habere. Ut igitur
„ ſeries hujusmodi ordinationis per Nos factæ robur
„ optineat, perpetuæ firmitatis præſentes conceſſimus
„ Litteras dupplicis Sigilli noſtri munimine roboratas.
„ Datum per manus diſcreti Viri Magiſtri Nicolai,
„ Aulæ noſtræ Vice-Cancellarii dilecti, & fidelis no-
„ ſtri. Anno Domini 1279. quarta Idus Auguſti, Re-
„ gni autem noſtri Anno ſeptimo.

Ex

Digitized by Google

Ex Reflexionibus Diſt. Jazig. & Cuman. in Comitiis 1790. exhibitis ſub A. edidit G. Pray Diſſ. in Annales vet. p. 117. & ex illo Katona Hiſt. Crit. T. VI. p. 796.

Hoc eodem Anno Concilio Budæ celebrato, & per Ladislaum Regem die 14. Sept. diſſoluto, editæ ſunt Conſtitutiones circa reformationem Prælatorum, & Cleri, quas Raynaldus, & ex eo Péterſi edidit.

Anno 1287. celebratorum Comitiorum diſertiſſime meminit Lodomerius Archi-Epiſcopus Strigonienſis in literis, penes quas alias literas per ſummum Pontificem, & eo mortuo Collegium Cardinalium intuitu Ladislai IV. ab amoribus feminarum Cumanarum ad legitimum thorum revocandi ad ſe datas Epiſcopo Tranſylvanienſi communicat, in quibus ſequentia habentur:

„Et quia eædem literæ *lectæ in Congregatione Re-„gni noviter habita* cum ſumma reverentia ſunt „receptæ, placuitque Univerſitati Prælatorum „omnium, & Baronum, nec non & Nobilium „eodem convenientium, ut ipſi proventus Re-„ginales tam in Triceſimalibus locis, quam in „Teloniis & tributis, cenſibus & terragiis, jux-„ta Regni conſvetudinem approbatam (cui etiam „eædem literæ Sedis Apoſtolicæ, & Cardina-„lium in communi, ſicut tenor earum inſertus „præſentibus manifeſtat) debeant cum integrita-„te, ſine contradictione qualibet exhiberi. Da-„tum Strigonii in feſto B. Oſvaldi (d. 28. Febr.) „A. D. 1287. Inſtrumentum edidit Ant. Szere-

„dai

Digitized by Google

„ dai in Epiſ. Tranſyl. ex Archivo Capituli Eccl.
„ Albenſis in Tranſyl. Faſc. 3. N. 3.

Anno 1289. Comitia celebrata fuiſſe oſtendi in Veſtigiis p. 149. Aliud documentum Diplomaticum tum id ipſum confirmat, tum nova Comitiorum Anno 1290. item 1291. aut paulo ſerius celebratorum veſtigia exhibet, quod licet nimis prolixum ſit, cum tamen permulta ad illuſtrandam Hiſtoriam ejus temporis peculiaria contineat, & perpaucis notum ſit, integrum hoc loco referendum eſſe duxi.

„ Nos Andreas DEI Gratia Rex Hungariæ, tenore
„ præſentium ſignificamus, quibus expedit univerſis
„ memoriæ commendantes, quod cum Magiſter Ke-
„ ménius Comes de Barana, filius Laurentii quon-
„ dam Palatini dilectus, & fidelis noſter, a primævis
„ adoleſcentiæ ſuæ floribus, pro fidelitate Coronæ
„ Regiæ debita in diverſis Regni expeditionibus, tam
„ in proſperis, quam in adverſis devotos, & lauda-
„ biles ſemper, & ubique impendiſſet famulatus, no-
„ viſſime enim cum nos Divina ſuffragante Gratia,
„ *Iure ſucceſſorio, & Ordine Geniture pro adeptione*
„ *Coronæ noſtræ Diadematis*, *ſeu Solio Regiminis*
„ *Regni Hungariæ*, iter arripuiſſemus veniendi, &
„ confinia ejusdem Regni adiviſſemus, idem Comes
„ Keménius ſuæ conſvetæ fidelitatis ardore vehemen-
„ ter inductus omni honore, quo decuit noſtræ Maje-
„ ſtati præ omnibus obviavit. Cujus adventus aliis
„ exhibuit, & tradidit exemplum, Nobis fideliter fa-
„ mulandi, ac etiam futuræ noſtræ promotionis indi-
„ cium demonſtravit. Præterea poſt introitum no-
„ ſtrum in Regnum Hungariæ, idem Comes Kemé-
„ nius noſtro lateri ſemper adhærendo obſequioſæ fi-
„ delitatis ſtudio meruit, noſtræ Majeſtati multiplici-

„ ter

Digitized by Google

„ ter complacere. Demum cum Regnum Laccuz,
„ Ducis Cracovien. Sandomer., Syradien. & Kuya-
„ vien. cognati noſtri kariſſimi, quidam inimici
„ ipſius capitales hoſtiliter invadere voluiſſent, et Nos
„ ad refrænandas, ſeu conterendas ferocitates Poloni-
„ cæ Gentis ab adverſa parte inſurgentis quosdam
„ Barones, & Juvenes Gentis noſtræ, & inter ceteros
„ ipſum Comitem Kéminium propriis ſuis ſumtibus,
„ & expenſis deſtinaſſemus, idem Comes Kemínius
„ in ipſo Regno exiſtens, pro fidelitate Coronæ Re-
„ giæ debita in ſubſidio ejusdem kariſſimi cognati
„ noſtri, contra ſuos inimicos vitam morti poſtpo-
„ nendo, in adverſam irruens aciem, velut Leo intre-
„ pidus viriliter dimicavit, elegitque potius poſt
„ mortem per famam vivere, quam vivens laudabili
„ fama perdita, collati in ignominiam pavidorum,
„ quæ omnia per litteras ejusdem L. Ducis cognati
„ noſtri prædilecti, & per conſequens per veridicam
„ relationem ejusdem, & aliorum quam plurimorum
„ Nobis relata exſtiterunt. Itaque in recompenſatio-
„ nem tot, & tantarum fidelitatum, & ſervitiorum
„ ejusdem, licet ea, quæ ad præſens agimus, mini-
„ ma videantur, reſpectu eorum, quæ facere intendi-
„ mus, & meditamur, Caſtrum Comitis Nicolai filii
„ Siniſtri Nicolai, & Michaelis filii ejusdem Saar-
„ Sumlov vocatum cum monte, & villa Harsán vo-
„ cata, ſubtus idem Caſtrum exiſtenti, item Patrona-
„ tum Monaſterii B. Michaelis cum omnibus utilita-
„ tibus, & pertinentiis ſuis univerſis, quemadmodum
„ idem Comes Nicolaus, & filius ſuus habuerunt,
„ tenuerunt, & pariter poſſederunt, prout ſuis literis
„ patentibus plenius continetur, eidem Comiti Kemy-
„ nio in perpetuum, & per eum ſuis hæredibus, hæ-
„ redumque ſuorum ſucceſſoribus dedimus, donavimus,
„ & contulimus jure perpetuo, & irrevocabiliter poſ-
„ ſidendum. In cujus rei memoriam præſentes con-
„ ceſſimus litteras, propter majorem rei certitudi-

„ nem

„ nem impreſſione Sigilli noſtri annularis communi-
„ tas, ſuper quo eidem noſtrum Privilegium confe-
„ remus, *cum in futura Congregatione noſtra Gene-*
„ *rali* præſentes, per eundem Comitem Nobis fuerint
„ exhibitæ. Datum prope Viennam in Auſtria, in vi-
„ gilia Beati Laurentii Martyris, Anno Domini 1291.

„ Andreas DEI Gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croa-
„ tiæ, Ramæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Cuma-
„ niæ, Bulgariæ Rex. Omnibus Chriſti fidelibus præ-
„ ſentem paginam inſpecturis ſalutem in omnium
„ Salvatore. Rerum pulchritudo geſtarum dignis eſt
„ præconiis recenſenda, ut in roſeario memoriæ vi-
„ vere noſcantur per gloriam, quos actuum felicitas,
„ & proſperitas inſignivit. Proinde ad univerſorum
„ notitiam harum ſerie volumus pervenire, quod ac-
„ cedens ad noſtram præſentiam dilectus, & fidelis
„ noſter Magiſter Kemén, Comes de Barana, filius
„ Laurentij quondam Palatini a noſtra petiit Majeſta-
„ te, quod cum vir Nobilis Nicolaus Siniſter, So-
„ cer ipſius habito filio nomine Michaele, tandem
„ diem clauſit extremum ſine ſolatio liberorum, ipſo
„ Michaele rebus humanis exempto, ſicque juxta Re-
„ gni conſvetudinem approbatam univerſæ poſſeſſiones
„ ejusdem tam hæreditate, quam donatione; ſeu quo-
„ vis alio titulo acquiſitæ ad Manus Regias fuerint
„ devolutæ, de Regali dignaremur Munificentia, ad
„ inſtar donationis Domini Ladislai Sereniſſimi Regis
„ Hungariæ, ſibi de iisdem poſſeſſionibus providere,
„ Privilegia felicium Recordationum Domini Belæ,
„ & Stephani, ac ejusdem Domini Ladislai Regum
„ illuſtrium, quæ penes ſe habebat, noſtro conſpectui
„ offerendo, cujus quidem Domini Ladislai Regis
„ Privilegii tenor talis eſt.

„ Ladislaus DEI Gratia Hungariæ, Dalmatiæ,
„ Croatiæ, Ramæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Cumaniæ,
„ Bulgariæque Rex. Omnibus Chriſti fidelibus præ-
„ ſentem paginam inſpecturis. Salutem in omnium

„ Sal-

Digitized by Google

„ Salvatore. Aequitas ſvadet, Jus requirit, ut quod-
„ cunque juſtis, & legitimis rationibus datur, vel
„ confertur, in ſolidum debeat perpetuo remanere.
„ Proinde ad univerſorum notitiam tenore præſentium
„ harum ſerie volumus pervenire. Quod conſideratis
„ fidelitatibus, & ſervitiorum meritis Kemén, Magi-
„ ſtri Pincernarum noſtrorum, & Comitis de Barana,
„ filii Laurentii Palatini bonæ memoriæ dilecti, & fi-
„ delis noſtri, quæ in diverſis expeditionibus Regni
„ noſtri non parcendo rebus nec Perſonæ, a tem-
„ pore obitus kariſſimi Patris noſtri Stephani Regis
„ illuſtris recordationis, *cui Nos exigentibus Juribus*
„ *naturalibus Ordine Genituræ ſucceſſimus*, uſque ad
„ tempus, quo una cum Venerabilibus Patribus Lodo-
„ merio Strigonienſi, Joanne Colocenſi, Eccleſiarum
„ Epiſcopis, item Georgio Csánad. Pouka Sirmien.
„ Thoma Boſn. Paska Nitrien. & Ladislao Vacien.
„ Epiſcopis earundem Eccleſiarum, *Prælatis ac aliis*
„ *omnibus Baronibus, & Nobilibus Regni noſtri, ha-*
„ *bito diligenti tractatu, ſtatum Regni noſtri per o-*
„ *mnia in melius reformando*, Gubernaculum ſeu So-
„ lium Regiminis noſtri plene, & perfecte adepti
„ fuiſſemus, idem nullo temporum ſpatio, ſe retra-
„ hendo nec his, qui ex Baronibus noſtris contra
„ noſtram procedebant Majeſtatem, adhærendo, inde-
„ ſinenter impendit, ut fideliter, ſic devote, & ma-
„ xime ad inſtantias, & petitiones Dominæ A. ka-
„ riſſimæ Matris noſtræ, & Dominæ E. Conſortis no-
„ ſtræ kariſſimæ Reginæ Hungariæ, qui & eisdem
„ omni favore fidelitatis per laudabiles ſuos conpla-
„ cere meruit famulatus, Caſtrum, Michaelis filii Comi-
„ tis Nicolai Siniſtri ſine hærede decendentis ad ma-
„ nus noſtras, de Jure & conſvetudine Regni noſtri
„ devolutum Saarſumlow vocatum, ſimul cum mon-
„ te, vineis, & ſilvis, in quo idem Caſtrum eſt con-
„ ſtructum, ac villis univerſis ad ipſum pertinentibus
„ Harſán videlicet, in cujus medio Eccleſia in hono-

„ re

Digitized by Google

„ re Omnium Sanctorum eſt inſtructa, item Bobocſa, „ Perman, Touthvelg, Ugh, in cujus medio eſt Ec- „ cleſia in honore B. Margarethæ ſituata, item Vilá- „ gus-Beruk, Kereſztus, Baanfalva, & Behis, ultra „ fluvium Kraſov, exiſtentibus. Item Berekche Bo- „ ya, in cujus medio eſt Eccleſia B. Nicolai ſituata, „ Urosfalva, Tutos, Hetén, & Sacdines. Item Rikas, „ Beſekund, Borkfalva, Litnek, Moys, Ferieva, cum „ piſcina ſua exiſtenti in fluvio Drava, & Theuzteluk „ vocatas; item Monaſterium B. Michaelis de Peel, „ ſimul cum Patronatu, & villis pertinentibus ad „ ipſum Monaſterium Mithvarch, ſcilicet Mimad, Laa- „ ſy, Aruky, Boynukfalva, Péntekfalva, & Keu voca- „ tis, ac aliis omnibus utilitatibus, & pertinentiis ea- „ rundem, ſub antiquis metis, & terminis, prout per „ ipſum Nicolaum, & Patrem ſuum ipſum Caſtrum, „ ſimul cum villis prædictis habitum exſtitit, poſſeſ- „ ſum, dedimus, donavimus, & contulimus ipſi Ma- „ giſtro Kemén, & per ipſum ſuis hæredibus, hære- „ dumque Succeſſoribus Jure perpetuo, & irrevoca- „ biliter poſſidendum, ſeu etiam poſſidendas. In cu- „ jus rei memoriam, & præſentis Donationis noſtræ „ perpetuam firmitatem, ne proceſſu temporis per „ quempiam in irritum valeat revocari, præſentes con- „ ceſſimus duplicis Sigilli noſtri munimine roboratas. „ Datum per manus Venerabilis Patris Gregorii Epi- „ ſcopi Cſanadien. Aulæ noſtræ Cancellarii dilecti, & „ fidelis noſtri, Anno Domini 1289. Regni autem „ noſtri Anno 18. & quoniam idem Comes Kemén „ virtutum coaleſcentibus incrementis, nedum prædi- „ ctorum Sereniſſimorum Regum temporibus, verum „ etiam noſtris, qui eidem D. Regi Ladislao ſublato „ de medio, in Solium Regalis culminis Divino munere „ ſucceſſimus *e vicino Jure & Ordine Geniture* di- „ verſis ſtuduit famulatibus fideliter inſudare, primo „ quidem circa noſtri adventus principia, felicibus

„ auſpi-

„ auſpiciis divinitus initiata, idem Comes Kemén,
„ Nos ſuis excepit laribus honorifice, & munifice per-
„ tractando uſque ad apicem Regalis culminis, &
„ noſtræ Coronationis inſignia noſtro lateri jugiter ad-
„ hærendo, expenſis propriis, quantum Suæ Nobilita-
„ tis induſtriam decuit, ſumptuoſis. Ad hæc cum Do-
„ minum Ladislaum, inclytum Ducem Sandomiriæ,
„ Cracoviæ, cognatum noſtrum kariſſimum urgeret,
„ in Ducatu ſuo nimia neceſſitatis, & ad . . . .
„ præliorum ſatagentes eidem, prout poſtulanti ſub-
„ ſidium opportunitas, & commoditas exigebat, ne-
„ ceſſariis auxiliis noſtræ armatæ Militiæ ſubvenire in-
„ ter cæteros Satrapes eidem Militiæ ipſum Comitem
„ Kemén cum ſuis armatis hominibus elegimus de-
„ ſtinandum, ubi cum cæteris, & ſpecialiter inter
„ cæteros glorioſi certaminis victoriam reportavit eo-
„ dem Domino Duce Ladislao, in ſuis literis de pro-
„ ſperitate geſtorum ipſum multipliciter attolendo.
„ Cæterum cum a tempore inclyti Regis Ladislai ka-
„ riſſimi fratris noſtri Patruelis D. Albertus Magnifi-
„ cus Dux Auſtriæ, & Styriæ confinales Partes Regni
„ Hungariæ, ſibi vicinaliter adjacentes, collecta cum
„ potentia Patris ſui Domini Rudolphi inclyti Regis
„ Romanorum plurimum devaſtaſſet, Noſque circa Re-
„ giminis noſtri principia de omnibus Regni Ungariæ,
„ climatibus exercitum generalem duxiſſemus convo-
„ candum, ad tantam injuriam propulſandam, & Re-
„ gni noſtri Juſtitiam proſequendam in toto Ducatu,
„ & Diſtrictu Auſtriæ virtute Cœleſti felici duplomate
„ procedentes, nullius ad veritatis obice reſiſtente,
„ præfatus Comes Kemén tanta ſe exhibuit Bellorum
„ efficacia virtuoſum, ut omnibus dignis meruerit
„ præconiis commendari. In omnibus inſuper Regni
„ negotiis, noſtriſque Miniſteriis, quæ longum eſſet
„ per ſingula ſcripta ſerie recitare, tam provide ſe tri-
„ buendo, ut perſpicatius eluceſcat actibus, quid pro-
„ penſa fidelitas mereatur. Pro his igitur ſuorum fi-

„ delium

Digitized by Google

„ deſium antidotis meritorum, de Baronum noſtrorum
„ conſilio ipſius partibus inclinati univerſas poſſeſſio-
„ nes præfati Nicolai Siniſtri, hæredis ſolatio deſtituti,
„ tam hæreditarias, quam emptitias, ſeu etiam dona-
„ titias, ſive ex cauſis lucrativis adeptas, jure legiti-
„ mo poſſeſſas ad noſtram Collationem Regiam ex
„ municipali Jure, conſvetudine Regni Hungariæ de-
„ volutas, ad inſtar Collationis Domini Illuſtris Re-
„ gis Ladislai, ſicut ejusdem Privilegii continet te-
„ nor inſertus, memorato Comiti Kemén, & per eum
„ ſuis hæredibus hæredumque ſuorum ſucceſſoribus,
„ renovationis, ſeu quodam conſolidationis Jure dedi-
„ mus, donavimus, & contulimus cum omnibus
„ ſuis utilitatibus, & pertinentiis perpetuo poſſiden-
„ das. Præfata Privilegia in nullius ſui parte viciata,
„ de verbo ad verbum inſerta præſentibus authoritate
„ Regia confirmamus. In cujus rei memoriam, per-
„ petuamque firmitatem, præſentes conceſſimus Lit-
„ teras duplicis Sigilli munimine roboratas. Datum
„ per manus discreti Viri, Magiſtri Theodori, Alben-
„ ſis Eccleſiæ Præpoſiti, Aulæ noſtræ Vice-Cancellarii,
„ dilecti, & fidelis noſtri, Anno Domini 1291. Regni
„ autem noſtri Anno ſecundo, quarto nonas Octo-
„ bris. "

SUB ANDREA III.

Habemus igitur in præmiſſo Diplomate nova Veſtigia Inauguralium Andreæ III. Comitiorum Anno 1290. celebratorum; producam autem mox ad Annum 1298. Decretum, in quo non tantum Comitiorum hujus Anni, ſed etiam conditi Inauguralis Decreti luculentiſſimum Veſtigium occurret, de quo plura ad ipſum textum adnotabuntur.

Digitized by Google

Georgius Pray in Hierarchia Eccl. dicit, regnante Andrea III. quovis fere Anno Comitia celebrata fuiſſe; utinam Vir ſagaciſſimus veſtigia ſingula, quibus ad hanc aſſertionem inductus eſt, adnotaſſet!

Anno quidem 1291. Comitia Acta, vel ſaltem deſtinata eſſe, Diploma jam ſupra ad Annum 1289. productum innuit, credibile tamen eſt, etiam Conventum aliquem ſeditioſum coactum fuiſſe, in quo nonnulli Andrea, licet legitime jam coronato, male contenti, rebusque novis ſtudentes Carolum Robertum in Regem petebant, qua quæſita alioquin occaſione arrepta, Maria Siciliæ Regina Mater ejus, Jus, quod ſe habere in Regnum Hungariæ exiſtimabat, eidem Anno 1292. ceſſit edito ſequenti hanc in rem Inſtrumento; quod ideo ſolum hic refero, quia multis, quæ habemus de Electione & Coronatione Caroli I. Monumentis lucem addit.

Donatio, & Materna ceſſio Regni Hungariæ, per Mariam Reginam Siciliæ, defuncti fratris Ladislai Regis hæredem Carolo, ejus primogenito facta, Actum, & Datum Aquis ſexta Januarii 1292.

„ Maria Dei Gratia Regina Jeruſalem, Siciliæ, &
„ Ungariæ, Provinciæ, & Forcalquerii Comitiſſa, ad
„ faciendam Juſtitiam in nationibus, & pacem in Po-
„ pulis nutriendam, conſtituit Dominus Principes ſuper
„ terram, quibus deficientibus, perit Juſtitia, Pax
„ turbatur, inſurgunt odia, bavantur injuriæ, cædes
„ accedunt, ut aſcendat clamor ad Dominum, & ab-

„ ominatio

„ ominatio ſubſequatur; præſentis itaque Privilegii
„ noſtri tenore notum facimus, univerſis præſentibus,
„ & futuris, quod Magnifico Principe Domino La-
„ dislao, Illuſtri Rege Ungariæ, cariſſimo fratre noſtro,
„ ab Anno jam, & ultra, prout fatorum crudelitate
„ permiſſum eſt, ſublato de medio, nullis legitimis
„ liberis ſuperſtitibus ex eodem, Nobis agentibus,
„ prout adhuc agimus in remotis, turbato protinus
„ ejusdem Regni regimine, verſæ ſunt illic omnium
„ manus ad ſpolia, rapinas, & ſtrages adeo, quod
„ relegata Juſtitia, & Judicio diſſoluto, ibi jam non
„ juribus, ſed viribus decernatur, de quibus omnibus
„ miſerabili pluries ejusdem Regni fidelium ad Nos
„ rumore prolato, volentes ejusdem Regni ſtatum
„ providere, ſive ſucceſſionis, ſive conſvetudinis, ſive
„ electionis, ſive quocunque alio Jure, vel modo
„ id competere dinoſcatur, Carolum primogenitum
„ noſtrum Salernitanum Principem, & honoris Mon-
„ tis Sancti Angeli Dominum, ad ejusdem Regni Un-
„ gariæ Sedem, & Regimen, ac in ipſius Regni Re-
„ gem, ex deliberato fidelium conſilio eligentes, ac
„ præeligentes, Regnum ipſum Ungariæ cum hominibus
„ Vaſallis, Honoribus, Dignitatibus, Principatibus, Mar-
„ chionatibus, Ducatibus, Comitatibus, Baroniis, Ci-
„ vitatibus, Caſtris, Villis, Inſulis, Planis, Montibus,
„ Aquis maritimis, Juribus, Jurisdictionibus, meri
„ mixtique Imperii, & gladii poteſtate, nec non ſer-
„ vitiis, tributis, rationibus, & pertinentiis ſuis omni-
„ bus tam intra, quam extra Regnum ipſum, ad id
„ Regnum ſpectantibus, prout prædictus frater noſter,
„ aut alii Prædeceſſores noſtri prædicta omnia, vel
„ ſingula tenuerunt, vel tenere debuerunt, Viro No-
„ bili Henrico Comiti Vademontis, fideli noſtro ad
„ hæc ſolemniter conſtituto recipienti nomine, ac
„ pro parte ipſius Caroli primogeniti noſtri, ac per
„ eundem Comitem eidem Carolo, & ejus hæredi-
„ bus, ex ipſius corpore legitime deſcendentibus in

„ perpetuum natis, vel de cætero naſcituris, de mera
„ liberalitate, ſpeciali gratia, & maternæ caritatis af-
„ fectu concedimus, donamus, & tradimus vel quaſi,
„ omneque Dominium directum, & utile ipſius Regni
„ in eundem Comitem recipientem nomine, ac pro
„ parte prædicti Caroli primogeniti noſtri, ac per eun-
„ dem Comitem in eundem primogenitum transfe-
„ rentes, eundem Comitem recipientem nomine, ac
„ pro parte ipſius primogeniti noſtri, exinde per Co-
„ ronam auream, & ejusdem Regni vexilla ſollemni-
„ ter inveſtimus maternæ benedictionis gratia, & man-
„ dato ſubjuncto, quod idem primogenitus noſter,
„ & hæredes ipſius ejusdem Regni Populos caritate
„ cuſtodiat, juſtitia dirigat, ac pace diſponat. In cu-
„ jus rei fidem, perpetuamque memoriam, ac ejusdem
„ Caroli primogeniti noſtri, & hæredum ſuorum cau-
„ telam præſens Privilegium ſibi exinde fieri, atque
„ Sigillis Principis inclyti Domini, Viri noſtri, Do-
„ mini Caroli Secundi, Dei gratia Regis Jeruſalem,
„ Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Pro-
„ vinciæ, & Forcalquerii Comitis, & noſtro fecimus
„ communiri. Actum, & Datum Aquis, in præſentia
„ ejusdem Domini Regis Viri noſtri, ac Venerabilium
„ in Chriſto Patrum Roſtaini, Archiepiſcopi Agvenſis,
„ & Guillelmi Epiſcopi Dignenſis, nec non Nobilium
„ Virorum Bertrandi de Bantis, Comitis Avellini,
„ Guaucherii de Rocca, Hugonis de Bautio, Joannis
„ Scoti Regiæ Mareſcallæ Magiſtri, Matthæi de Adria
„ Regni Siciliæ Theſaurarii, & Magiſtri Rationalis Al-
„ fanti de Soleriis, Seneſcalli Provinciæ Militum, &
„ aliorum, quam plurimorum, Anno Incarnationis
„ Milleſimo Ducenteſimo Nonageſimo Secundo, die
„ VI. Januarii V. Indictionis.“

Extracta eſt præſens Copia ab Originali Re-
geſto Regis Caroli II. ſignato de Anno 1291, &
1292.

Digitized by Google

1292. litera C. folio 27. & quod conſervatur in Archivo Magnæ Regiæ Curiæ Siclæ, cum quo facta collatione concordat meliori tamen ſemper ſalva; Et in fidem Reverendiſſimus U. J. D. Sanctæ Metropolitanæ Eccleſiæ Neapolitanæ Canonicus, Præsbyter Cardinalis D. Honuphrius, Sicola Regius Archivarius a ſua Catholica, & Cæſarea Majeſtate conſtitutus, poſt ſubſcriptionem cujuslibet paginæ hic tandem ſe ſubſcripſit. Datum Neapoli die primo Julii 1718.

(L. S.)

Canonicus D. Honuphrius Sicola.

Editum in Supplement au Corps Univerſel Diplomatique du Drois des Gens, contenant un Recueil des Traitez d' Alliance, de Paix &c. continué jusq' a præſent par Mr. Rouſſet Tom. I. Partee 1. a Amſterd. 1739. fol.

Andreas III. provocat ad futuram Congregationem Regni in Diplomate ſuper lite inter Capitulum, & Cives de Strigonio Anno 1294. IV. Kal. Aug. edito. Ex Peterfi Concil. P. I. p. 130. apud Katona Hiſt. Crit. T. VII. p. 1115.

„ Et licet de Partium conſona voluntate ipſam cau-
„ ſam primo *ad Congregationem Regni noſtri* fu-
„ turam, ac deinde ad quindenas S. Georgii Mar-
„ tyris prorogaſſemus. "

Anno 1298. Comitia indicta fuiſſe, memoravi quidem in Veſtigiis p. 151. nullum tamen eorum Veſtigium protuli, jam vero felicibus avibus detexi, eodem Anno non ſolum indicta, &

Digitized by Google

apud Eccleſiam Fratrum Minorum, in Peſth, in feſtivitate B. Dominici Confeſſoris (d. 4. Auguſti) cum omnibus Nobilibus Hungariæ, ſingulis Saxonibus, Comanis in unum convenientibus, accepta autoritate, & conſenſu Domini Regis, & Baronum totius Regni, prouti & aliorum, invocata Spiritus Sancti gratia, celebrata eſſe Comitia, ſed etiam Conſtitutiones in illis editas fuiſſe.

Hiſtoriam detecti, ac editi hujus Monumenti, quod me multis, ſed non pœnitendis ſumtibus, fatigiis, ac tempore conſtitit, literis conſignandam tum gratiæ Poſteritati, tum amicis meis, mihique ipſi me debere exiſtimo; præſto id hoc loco ea cum ſinceritate, quæ ingenuum Hiſtoricum decet, magna parte ipſis verbis eorum, quibus cum de illo per literas egi.

„ Diploma iſthoc in Pergamena ampliſſima ex du-
„ plici fruſto conſuta patenter exaratum eſt. Ap-
„ penſum eidem viſitur tenuibus ſericeis filis Si-
„ gillum, incertum, an reapſe eo pertinens, at-
„ tritum illud, & præter Regni Inſignia vix aliam
„ figuram, aut notam præferens. Conſcriptum
„ eſt characteribus dato ſuo utcunque coævis cum
„ abbreviationibus plurimis ita denſe, ut plures
„ exinde phyleræ compleri poſſint. Ita amplum
„ igitur cum ſit, longe plus continet, quam co-
„ pia nuper communicata, quæ præambulum
„ duntaxat Diplomatis, & legum eidem pleno
„ contextu inſertarum initialia verba exhibet. At-
„ que hæc ipſa prolixitas, ac non ſatis regularis,
„ ob idque nimium difficilis lectu ſcriptura, nec
„ non foramina in membrana paſſim proſtantia,
„ cauſa ſunt, cur nullum ad usque, quod ſciam,

„ plenum

Digitized by Google

„ plenum ejusdem exſtet tranſumtum. Quod tamen per Virum antiquæ ſcripturæ gnarum, bono viſu, & patientia, otio juncta, præditum, ut ut non ubique pleno ſenſu, confici poſſet. Latebat autem illud in Comitatu Ungvarienſi apud certum Nobilem, a quo infraſcriptus, qua eo tum Conventus Leleſzienſis Notarius, authenticis Documentorum, eundem Nobilem tangentium tranſumtis gratis expediendis, pro Archivo dicti Conventus, & Bono Publico, per formam cambii Anno 1779 comparaverat. Nunc autem cum reliquis Conventus Leleſzienſis Actis, & Protocollis habetur Agriæ. Quæri autem deberet in Elencho Originalium Actorum Seculi 1400. Sign. Ujhely die 10. Sept. 1790. Stephanus Markos, I. Comit. Zemplinienſis Archivarius. m. p. “

Præambulum, cujus hic fit mentio, cum ſubſcriptione: *Extractum, & extradatum ex Autographo in Conſervatorio V. Conventus S. Crucis de Leleſz, exſtante die 6. Aprilis 1780. per juratum Conventualem Notarium Stephanum Markos m. p.* communicavit mecum Illuſtriſſimus Vir Antonius Szirmay, die 6. Aug. Anno 1790. *Nunc primum*, inquit, *impegi in Apographum Diplomatis Inauguralis Wladislai I. quod præter quam ſublationis Coronæ Regni per Eliſabetham Reginam mentionem faciat, Legum etiam tunc conditarum meminit. Adnecto hicce illud. Eſt mancum quidem, ſed Autographum illius eſt inter Acta Conventus Leleſzienſis, nunc in Capitulo Agrienſi repoſita, unde facile haberi poterit.* Cum ex meo Reſponſo videret Vir

Patriæ Literaturæ amantiſſimus, idemque peritiſſimus indicium, iſtud magnam apud me attentionem excitaſſe, datis die 15. Sept. eodem A. 1790. literis reſcripſit: *De communicati autem per me Decreti Wladislai I. Copia ex Autographo Leleſzienſi tranſumta, Informationem ſcriptam ipſius olim Notarii Leleſzienſis, nunc Archivarii Comitatus Zemplinienſis, quem amicitiæ commendo, transmitto; etiam plura ibi continentur, poteruntque ex toto tranſumi.* Hæc ipſa eſt illa Informatio, quam ſuperius per extenſum retuli. Quis non Virum, qui, uti Steph. Markos, tam illuſtre Monumentum *pro Bono Publico* ſua induſtria, & opera a lucri ſtudio in ſimilibus aliena, ab interitu vindicavit, amicitia dignum æſtimet! Ille nempe eſt, qui in uno Inſtrumento quaterna Decreta, quorum gemina, Andreæ III. nimirum, & Wladislai I. tot Seculorum oblivione ſepulta erant, detexit, illuſtris autem Szirmayus, qui me de illis, & pluribus aliis edocuit, utrique primi Editoris gloriam; quæ mihi obtigit, in acceptis gratus referre debeo. Fragmentum illud, quod tum acceperam, editis jam Veſtigiis Comitiorum Opuſculo Inſtituti Diplomatico - Hiſtorici A. 1791. editi pag. 170. inſerui, integrum autem in his Supplementis me editurum eſſe promiſi. Datam fidem, ut ſolverem, eodem Anno, obtento ex Cancellaria Sereniſſimi Principis Palatini Generali Requiſitorio initio Menſis Octobris ipſe Agriam profectus

ſum,

Digitized by Google

ſum, Inſtrumentum in Elenchis Archivi Conventus Leleſzienſis diu quæſitum, tandem in eo Elencho, quo Acta ab Anno 1433 — 1499. recenſentur, ſub litera H. Articulo *Hungariæ Regnum* ſub Indiciis N. 62. & in Faſc. Actor. A. 1440. N. 11. ægre repertum facile impetravi, ut illud in Sacriſtia ſeu Conſervatorio mihi inſpicere liceret; ſed cum Officio muneris adſtrictus abeſſe tamdiu non poſſem, dum deſcriberetur, & ſub authentico expediretur, tum illud, tum alia in iisdem Elenchis a me reperta, & connotata in uſus Lucubrationum mearum deſervitura virtute Requiſitorii tranſumi, & expediri petii, in eoque facilem cuſtodem expertus ſum, & diſceſſi. Interim illud ipſum tempus erat, quo reducto priſtino Judiciorum ordine poſt diuturna Juriſtitia protractis etiam Comitiis aucta, plurimi cauſas agentium in eodem Capitulo, triplicia Archiva, ſuum utpote, Leleſzienſis, & Jaſzovienſis Conventuum jam adminiſtrante, Documenta quærebant, quibus expediendis, cum jura privatorum concernerent, æquum fuit promtiorem operam commodare, & nihilominus hujus quoque deſcriptio ſepoſita eſt. Dabo integras literas per cuſtodem hac de cauſa Agria, d. 22. Dec. Anno 1791. ad me ſcriptas, bona ejus venia, cum ad uberiorem Inſtrumenti notitiam faciant, ex quibus una patebit, conatus meos promovendi ſtudium, & quanta Religione Venerabilia Capitula in expediendis iis etiam Documentis

Digitized by Google

mentis verſentur, quæ non privata Jura, ſed publica olim negotia concernunt.

„ Non ceſſavi ego urgere in Notariatu V. Capituli
„ expeditionem deſideratorum Inſtrumentorum:
„ verum Notariatus nunc præſertim, dum poſt
„ plures Annos adminiſtratio Juſtitiæ curſum le-
„ galem accepit, expeditionibus, quas Expreſſi
„ conſtanter hic ſollicitant, etiam ad meam noti-
„ tiam obrutus ſemet excuſavit. Jam vero tandem ad
„ me adtulit, hanc tamen comportare nunc fere
„ phyſice impoſſibile eſt, cum Originale etiam,
„ ubi integrum eſt, detritum adeo ſit, ut pluri-
„ mis in locis oculus etiam acutiſſimus, & in
„ antiquis characteribus verſatiſſimus, cum adju-
„ torio vitri quoque auctorii vix voces divinare
„ poſſit, augeatque difficultatem hanc ſolis radio-
„ rum nimia obliquitas, ac brevis ejusdem ſu-
„ pra horizontem commoratio, & ſequaciter die-
„ rum potiſſimum nebuloſarum major obſcuritas.
„ Hinc ut expeditio Privilegii tam celebris, quan-
„ tum fieri poteſt, accurata ſit, nec honor Ca-
„ pituli noſtri, ſub cujus nomine, & Sigillo fiet,
„ criſi exponatur, de neceſſe exſpectandi ſunt
„ dies longiores, & radii ſolis magis perpendi-
„ culares. Interim dabit operam V. Capitulum,
„ ut quo fieri poteſt, citius, & accuratius deſi-
„ derio tam Publici, quam prætitulatæ D. V. ſa-
„ tisfiat. Decretum Sigismundi Braſſoviæ, feria
„ 2. prox. poſt Dominicam Reminiſcere Anno D.
„ 1427. emanatum vix exſpectationem explebit,
„ nam ſonat de qualiter reprimendis Exercituan-
„ tium exceſſibus, de naturalium per Exercituan-
„ tes, qualiter ſolvendorum limitatione, ac pre-
„ cio Salis Regii, ſed cum jam in continenti
„ poſt Wladislaianum deſcriptum ſit, manere
„ debet, & expeditio facit 12. integras phyleras.

„ Agriæ

Digitized by Google

„ Agriæ 22. Decemb. 1791. E. Joſephus Zabracz-
„ ky. m. p. “

Res porro ita manſit usque ad finem veris Anni 1792. dum tandem idem Epiſcopus Zabraczky, Vir undecunque æſtimabilis, Budam ad Comitia profectus, cum conſenſu V. Capituli, & tranſumtum Sigillo Capituli jam munitum, & ipſum Originale ea intentione ſecum adferret, ut tranſumtum quidem, quo textus accuratior eſſet, ſuoque Originali ex aſſe reſponderet, etiam per Officiales Archivi Regio Cameralis Hung. omnis vetuſtæ Scripturæ peritiſſimos, cum eodem iterum comportaretur, (optarem tam ſollicita religione primos Decretorum Comitialium Editores in accurando textu Legum authentico verſatos fuiſſe) ipſum autem Originale, ſi requirerentur, Archivo Regni muneri offerrent. Ego hac ſpe lætus, præcipuos utriusque Comitiorum Tabulæ de hac præclara V. Capituli voluntate edocui, eventus votis ac ſpei reſpondit, retento pro Conventu recenti tranſumto, quod pro me deſtinatum fuerat, Originale ipſum Archivo Regni reſignatum eſt (A). Utinam hoc laudabili exem-

(A) Res in Diario Comitiorum Anni 1792. in latinum verſo pag. 107. ad diem 24. Jun. Seſſ. 25. ſequentibus verbis memoriæ conſignata eſt: *Hæc inter Capituli Agrienſis Nuncius indicavit, repertum in Coenobio Leleſzienſi Primigenium Wladislai II. Regis Diploma Inaugurale; id ſe conſignare velle Sereniſſimo Palatino, reponendum in Regni Tabulario. Eundem quoque in finem exhibuit Legatus*

exemplo ducti, alii quoque tam privati, quam communitates, pro ſui gloria, & commendatione authentica hujusmodi Exemplaria vetuſta, & coæva, quæ poſſident, eidem Archivo tam benevole traderent, cum illa ſingulis nulli uſui ſint, in Archivo Regni autem, non ornamento ſolum, ſed etiam adornandæ, & ad ea exigendæ Collectioni

---

gatus Comitatus Scepuſienſis Auream Andreæ II. Regis Bullam, a Maria Regina tranſumtam. Oportet me hunc memorabilem Diarii locum illuſtrare. Wladislaus II. hic errore typothetarum ponitur pro primo apud nos, nam apud Polonos hujus nominis tertius erat. *Per Cœnobium* Leleſzienſe non privatum illius Archivum, aut Bibliotheca ut aliquis putare poſſet, verum Conventuale loci credibilis conſervatorium, ut ex præmiſſis patet, intelligendum eſt. *Inaugurale Diploma* Inſtrumentum iſtud improprie ſolum appellatur, prout & generatim Wladislao duntaxat tribuitur, cum tamen, & Andreæ II. ac III. & Ludovici I. Decreta tranſumta complectatur, Wladislai I. autem adjectum Decretum præter Præambulum, & concluſionem, quod ſolum *Diplomatis* confirmatorii nomine venire poteſt, non niſi VI. Articulis conſtat, quorum nullus eſt, qui ad Inaugurale Diploma pertineret, & alioquin adhuc in Polonia Cracoviæ Diploma Conditiones ſuſcepti Regiminis Hungarici complexum ediderat, quod in Explicat. Jur. Hung. in Ruſſiam Rubram vulgatum, Katona Hiſt. Crit. Tom. XIII. pag. 23. inſeruit. Nec Andreæ III. Decretum, quod in eodem Inſtrumento tranſumtum confirmatur. Diploma Inaugurale dici poteſt, tum quod nullos Articulos hujus generis habeat, tum quod Anno primum 1298. conditum ſit, cum Andreas jam A. 1290. coronatus fuerit. Quod de Bulla Aurea Andreæ II. a Maria Regina tranſumta per Legatum Comitatus Scepuſienſis Regnicolis exhibita in hoc Diario ſubjicitur, id non de Originali Mariæ (quod in Comitatu retentum eſt) ſed recenti illius tranſumto authentico, quod ſolum Archivo Regni traditum eſt, intelligi debet.

lectioni Decretorum Comitialium deſervire poſſint. Speramus pro hac, quæ undique diffunditur, luce, & multorum Patriam ornandi ſtudio futurum eſſe, ut ſub Comitiis primitus celebrandis ardentis hujus voti communis damnemur, & in Diario Diætali longam eorum ſeriem legamus, qui digno cum encomio memoriæ gratæ poſteritatis commendabuntur, quod vulgi præjudicia ſupergreſſi, cum vetuſtis Actis, ſtatum Publicum concernentibus nullum amplius arcanum fecerint, neque communia Gentis ornamenta intra privatos parietes carceribus incluſa, & ad tenebras damnata poſteritatis memoriæ ſubtraxerint, ſed potius, quo cumprimis pertinent, ad Archivum Regni transtulerint, ſicque jacturam, quam præteritorum temporum injuria in monumentis Legislationis domeſticæ Patria perpeſſa eſt, utcunque reſtaurare ſtuduerint.

In Archivo Regni, ubi alia quoque Decreta Comitialia nunquam ſatis laudando ſtudio Ludovici de Batthyan, olim Regni Palatini conquiſita, in authenticis Exemplaribus conſervantur, quorum nonnulla adhuc inedita hic profero, de benigno aſſenſu Sereniſſimi Hereditarii Regii Principis Archi-Ducis, & Palatini, tum hujus Wladislaiani Inſtrumenti, tum aliorum, quæ ad rem meam faciebant, copiam facile obtinui, uti ſingilatim ſuis locis profitebor.

Potitus huc tam inſigni Monumento, transmiſi ſtatim ejus copiam illuſtri Viro, Conſtitutio-

nis

nis Reip. Hung. & Juris peritiſſimo, multaque eruditione, & geſtis præcipuis muneribus in Patria claro, cujus amicitia merito glorior, & cujus opera Decretis aliquot additas Notas jam in Veſtigiis Comitiorum ediderам, petiique ab eo, ut iſtud quoque Notis, quæ occurrerent, illuſtraret, quibus ego deinde meas, ſi quid otii tot inter Lucubrationes ad id ſupereſſet, adjecturus ſim, reſcripſit ille d. 30. Nov. 1792. cetera inter hanc in rem ſequentibus.

„ Jam ad ipſum Diploma Wladislaianum: termi-
„ nato his diebus, qui mihi obtigerat --- labore,
„ illud tantisper inſpexi. Decretum Andreæ III.
„ quod continet, eſt omnino Theſaurus Statiſticæ
„ Hungariæ antiquitatis, quo pretioſiorem ætas
„ noſtra non eruit. Admovi manum. Tuam Pa-
„ ragraphorum diviſionem ferme ubique retinui,
„ & juxta hanc prodiverunt Leges LXXX. præter
„ concluſionem. Signavi §§. ſua ſerie curſuali-
„ bus numeris, tum ſingulo Rubricam præfixi,
„ quam non e litera, ſed e Spiritu ſinguli §.
„ deſumſi. Dolebat mihi, quod momentoſæ in
„ in ſe Leges adeo ad invicem permiſtæ ſint,
„ ut Lectorem confundant potius, quam illumi-
„ nent. Quare contraxi Rubricas ad Homoge-
„ neas materias, uti id tibi annexum folium ex-
„ hibebit. Si mihi Leges ipſas hoc ordine de-
„ ſcribere, & ſingulam commentari liceret, næ
„ id magnam toti Decreto lucem adferret; habe-
„ ret enim Lector concentratas ſemper ideas,
„ quas ego, ſi ordinem Decreti ſequar, per pro-
„ vocationes, & repetitiones ſæpe turbare debe-
„ bo. Sæpe enim aliquis §. præcedit, qui na-
„ turali ordine ſequi deberet, & ideo ille com-

mode

„ mode explicari non poteſt, niſi poſterior prius
„ illuſtretur. Vel ſola Rubricarum, ſyſtematico
„ ordine in adnexo folio collocatarum perlectio
„ id tibi planum faciet. Si meminiſti, reduxe-
„ ram ego ad naturalem ejusmodi ordinem §§.
„ Diplomatis a Bela IV. Civitati Peſtienſi con-
„ ceſſi, ut & Leges ab eodem Judæis præſcriptas,
„ & vidiſti, quam planus per id evaſerit duorum
„ illorum Diplomatum intellectus; verum Diplo-
„ mata illa jam per alios ad literam vulgata
„ fuerunt; itaque id mihi pro ſecunda eorum
„ impreſſione licere arbitrabar. Cum Decretum,
„ de quo agitur, nunc primum edendum ſit,
„ neſcio, an hac licentia uti interſit, ne per
„ id fides Inſtrumenti labefactetur. Quare de
„ hoc quoque tuam mihi ſententiam ſignifica.“

Cum ego illuſtri Viro reſcripſiſſem, me non tantum ipſum Andreæ III. Decretum eodem contextus Articulorum, & verborum ordine uti eſſent, ſed totum Inſtrumentum, non obſtante, quod Andreæ II. & Ludovici I. Decreta eo contenta jam etiam in Corpore Juris Hungarici edita ſint, in ſupplemento religioſſime edere decreviſſe, difficultatem autem illam, quæ ex confuſo disjectorum Articulorum ordine in textu retinendo ejus intellectui obeſſet, Lectoribus eo ipſo ſyſtematico Articulorum ordine Decreto præmittendo, in quo ille Rubricas Articulorum ad homogeneas materias pertinentium magis naturali nexu diſpoſuiſſet, tolli poſſe, adjecit ille Notas, & cum Decreto remiſit. Qua ratione in iis verſatus ſit, ſequentibus explicuit:

„ Quod

„ Quod rem ipſam adtinet, non ego me detinui „ cum Grammaticalibus Notis. Senſum clauſula- „ rum tum tantum explanavi, quando Textus „ aut ambiguus, aut ita contortus fuit, ut Oedi- „ po indiguerit. “

„ Hiſtoricas Notas duas tantum, ſed has bene lon- „ gas adpoſui. Verum utraque harum, aut facta „ a nullo Hiſtorico hactenus prodita, aut combi- „ nationes, per neminem adhuc inſtitutas conti- „ net. “

„ Totus itaque in eo fui, ut hominibus noſtris „ oſtenderem, quomodo veteres Leges, aut In- „ ſtrumenta meditari? quomodo ad invicem „ combinare? quomodo denique meritorias ex „ iis, circa Jus noſtrum Civile, & Publicum, imo „ ipſam Statiſticam obſervationes depromere de- „ beant? “

„ Quod ut præſtem, conabar, ubi potui: “

„ 1) Si non Hiſtoriam, ad minus occaſionem, „ ex qua Lex aliqua lata fuit; tum motivum, ſeu „ rationem Legis indicare. “

„ 2) Cum plurimas veteres Leges in effectum „ non abiviſſe conſtet, ſicubi pragmaticum habui „ argumentum pro eo, quod reipſa effectuata „ fuerit, illud protuli. “

„ 3) Combinavi ſingulam memorabilem Legem „ cum præcedentibus, & ſubſeque de eodem ar- „ gumento perlatis, ſicque originem, variationes, „ & abrogationem ejusmodi Legis erui. “

„ 4) Exegi ſingulam *Civilem* Legem ad funda- „ mentalia Juris noſtri Principia, *Politicam* vero „ ad Theoriam Conſtitutionis noſtræ, & ſi ab „ his deviavit, adnotavi. Denique. “

„ 5) Interſerui complures Juridicarum, & Po- „ liticarum antiquitatum noſtrarum notitias, quas „ neminem adhuc aut protuliſſe, aut recte com- „ binaſſe deprehendi. “

„ Quo

Digitized by Google

„ Quo ſucceſſu hæc præſtiterim? tu ipſe potes exiſti-
„ mare. Ego, licet opus ad majorem, ac ipſe
„ exiſtimabam, molem excreverit, niſi me amor
„ proprius fallit, non inutilem operam me præ-
„ ſtitiſſe puto."

Non Andreæ III. ſolum Decreto, ſed reliquis etiam, quorum primi Editoris gloriam divina providentia mihi deſtinaverat, Vir idem ſimiles notas adjecit, quas in hoc Supplemento benevolus Lector, meis diſtinctis numeris expreſſis, reperiet, de quibus, ne deinceps ad hanc Hiſtoriam redire debeam, pauca adhuc ex ejusdem literis d. 3. Martii 1793. ad me ſcriptis verba hic ſubjicio.

„ Cape tua Decreta, non tam notis, quam obſer-
„ vationibus Pragmatico Politicis, & Juridicis il-
„ luſtrata. Unica tamen ad Art. 2. Andreanum,
„ modum notæ excedere videtur. Quare, ſi eam
„ aut exmittas, aut in compendium mittas, non
„ adverſabor. Ceterum rationem Inſtituti, quod
„ in Lucubratione hac tenui, jam poſtremis meis
„ indicavi. Ubi ipſe eam attentius expenderis,
„ advertes, quod non pauca pro Politia Hunga-
„ riæ, uti & Juris Hiſtoria, materialia contineat.
„ Invenies ſolutum, quod in Veſtigiis pag. 392.
„ propoſuiſti, Ænigma de eo: quid ſignificet
„ clauſula. *Ab omnibus pro verò Decreto Regni*
„ *haberi volumus.*"

„ Videbis, quid demum de Exercitualibus pecuniis
„ hactenus eruere potuerim. Obſervabis, quantum
„ authentia Decretorum Bachienſium Anni 1518
„ & 1519. fluctuet. Denique reperies dignam at-
„ tentione de forma Ludoviceorum, & primorum
„ Ferdinandi I. Decretorum obſervationem.

„ En jam nunc cum notis ipſum:

WLADISLAI I. REGIS HUNGARIÆ.

DECRETUM.

Quo Articulos Libertatum, & Legum ab Andrea II. Anno 1222. ab Andrea III. Anno 1298. & a Ludovico I. Anno 1351. privilegialiter conceſſos tranſumit, confirmat, ſuosque Conſtitutionum Articulos addit. Datum in Alba Regali, in Feſto B. Eliæ Prophetæ A. D. 1440. Notis Pragmatico — Politicis, & Juridicis illuſtratum.

„Wladislaus DEI Gratia Hungariæ, Polo-
„ niæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Gal-
„ liciæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæque
„ Rex &c. Lithvaniæque Princeps ſupremus, &
„ Hæres Ruſciæ, ad perpetuam rei memoriam
„ præeſſe feliciter, & prodeſſe ſalubriter auctore
„ Domino cunctis noſtris ſubditis cupien.

§. 1. „Quamvis omnium Opifice largiente,
„ ampla undique Manus noſtra concluſerit, &
„ ſibi commiſſa regat Dominia, quibus intrinſe-
„ ca Principatus ſublimitate de ——————itus
„ oblata Regnorum Faſtigia, minime nos appe-
„ tere opus eſſet, *vocati tamen noviſſime, &*
„ *aſſumpti* Diſpoſitione, ut creditur, Superna, ad
„ hujus Regni circumquaque æmulorum attriti
„ inſultibus, Gubernacula, eam in primordio ope-
„ ram accuratius agere inſtituimus, illamque di-
„ ligentiam primitialiter pro ſubjecta utilitate, &
„ æque bono ſtatu apud eos gerentes, decerni-
„ mus, per quam, & eorum deſiderio propen-

„ ſius

Digitized by Google

„ ſius ſatisfiat, & commoditas profutura uberius „ ſubſequatur: ut eo facto illic amplior noſtræ „ ſolertiæ benevolentia appareat, ubi multo deſi- „ derio excitati, intenſiore ſtudio inviti, ex debito „ cogimur: ſicut prope ——————fieri congruit „ initio inter ſubditos penitus volen. diſcrimina „ conculcare, fovere Juſtitiam, & impunitam „ licentiam delinquentium obvio remedio re- „ frenare.

§. 2. „Sane cum nuper poſt obitum condam „ Sereniſſimi Principis Domini Alberti Romano- „ rum, ac Hungariæ &c. Regis, per Univerſitatem „ Dominorum Prælatorum, & Baronum, Comi- „ tum *Militum a)*, Procerum, & Nobilium hu- „ jus Regni, ſibi ſecundum quod ejusdem Regni „ undique æmulorum vicinatu turbati expoſceret „ neceſſitas de novi Regis confeſtino præſidio „ providere cupientium *efficaci vocatione*, *&* „ *Electione* ad ſuſcipienda hujus Regni Guberna- „ cula primum invitati, & demum multa Inſtan- „ tia etiam perducti fuiſſemus *b*) tan——————— „ medio Corona illa vera, qua Reges Hunga- „ riæ perprius coronari ſoliti fuere, per Do- „ minam Eliſabeth, Reginam præfati condam Ad- „ alberti Regis relictam, de Caſtro Miſſegradien. „ *propter multum incautam conſervationem ejus-* „ *dem c*) clandeſtine ſublata fuerit, tamen nunc „ ipſi Prælati, Barones, *Comites*, Milites, Pro- „ ceres, & Nobiles ejusdem Regni in multitu- „ dine tam maxima, quantam præcedentium Re-

„ gum Coronationis tempore, vel memoria
„ hominum non comprehendit, ad Nos congre-
„ gati profitentes, denuo ſe recte modo confe-
„ ſtina Gubernatione carere non poſſe, iterato-
„ que Electionem noſtram prætactam uno animo
„ approbantes, & confirman. conſeq————
„ habere locum meditantes, alia Corona Beatiſ-
„ ſimi Regis Stephani Apoſtoli, & Patroni hu-
„ jus Regni, in Theca reliquiarum Capitis ejus-
„ dem alta veneratione conſervata æque egregii
„ operis, & pretioſa ſolempniter coronari fecerint,
„ ipſoque Sacro Diademate inſigniri, *omne ro-*
„ *bur, & omnem efficaciam ipſius prioris Coro-*
„ *næ Hungariæ etiam in perpetuum, ſi ea re-*
„ *cuperari non poterit, in hanc modernam trans-*
„ *fundendo d)* committendoque Nobis in Decre-
„ to omnem Regiæ Poteſtatis plenitudinem, &
„ directum Principatum dirigendum.

a) Juxta litteralem clauſulæ hujus ſenſum, *Milites, Proceres, & Nobiles* diverſas inter ſe Civium conditiones efficere debuiſſent; præſertim cum jam in S. Stephani Lib. I. Cap. 4. in exordio claſſes Civium hoc modo exprimantur: *Principes, Barones, Comites, Milites, & Nobiles.* Interea conſtat, quod e Baſi Conſtitutionis Hungaricæ, omnis *Nobilis* fuerit *Miles*, & viciſſim. Quare aut per *Milites* militares majoris gradus Præfecti, honoris gratia exprimuntur, aut terminus hic tanquam cum *Nobili* ſynonimus, hic redundat. Idem exiſtimandum eſt, de vocula *Proceres*; ſub hac enim nomenclatione, Hungaria diſtinctum ſtatum nunquam agnovit, ſed compellatio hæc, *Baronibus* Regni, & *Comitibus* Parochianis tribuebatur, hi autem iſthic jam antea nominantur. Itaque aut terminus,

minus, *Proceres*, etiam redundat, aut eos, qui majora civilia, præſertim aulica officia geſſerunt, quin Barones, aut Comites fuerint, deſignare debet.

b) Clauſula hæc confirmat illam Hiſtoricorum narrationem, quod Wladislaus Polonus, poſtquam Eliſabetham Alberti Regis viduam, maſculum, poſthumam prolem enixam eſſe, intellexiſſet, Coronam Hungariæ acceptare, diu reluctatus, nec niſi poſt irremiſſas Legatorum preces iisdem aſſenſus ſit.

c) Clauſula hæc parte ex una confirmat traditionem illam, quod Regina Eliſabetha Coronam e Caſtro Viſſegrad clam ſuſtulerit, parte vero ex alia reffellit illam opinionem, quod id per colluſionem cum Ladislao Gara, eotum Coronæ Cuſtode (quem Status propter ſuſpicionem hanc ſtrictis gladiis in Comitiis impetierunt) perfecerit. Si enim id ita ſe habuiſſet, non diceretur hic: *propter multum incautam conſervationem*, ſed: *propter nefariam Coronæ Cuſtodis cum eadem Regina colluſionem.*

d) Conſimilem ferme Clauſulam habet, editum de 1308. Caroli I. dum non *veteri* Regni, ſed *nova* per Pontificem ſubmiſſa Corona inauguraretur Publicum Inſtrumentum in Veſtigiis Comitiorum Pag. 178. ubi dicitur: *ut novum hoc* (nempe Diadema) *antiquo illi, dum ſic detineretur, ſuccederet . . . Jus idem, eademque poteſtatis gratia noſceretur.* Quæ vero vis *veteri*, id eſt genuinæ S. Regni Coronæ tributa fuerit? in eodem Inſtrumento jam ſuperius explicatum eſt, dum dicebatur: *Cui* (nempe veteri Coronæ) *multum reverentiæ atque authoritatis, ex dicti Regni Incolarum opinione defertur, quaſi in eo ſit Jus Regium conſtitutum.* Itaque Inſtitutum illud, ut nemo, niſi illa in ſpecie, qua S. Stephanum inſignitum fuiſſe credimus, Corona redimitus, pro *legitimo* Rege habeatur, jam ab exordio ſecundæ Regum Epochæ viguiſſe ſatis apparet. An tamen illud jam in prima Regum Epocha viguerit? necdum ſatis exploratum eſt.

Digitized by Google

Statuit quidem Verböczius Parte II. Tit. 14. §. 9. quod *Petri Abæ*, *Salamonis*, Stephani IV. & Ladislai III. Privilegia nullum robur obtineant; Inſtituti tamen hujus non eam reddit rationem, quia *vera* Regni Corona non fuerunt redimiti, prouti id poſtea de Wladislao, cujus eſt præſens Diploma, §. 34. diſerte exprimit, & nec coævus aliquis Scriptor, neque ullum hactenus prolatum Inſtrumentum oſtendit, Reges hos alia, quam *vera* Regni Corona incinctos fuiſſe. Itaque Regum horum Privilegia ideo tantum non obſervari videntur, quia ſeu Succeſſorum ſuorum æmulatione, ſeu propter male adminiſtratam Rempublicam, omnia eorum Acta ſubinde in Comitiis antiquata fuerunt, quemadmodum ſub *Petro* reſtituto, de Legibus (*) & Inſtitutis *Abæ* factum fuiſſe, e Keza & Thuroczio conſtat.

(*) Licet Werböczius Op. Trip. P. II. Tit. 14. §. 34. diſerte dicat, Privilegia Wladislai I. non obſervari, hoc tamen teſtimonium alioquin præciſe Hiſtoricum, etiam ſi vim Legis haberet, de Privilegiis privatis, & particularibus Civilibus duntaxat intelligendum eſt, non de Legibus in Comitiis cum Regnicolis conditis, harum enim longe alia eſt, quam Privilegiorum particularium ratio, ad quæ concedenda neque Comitia, neque Regnicolæ ulla ratione concurrunt, uti ad condendas Leges concurrere ſolent, quæ nunquam vim aliter amittunt; quam vel per contrarias Leges poſterius latas, vel per conſvetudinem itidem contrariam. Quod igitur Werböczius de aliquot Regibus dicit, Privilegia eorum non obſervari, hoc de particularibus generatim intelligendum eſt, & pertinet ad Jus Municipale, non item de Legibus (adeoque Jure communi) ſub iisdem Regibus Comitialiter conditis, quæ ſi reperirentur, pro validis, & veris Legibus agnoſcendæ eſſent, ubi illis conſvetudo, aut Leges poſteriores non adverſantur. Si Conſtitutiones ſub Gubernatoribus, aut abſentibus Regibus per ſolos Regnicolas ſub-

inde

Digitized by Google

inde conditæ pro veris Legibus agnoſcuntur, quanto magis illa Decreta pro genuinis Legibus agnoſcenda erunt, quæ iidem Regnicolæ cum Rege ſolenniter in Comitiis ediderunt, etiamſi eas exſtare primus Decretorum Collector, & Editor ignoraverit.

Cæterum Sacram Regni Coronam diverſa, jam in prima Regum Epocha, fata ſubiviſſe admodum probabile eſt, quæ Revaius nec in Commentario, nec in Centuriis ſuis de S. Regni Corona memoravit. Nimirum conſtat ex Chronico Admontenſi, apud Katona Tom. IV. Pag. 778. quod Conſtantia Emerici Regis Vidua, dum 1205. cum filio ſuo Ladislao, ad Ducem Auſtriæ profugit, ipſam etiam Coronam ſecum abſtulerit, Archidux tamen Auſtriæ, poſtquam Ladislaus puer Viennæ deceſſit, eam Andreæ ſponte remiſerit. Concordant etiam in eo, Rogerius, *domeſticus*, & Pernoldus *exter* coævi Scriptores, quod Bela IV. poſt acceptam a Tartaris ad fluvium Sajo cladem, cum theſauro, & omnibus clenodiis, ad Fridericum Auſtriæ Ducem profugit, hic vero eum tota hac pretioſa ſuppellectile ſpoliarit. Quod inter cimelia hæc, ipſa etiam Regni Corona fuerit, vix dubitare; ut autem Fridericus, ademptis omnibus aliis, hanc ſolam, Belæ reliquerit, vix credere licet. Et tamen nemo hactenus detexit, quando? & quomodo illa a Friderico recuperata ſit?

Receptam tamen fuiſſe inde cojicere licet, quia non multo poſt iterum exulaſſe videtur. Apparet nempe e prolatis, a Raynaldo apud Pray Hierarchiæ Parte II. pag. 66. confectæ, inter Stephanum V. & Ottocarum Bohemiæ Regem pacis Tabulis, quod bello illi, etiam ablato theſauro Stephani V. Clenodia, & quidem *Corona*, *Gladius* &c. cauſam dederint, quodve Stephanus V. per pacem hanc, Juri ſuo in Clenodia hæc renuntiarit. Apparet e contra ex Hiſtoriæ Auſtralis parte pleniori, apud Katona Tomo VI. pag. 714. quod renovato inter eundem Ottocarum, & La-

diſlaum IV. bello, ille omnia hæc Clenodia reſtituere debuerit, & inter hæc fuerint, *duæ Coronæ aureæ*, *& Sceptra Regalia*.

Poſſunt quidem hæc de *domeſticis* etiam (ut nunc loquimur) *Coronis*, & *Sceptris* intelligi. Circumſtantiæ tamen illæ: quod Bela quidem IV. non potuerit etiam veræ Regni Coronæ melius proſpicere, quam illam, una cum reliquis Clenodiis, ad ſecurum, ut putabat, locum deportando; Stephanus vero V. quod propter Clenodia hæc Ottocarum bello plane impetierit, rem admodum probabilem efficiunt, in utroque hoc caſu de *vera* Regni Corona actum fuiſſe.

Et ſane debuit Corona hæc in prima Regum Epocha magis adhuc, atque in ſecunda, variis caſibus expoſita fuiſſe; in hac enim in munito Caſtro Viſegradi, per obſtrictam Sacramento ad ejus cuſtodiam militiam, a ſecularibus in hunc finem deſignatis Proceribus, qui poſtea Coronæ Cuſtodes appellati ſunt, tanta cum ſollicitudine aſſervabatur, ut Caſtellanus ejusdem Caſtri, ne e propriis quidem Coronæ Cuſtodis hominibus, plures numero, quam Caſtrenſis militia effecit, ad Caſtrum admittere auſus fuerit, prout id prolata per Revaium juris jurandi formula, quam idem Caſtellanus nuncupare debuit, teſtatum reddit. In prima e converſo Regum Epocha aſſervabatur Corona in Sacriſtia Eccleſiæ Albenſis, per Capituli Cuſtodem, quin vel de eo conſtet, an aliqua pro ejus ſecuritate vigilia adhibita fuerit. Præpoſitus certe Albenſis, ad quem jus beneficium cuſtodiatus hujus conferendi pertinebat, ſecuritati Coronæ per id non ſatis proſpectum eſſe, jam Anno 1198. agnovit, petiitque a Pontifice, ut beneficium hoc una cum onere S. Coronam conſervandi, alteri idoneæ, indubie ſeculari Perſonæ conferre poſſit. Ac Pontificem quidem votis ejus annuiſſe apparet e littera, quam Prajus in Annalibus Regum, e Baluzio, ad hunc Annum protulit; in quem tamen? & ſub quibus conditionibus, cuſtodia

dia Coronæ eorum translata fuerit? nemo hactenus eruit. Id unum tuto ſtatui poſſe videtur, quod cuſtodiatui Albenſi tam opimi ſupra omnium aliorum Capitulorum cuſtodiatus, proventus, qui ad noſtram uſque ætatem perdurarunt, ea de cauſa principio ſtatim attributi fuerint, ut ex iis neceſſariam, pro Coronæ cuſtodia, vigiliam intertenere poſſit, quod cum Cuſtodes ſubinde intermiſiſſent, Præpoſitum Albenſem 1198. munus Cuſtodis Eccleſiæ Albenſis, a cuſtodia Coronæ aut reipſa ſeparaſſe, aut certe ſeparare voluiſſe. Utinam ipſe fundationales cuſtodiatus hujus litteræ aliquando protrahantur! videremus exinde indubie, quis fuerit ſub primis Regibus majorum noſtrorum, de *primitiva* Regni Corona ſenſus.

Interea cum e prolato in Veſtigiis Comitiorum pag. 150. Dipplomate appareat, jam Andreæ III. Coronationem, ob defectum Coronæ S. Stephani tantiſper impeditam fuiſſe, opinionem hanc non tum primum enatam, ſed ab anteriori adhuc ætate transmiſſam, & propagatam fuiſſe, ſatis apparet, ut adeo probabile admodum videatur, quod Inſtitutum illud, ut nemo niſi ſpecifica hac Corona redimitus, pro *legitimo* Hungariæ Rege haberi poſſit, jam inde a primis Regum temporibus viguerit.

Quis, & quomodo Coronam S. Stephani ſub tempus Coronationis Andreæ III. detinuerit? qualiterve eam Theodorus Præpoſitus Albenſis ſubinde recuperaverit? id nec ex provocato Diplomate, neque ex ullo hactenus prolato Monumento, elici poteſt. Id conſtat, quod Venceslaus junior, quem Pars Regnicolarum Andreæ II. ſuffecerat, quive ſe *Ladislaum*, in Diplomatibus appellat, dum in Bohemiam rediret, *Coronam*, & reliqua Regalia Inſignia ſecum abſtulerit, & cum ſubinde Regno ſe ſponte abdicaſſet, eadem Ottoni Bavaro, quem eadem, quæ antea ſibi favebat, Regnicolarum Pars elegerat, remiſerit. Conſtat etiam, quod Ladislaus Tranſylvaniæ Vajvoda capto Anno

1307

Digitized by Google

1307. Ottone hoc, ipſam etiam Coronam, & Regalia Inſignia, neſcitur tamen quomodo in ſuam redegerit poteſtatem. Conſtat denique, quod hanc non niſi 1310. Carolo I. reſtituerit. Tot S. Coronæ, intra tam exiguum tempus viciſſitudines, debuerunt majorem de ſecura ejus cuſtodia ſollicitudinem, ſeu apud Regem, ſeu apud ipſos Status excitare, atque ita ſub Carolo I. enatum fuiſſe videtur Inſtitutum illud, ut in Caſtro Viſſegrad, a ſecularibus Proceribus, per deſtinatam ad hunc uſum militiam aſſervetur. An tamen eadem occaſione neceſſarii etiam hanc in rem ſumptus, e proventibus cuſtodiatus Albenſis, cui onus hoc antea inhærebat, deſumpti fuerint? non eſt in comperto.

Cæterum de duobus tantum Regibus hactenus conſtat, quod ex defectu *veræ*, alia Corona inſigniti fuerint, & in utroque caſu Status Regni neceſſitati huic aliter ſubvenerunt. Nimirum ſub Carolo I. nova, quam Pontificius Legatus efformari curaverat, ſub Wladislao autem I. illa, qua cranium S. Stephani ornabatur, Corona uſi ſunt. Debuit indubie Pontificia illa, poſtquam Carolus *veram* recuperavit, ad præcavendas siniſtras, quæ e duplici Corona enaſci potuiſſent, ſequelas, ſubinde confringi, ſi enim eadem ſuperfuiſſet, indubie Status etiam Wladislaum hac, velut per Legatum Pontificium eotum ſolenniter benedicta, & pro uſu hoc ſemel jam adhibita Corona redimiviſſent. Ipſa illa, qua Wladislaus inſignitus eſt Corona, quorſum ſubinde devenerit, non conſtat. Forte cranio S. Stephani iterum impoſita, forte alteri alicui Eccleſiæ donata, forte ex eodem metu etiam confracta fuit. Cæterum e producto per Pray Diatr. pag. 183. Diplomate apparet, morem hunc diu retentum fuiſſe, ut Reges cum impoſita capiti aurea Corona ſepeliantur. Dicitur enim ibi de Joanne Cuſtode Albenſis Eccleſiæ, quod propter etumulationem Caroli I., *atque Coronæ ipſius aureæ mirifici operis tem-*

pore

*pore ſuæ depoſitionis, in ipſius caput locatæ manife-
ſtam ſubtractionem* ad perpetuos carceres condemna-
tus ſit. Ex quo una apparet, Reges *domeſticas* etiam
Coronas inter Cimelia ſua habuiſſe.

„§. 3. *Quibus in DEI Nomine feliciter per-*
„ *actis a*) ſubſequenter ipſa Univerſitas Regni
„ noſtri præhabitis inter ſe communiter mutuis
„ Tractatibus ſupplicavit ſibi de ſpeciali Diſpoſi-
„ tione, per quam & nociva reformentur, &
„ utilia conſerventur, indebiteque commiſſa com-
„ mendentur, per Nos provideri, *exhibuerunt*,
„ *& obtulerunt noſtræ Celſitudini quendam Libel-*
„ *lum* in ſui contenti tenore per eos, ut dice-
„ bant diligenter maſticatum, certos Articulos
„ Conſtitutionum, & Diſpoſitionum *ex Litteris*
„ condam *Andreæ filii Tertii Belæ* Regis, & Lu-
„ dovici Dominorum Hungariæ Regum Prædeceſ-
„ ſorum noſtrorum, item ex quibusdam aliis Literis
„ olim Prælatorum, Eccleſiaſticorum, & Nobilium
„ Regni *tempore Coronationis* condam alterius
„ *Andreæ Regis Hungariæ* dicti de Venetis *b*)
„ emanatis *extractos* & *exceptos c*) in ſe con-
„ tinen. ſupplicantes Majeſtati noſtræ unanimiter,
„ & humiliter: ut ex quo eædem Conſtitutio-
„ nes modo, prout in ipſo Libello, ſeu Regi-
„ ſtro continentur, eorum bono ſtatui, conve-
„ nien. fore, atque ad utilitatem eorum, & to-
„ tius Regni conducere poſſe viderentur, easdem
„ quoad omnem contin. innovantes, confirmare
„ dignaremur. Cujus quidem Libelli ſcilicet

„ Con-

„ Conſtitutionum prætactarum tenor ſequitur, „ & eſt talis.

a) Clauſula hac cum expoſitione præcedentis §. combinata apparet, Decretum hoc non eſſe *inaugurale*, ſed Status peracta jam Coronatione exhibuiſſe Wladislao pro confirmatione, tria illa Decreta, & ſex Articulos de novo conceptos, adeoque Articulos hos eſſe *Poſt-Coronationales.*

b) E converſo e voculis: *Tempore Coronationis condam alterius Andreæ Regis Hungariæ, dicti de Venetiis*, concludi deberet Decretum Regis hujus, quod Wladislaus confirmat, omnino eſſe *inaugurale*, Verum Andream III. jam 1290. regnaſſe, Katona Tomo VI. pag. 1028. & ſequen. pragmatice edocuit, Decretum vero ejus, quod hic confirmatur, 1298. emanavit. Itaque Compilatorem Decreti Wladislaiani, hic ſe improprie expreſſiſſe, manifeſtum evadit, quid autem anſam errori dederit, infra ad Articulum 41. oſtendemus.

c) E voculis *extractos*, & *exceptos* concludi deberet, quod Status non totum Andreæ II. Andreæ III. & Ludovici I. Decretum, ſed aliquos tantum Articulos inde *exceptos* Wladislao pro confirmatione præſentaverint, reipſa tamen integra eſſe omnia tria hæc Decreta, ipſe eorum contextus ſatis indicat. Quare Compilator Decreti hujus, ſicut in aliis bene multis locis, ita hic etiam voculas has improprie adhibuit.

***Libertates, & Conſtitutiones Regni Hugariæ ex Litteris Andreæ Regis Filii III. Belæ Regis extractæ* (1).**

Articulus I. 2) „Ordinamus in hunc modum: Ut annuatim in Feſto S. Stepani Regis, „ niſi arduo negotio ingruen. vel infirmitate fue-

„ rimus

„ rimus prohibiti, Albæ teneamur ſolempnizare,
„ 3) etſi Nos intereſſe non poterimus, Palatinus procul dubio ibi erit pro Nobis, & vice
„ noſtra cauſas audiat: & omnes ſervientes,
„ qui voluerint, libere illuc conveniant."

1) Hæc Rubrica non eſt a me addita, ſed in ipſo Originali habetur.

2) Hæc Decreta in Originali in nullos Articulos, aut §§. diviſa, ſed continenter in extenſo deſcripta ſunt. Ego in illis, quæ jam in Corpore Juris Hung. edita erant, retinui eandem Articulorum diviſionem, quæ ibidem habetur, cum jam ita citari conſueverint, reliqua Decreta ipſe in Articulos diviſi, eorumque numeros præfixi, quod de omnibus ſubſequis intelligendum eſt.

3) Verbum *ſolennizare* apud Du Cangium duplici ſenſu exponitur: *publicare, vulgare*, & *ſolenne feſtum agere.* Cum autem feſtivitates duplices ſint, *ſacræ* nimirum ſeu religioſæ, & *civiles* ſeu profanæ, utriusque ordinis feſta ſolenniter agi, ſeu ſolennizari dici poſſunt, ut exempla in Du Cangio prolata docent. Sed quid ea vox in Decreto iſto Andreæ II. ſignificet, inter noſtros adhuc non conveniebat. Moſſoczius in prima editione Decretorum ad hunc Articulum ſequentem gloſſam marginalem appoſuit: *Feſtum S. Regis Stephani in Alba Regia ſolennizetur* cum ea concordat in ſenſu, præfixa ei Rubrica: *De ſolennitate S. Regis Stephani annuatim celebranda.* Trahitur igitur hic ſenſus Articuli præciſe ad ſacram hujus diei feſtivitatem. Ut reliquos prætercam, qui hanc Legem eodem ſenſu accipiunt, adfero hujus Articuli vetuſtam, ut ipſa ortographia oſtendit, in Hungaricum translationem, quam ex copia MS. Seculi XVI. deſumſi.

„Elſeu hogh ha mynketh megh nem tylth walamy
„ nagy jeles Zewgiſegewnk, wagh Beregſegewnk,

„ myn-

„ mynden ezthendenkenth Zenth Iſtwan Kyrai „ napyan Zekes feyer waratth tartozwnk *az Innepeth megh illeny*. Es ha my otth nem Lehetewnk, Nadriſpan kethſeghnekewl otth lezen „ erethewnk, ez my kepewnkben, minden ember dolgath megh halgaſſa. Az Nemeſſek es „ az Mellyknek akaratthya lezen, zabadon oda „ gyewlkeſſen.“

Katona Hiſt. Crit. T. V. p. 576. huic Articulo, vocique ſenſum meliorem tribuit, dum dicit, eo Regem & Proceres confluxiſſe, ut velut in parvis quibusdam Comitiis, in commune conſilia conferrent, ſed exempla, quæ pro Veſtigiis hujus conſvetudinis ex autoribus vetuſtis producit, non aliud docent, quam quod ſacræ duntaxat feſtivitatis colendæ cauſa convenire fuerint ſoliti. Ambigua igitur & vaga hæc quoque eſt Sententia. In meis Veſtigiis Comitiorum pag. 101. not. 6. explicatur verbis Articuli; *cauſas audire*. Cum autem hæc explicationum diverſitas ipſam ſubſtantiam Legis attineat, operæ pretium erat, de eruendo vero ejus ſenſu ſollicitari, eumque irrefragabili argumento confirmare. Ego hac quoque in parte tam felicem me fuiſſe gratulor, ut detecto a me Diplomatico argumento, rem confectam eſſe putem. Sunt autem Teſtimoniales pro Dominico ſuper eo, quod idem in cuſione falſæ monetæ, propter quam videlicet Nicolaus & Petrus, filii Nicolai fratres ipſius Patrueles jure convicti, Poſſeſſiones ſuas amiſerant, juxta unanimem Regnicolarem recognitionem innocens

nocens penitus, ac immunis exſtiterit, ex eoque portiones ipſius in Poſſeſſionibus realiter diviſis habitas, Rex olim Carolus pro prætacto reatu indebite confiſcari fecerit, extradatæ; In quibus hæc ad rem præſentem faciunt.

„Nos Nicolaus Regni Hungariæ Palatinus, & Ju-
„ dex Cumanorum memoriæ commendamus, quod no-
„ bis in feſto beatiſſimi Stephani primi Regis Hunga-
„ rorum, Regni libertate a Sereniſſimo Principe Do-
„ mino Endre, olim Rege Hungarorum illuſtri, vigore
„ ſui Privilegii, aurea Bulla vallati, dati, & conceſſi,
„ ac tandem tempore procedente per Dominum no-
„ ſtrum, Dominum Lodovicum eadem gratia ipſius
„ Regni Hungarici gubernaculo feliciter præſidentem,
„ & Coronæ, ſimiliter ſui Regalis Privilegii munimi-
„ ne confirmata, requirente, in Congregatione ejus-
„ dem Regni ſui circa ipſum feſtum fieri debenda,
„ juxta debitum Officii noſtri Palatinatus, una cum
„ Venerabilibus in Chriſto Patribus, Dominis, Nico-
„ lao DEI, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archi-Epiſcopo
„ Strigonienſi, Locique ejusdem Comite Perpetuo,
„ Joanne Veſprimienſis, & Nicolao Zagrabienſis Ec-
„ cleſiarum, eadem gratia Epiſcopis; nec non Viris
„ Magnificis Comite Thoma, Judice Curiæ Regiæ,
„ ac Nicolao Waywoda Tranſylvanienſi & Comite de
„ Zonuk, per Regiam benignitatem *pro faciendo qui-*
„ *buslibet querulantibus recto judicio*, *nec non pro*
„ *quibusdam ſuis*, *& Regni ſui negotiis reſtaurandis*,
„ *& reformandis*, in ſocios nobis deputatis, ceteris-
„ que Eccleſiarum Prælatis, & Baronibus, Regnique
„ Nobilibus, ad ipſam Congregationem congregatis
„ in Alba Regali exiſtentibus. Ut autem in præmiſſa
„ falſarum Monetarum cuſione, & fabricatura inno-
„ cens exſtiterit, & immunis cunctis Regni Nobili-
„ bus, ipſi Congregationi adhærentibus conſtaret evi-
„ denter, quos ibidem per nos requiri, æquitate ſva-
„ dente

„ dente inſtanter poſtulavit. Cum itaque eorundem
„ Prælatorum, & Baronum Regni moderato inducti
„ Conſilio, univerſos Nobiles dictæ Congregationi in-
„ ter adhærentes in eo; utrum præfatus Dominicus
„ præmiſſæ falſæ Monetarum fabricationis vitio reſper-
„ ſus, & obfuſcatus exſtiterit? requiſitos requiſiviſſe-
„ mus, ipſi Nobiles in partem ſe retrahentes, demum
„ ad noſtram, & dictorum Baronum regreſſi præſen-
„ tiam eundem Dominicum in præmiſſa falſa mone-
„ tarum fabricatione innocentem penitus, & immu-
„ nem extitiſſe unanimiter, & concorditer atteſtarunt.
„ . . . Datum quinto die Congregationis prædictæ in
„ loco annotato A. D. M. CCC. LII.“

Ego ex hoc illuſtri loco Diplomatico eam mihi ſolennizationis hujus notionem efformavi, ut crederem eo aut Regem ipſum perſonaliter, aut (quod frequentius evenerit) Palatinum acceſſiſſe, eique per Regem nonnullos Deputatos ex Prælatis, & Baronibus in Co-Judices adjunctos fuiſſe, reliquos autem Prælatos, Barones, & Nobiles, qui aliqua propria negotia habuiſſent, etiam ſpecialiter non vocatos, ſponte confluxiſſe, die ipſo feſti B. Stephani ſacris vacaſſe, (uti alibi ſæpe, conveniente pro ſacra ſolennitate frequenti populo mercatus fori una celebrari ſolebat;) deinde ſequentibus diebus, publica negotia tractaſſe, ac tandem cauſas audiſſe, deciſiſſe, adeoque Jus dixiſſe, & juſtitiam adminiſtraſſe. Videntur autem ex hoc ipſo Diplomatico loco in Judicialibus tantum Palatinus, & illi Adjuncti deputati votum habuiſſe, in publicis negotiis pertractandis probabiliter etiam alii præſentes Præla-

ti,

ti, Barones, Comites, Parochiani, & alii ſimiles, Magiſtratus gerentes. Quæ autem horum ibi aſſumi conſveverint? id e pluribus monumentis determinari deberet; de ferendis Legibus, de indicendo bello, aut ineunda pace, aliisque ſublimioris Imperii objectis, ea occaſione actum non eſſe, ſuapte patet, cum hæc ad generalia Comitia pertinuiſſe, ſaltem quoad Legislationem certum ſit, a quibus Congregationem hanc periodicam (hodie *terminum S. Stephani*, præciſe juri dicundo ſacrum) hoc etiam indicio diſtinguendam eſſe exiſtimo, Juridica itaque & Politiæ objecta ibi tractata fuerint.

Art. II. „Volumus etiam, quod nec Nos, nec „ poſteri noſtri aliquo tempore ſervientes capiant, „ vel deſtruant, favore alicujus potentis; niſi prius „ citati fuerint, & Ordine judiciario convicti.

Art. III. „ Item nullam collectam, nec li„ beros denarios 1) colligi faciemus ſuper præ„ dia ſervientium: nec villas, nec domos de„ ſcendemus, niſi vocati, ſuper populos etiam Ec„ cleſiarum ipſorum nullam penitus collectam „ faciemus.

1) Vetuſtæ illi verſioni Hungaricæ, cujus paulo ante memini, adjectam reperi ſequentem notam: *Cenſus liberorum fuerunt octo denarii ex Conſtitutione Colomani Rgis.*

Art. IV. „ Si quis ſerviens ſine Filio de„ ceſſerit, quartam partem poſſeſſionis optineat „ Filia, de reſiduo ſicut ipſe voluerit, diſponat.

„ Etſi morte præventus diſponere non potuerit, „ propingui ſui, qui eum magis contingunt, op- „ tineant. Etſi nullam penitus generationem ha- „ buerit, Rex optinebit.

Art. V. „ Comites Parochiali prædia ſervien- „ tium non diſcutiant, niſi Cauſam Monetarum, „ & Decimarum, Comites Parochiales Curiam „ nullius penitus diſcutiant, niſi Populorum ſui „ Caſtri; Fures & Latrones Billuci 1) Regales „ diſcutiant, ad pedes tamen ipſius Comitis.

1) Eidem verſioni ad hanc vocem ſequens adje- cta fuit obſervatio: Nonnulli putarunt iſtos Bylochos fuiſſe Nuncios Regum, qui literas invicem tradunt perferendas, quas Turci *Wlachos*, Perſæ *Angaros*, no- ſtrates vero *Poſtas*, hoc eſt, poſitos, & in certis lo- cis collocatos, ſemperque in procinctu excubantes ap- pellant; tamen hoc verum non eſt, cum præſens De- cretum ſatis exprimat, Bylochios habuiſſe poteſtatem Jus dicendi contra Fures, & Latrones, quod fieri non potuiſſet, niſi habuiſſent in bonis Regalibus poſ- ſeſſiones officiorum, alioquin non habuiſſent ſubje- ctam materiam judicandi. Fuerunt igitur Regales By- lochi Officiales partiales Poſſeſſionum Regalium Hun- garice *Kyraly - Falus - Iſpany vocati.*

Art. VI. „ Item populi conjurati in unum, „ Fures nominare non poſſint, ſicut conſveve- „ rant.

Art. VII. „ Si autem Rex Exercitum extra „ Regnum ducere voluerit, ſervientes cum ipſo „ ire non teneantur, niſi pro pecunia ipſius, ac „ poſt reverſionem Judicium Exercitus ſuper eos „ non accipiat. Si vero ex adverſa parte Exer-

„ citus

Digitized by Google

„ citus venerit ſuper Regnum, tunc omnes uni-
„ verſaliter ire teneantur. Item ſi extra Re-
„ gnum cum Exercitu ierimus, omnes, qui Co-
„ mitatus habent, vel pecuniam noſtram, Nobi-
„ ſcum ire teneantur.

Art. VIII. „ Palatinus homines Regni no-
„ ſtri indifferenter diſcutiant. Sed cauſam Nobi-
„ lium, quæ ad perditionem Capitis, vel ad de-
„ ſtructionem poſſeſſionum pertinent, ſine con-
„ ſcientia Regis terminare non poſſint: Judices
„ Vicarios non habeant, niſi unum in Curia ſua.

Art. IX. „ Curialis Comes noſter, donec
„ in Curia manſerit, omnes poſſit judicare, &
„ Cauſam in Curia inchoatam, ubique termina-
„ re. Sed manens in prædio ſuo, poſtulandum
„ dare non poſſit, nec Partes facere citari.

Art. X. „ Siquis Jobbagio habens honorem
„ in Exercitu fuerit mortuus, ejus Filius vel fra-
„ ter congruo honore ſit donandus, & ſi ſer-
„ viens eodem modo fuerit mortuus, ejus filius,
„ ſicut Regi videbitur, donetur.

Art. XI. „ Si hoſpites ſcilicet boni homi-
„ nes ad Regnum venerint, ſine Conſilio Regni
„ ad Dignitates non promoveantur:

Art. XII. „ Uxores decedentium, vel Con-
„ demnatorum ad mortem per Sententiam, vel
„ in duello ſuccumbentium, vel ex quacunque
„ alia cauſa non fraudentur dote ſua.

Digitized by Google

Art. XIII. „ Jobbagyiones ita ſequantur „ Curiam, vel quocunque proficiſcantur, ut „ pauperes per ipſos non opprimantur, nec ſpo- „ lientur.

Art. XIV, „ Siquis Comes honorifice ſe „ juxta Comitatus ſui qualitatem non habuerit, „ vel deſtruxerit Populos Caſtri ſui, convictus „ ſuper hoc coram omni dignitate Regni ſua tur- „ piter ſpolietur cum reſtitutione ablatum.

Art. XV. „ Agazones Caniferri, & Falcari „ non præſummant deſcendere in villis ſervien- „ tium.

Art. XVI. „ Integros etiam Comitatus, „ vel dignitates quascunque in Prædia, ſeu poſ- „ ſeſſiones non conferemus perpetuo.

Art. XVII. „ Poſſeſſionibus etiam, quas „ quis iuſto ſervitio optinuerit, aliquo tempore „ non privetur.

Art. XVIII. „ Item ſervientes accepta li- „ centia a Nobis, poſſint libere ire ad Filium „ noſtrum ſeu a majori ad minorem, nec ideo „ poſſeſſiones eorum deſtruantur.

Art. XIX. „ Jobagyiones Caſtrorum te- „ neantur ſecundum libertatem a Sancto Rege „ conſtitutam, ſimiliter & hoſpites cujuſcunque „ Nationis ſecundum libertatem ab initio eis „ conceſſam conceſſam 1) teneantur.

1) Ita repetitum habetur etiam in Originali. Univerſim hic Lectorem monitum volo, occurrere in hoc toto monumento plurimos in exſcribendis vocibus errores, quos, ob textus ſinceritatem retinere oportebat, quive

Digitized by Google

quive nec lectioni, nec librario, nec typothetæ adſcribi debent, ſed in ipſo Originali per Notarium, indubie Polonum commiſſi habentur.

Art. *XX.* „Decimæ argento non rediman„tur, ſed ſicut terra protulerit vinum vel ſe„getes, perſolvantur, etſi Epiſcopi contradixerint, „non juvabimus ipſos.

Art. *XXI.* „Epiſcopi ſuper prædia ſervien„tium equis noſtris Decimas non dent, nec ad „prædia Regalia Populi eorum Decimas ſuas „apportare teneantur.

Art. *XXII* „Porci noſtri in ſilvis vel pra„tis ſervientium non paſcantur contra volunta„tem eorum *a*).

a) Articulus XXIII. hoc loco exmiſſus fors, quod pro tempore ſolum conſtitutus jam nunc non valuerit.

Art. *XXIV.* „Comites Cameræ Moneta„rii, Salinarii, Tributari, Nobiles Regni, I„ſmaelitæ, Judæi fieri non poſſunt.

Art. *XXV.* „Sales in medio Regni non „teneantur, niſi tantum in Zalard, & in Zee„ged, & in Confinibus.

Art. *XXVI.* „Poſſeſſiones extra Regnum „non conferantur. Si aliquæ collatæ, vel ven„ditæ fuerint, Populo Regni ad redimendum „reddantur.

Art, *XXVII.* „Mardurinæ juxta conſvetu„dinem a Colomano Rege conſtitutam ſolvan„tur.

Digitized by Google

Art. XXVIII. „ Siquis Ordine Judiciario „ fuerit condempnatus, nullus potentum eum poſ- „ ſit defendere.

Art. XXIX. „ Comites Jure ſui Comitatus „ tantum fruantur: cætera ad Regem pertinen. „ ſcilicet Cipriones, Tributa, boves, & duas „ partes Caſtrorum Rex optinebit.

Art. XXX. „ Item præter hos quatuor Jobagiones: ſcilicet Palatinum, Banum 1) Curiæ, „ Comites, Regiæ, & Reginæ duas dignitates „ nullus teneat.

1) In memorata verſione adnotatum habetur: *Banus iſte fuit Regnorum Croatiæ, & Dalmatiæ,* fors non otioſe, nam olim in Hungaria, & adnexis Provinciis multi, & varii Bani erant.

Art. XXXI. „ Et ut hæc noſtra tam „ Conceſſio, quam Orginatio ſit noſtris noſtro- „ rumque Succeſſorum temporibus in perpetuum „ valitura, eam conſcribi fecimus in ſeptem pa- „ ria Literarum, & aureo Sigillo noſtro robora- „ ri: ita quod unum par mittatur Domino Pa- „ pæ, & ipſe in Regiſtro ſuo ſcribi faciat: ſe- „ cundum penes Hoſpitale 1) tertium penes „ Templum, quartum apud Regem, quintum „ in Capitulo Strigonienſi, ſextum in Colocen. „ ſeptimum apud Palatinum, qui pro tempore „ fuerit, reſervetur: ita quod ipſam ſcripturam „ præ oculis ſemper habens, nec ipſe deviet in „ aliquo in prædictis, nec Regem, vel Nobiles, „ ſeu alios conſentiat deviare: ut & ipſi ſua gau-

„ deant

„ deant libertate, & propter hoc Nobis, & „ Succeſſoribus noſtris exiſtant fideles, & Coro- „ næ Regiæ obſequia debita non negentur (*). "

1) Hic iterum verſioni adjectum habetur: *Hoſpitale & Templum puto fuiſſe Albæ Regali*, & id mihi quoque veri ſimile eſſe videtur, unum nimirum exemplar cum Clenodiis Regni apud Cuſtodem, alterum apud Hoſpitalarios, velut locum credibilem conſervandum.

(*) Deeſt Decret, an. 1222. Art. 31. §. 2. Id poteſt non levem ſuſpicionem lecturis ingerere, quaſi is ſero poſtea in Apographo intruſus fuerit, præſertim quod illius nulla etiam mentio fiat in Decret. ejusd. Andreæ an. 1231. quod Bullæ aureæ an. 1222. in omnibus, pene in ipſis etiam verbis, ſimillimum eſt. Incredibile enim videtur, ut novem annorum ſpatio, tantum enim utrinque intereſt, memoriæ lapſus in re tam gravi, vel oſcitantia intervenerit. Nulla enim major immunitas excogitari poteſt, quam poſſe Regibus impune reſiſtere. Cum igitur hoc quoque loco is §. omiſſus fuerit, neceſſe eſt, ut prius vel non exſtiterit, vel certe antiquatus fuerit, poſtremi hujus nullum veſtigium exſtat, niſi forte opem a Decreto an. 1231. petamus, in quo, ſi Rex immunitates Regni non ſervaret, Strigonien. Archiepiſ. poteſtatem dat, Regem excommunicandi. Si vero id eſt, qui factum, ut ſerius dein, ſi unquam exſtitit, priori loco reponeretur? G. P.

Huc facit & illud, quod in Decr. Andreæ III. quod an. 1298. refert, loco dicti §. Bullæ aureæ, ponatur Sententia excommunicationis de conſenſu Prælatorum ab Archiepiſcopo Colocen. in Regem ferenda, ſi ea, quæ tempore Coronationis ſuæ promiſerat, & nunc ſtatuta ſunt, non ſervaverit. Idem qui ſupra.

Georgius Pray m.p.

Hæc tota diſſicultas evanaſcere videtur, ſi tempora emanatorum Decretorum combinemus. Tranſumtum iſtud eſt Wladislai I. Anni 1440, qui diſerte fatetur, illud eſſe *Libertates, & Conſtitutiones Regni Hungariæ ex Literis Andreæ Regis extractas.* Licet autem pleroſque omnes Articulos de verbo retinuerit, exmiſit tamen præfationem, Articulum XXIII. & cum iſta clauſula totam concluſionem. Bulla aurea Andreæ II. Anno 1222. edita, jam per Ludovicum I. Anno 1351. adeoque 89, & per Mariam I. Anno 1384. adeoque 66. Annis ante, item per Mathiam I. Anno 1464. 20. Annis poſt Wladislaum I. tranſumta, & confirmata fuit, quorum Originalia adhuc multa ſuperſunt, in quibus clauſula iſta diſſertiſſime legitur. Omnes iſti Reges tranſumentes, & confirmantes confitentur, quod ſibi Regnicolæ *exhibuerunt quasdam Literas Privilegiales Andreæ II. aurea Bulla ſua roboratas, omni penitus ſuſpicione carentes, de verbo ad verbum præſentibus inſertas acceptantes, ratificantes, & approbantes.* Anno autem 1231. nec tranſumſit, nec excerpſit Bullam ſuam auream, ſed novum Decretum edidit, licet priori ſimillimum, & novum obligationis vinculum, videlicet excommunicationem pro caſu, quo eidem contraveniret, in ſe aſſumſit, Wladislaus I. autem non profitetur ſibi Andreæ II. & aliorum, quorum Decreta tranſumſit, eſſe illa in ipſis Originalibus exhibita, ſed tantum dicit;

ex-

Digitized by Google

exhibuerunt, & obtulerunt noſtræ Celſitudini quemdam Libellum in ſui contenti tenore per eos, ut dicebant diligenter maſticatum, certos Articulos Conſtitutionum, & Diſpoſitionum ex Literis condam Andreæ filii tertii Belæ Regis . . . . extractos, & exceptos in ſe continentem. Non video igitur, quomodo ex his negativis duntaxat locis contra poſitiva trium Regum authentica teſtimonia duci poſſit argumentum, quaſi §. *iſte ſero poſtea in Apographo intruſus fuerit*, longe enim antea teſte Ludovico I. in ipſo Originali exſtitit.

„ Conſtitutiones per Prælatos, & Barones, „ ac Nobiles Regni Hungariæ, tempore Coronationis Andreæ Regis, dicti de Venetiis, factæ, „ ſequuntur in hunc modum: (1)"

(1) Hæc Rubrica in ipſo Originali habetur.

§. 1. „ *Tempore Coronationis* (*a*) Domini „ Andreæ Regis illuſtris Hungariæ, etſi non „ omnes Conditiones, ſeu Libertates Regni Hungariæ ab antiquo obſervatæ, quædam tamen „ ex ipſis Libertatibus, & Conditionibus notabiles, & plus neceſſar. puplico ſcripto, Sigillo „ ejusdem Domini Regis (*nullæ*) vallato *fuerint* „ *declaratæ* (*b*) quæ quia iniquis hominibus, & „ cupiditate excæcatis pravitatibus intervenien. „ minime fuerunt obſervatæ, & ex tepiditate „ Domini Regis fuere penitus & poſtpoſitæ,

„ Re-

Digitized by Google

„ Regnum Hungariæ in omni ſui parte fluctuare „ fecit, & per vaſtus (1) varios, ac plurimos „ *ex potentia Baronum, & aliorum potentium* „ provenien. in tantum anullari, ut *Eccleſiæ*, „ & *Nobiles*, *alii* autem *Regnicolæ* in ſuis re- „ bus, & facultatibus fere ad extremam exi- „ nanitionem devenerint.“

(1) Vox in aliis etiam Diplomatibus hujus ævi non ignota. De his *vaſtibus* loquitur Ladislaus ſeu Wenceslaus in Diplomate Magiſtro Mathæo fil. Com. Benche, Paulo filio Bouchon, Domino fil. Chaac Bano, & Oliverio filio, Bethleem fratri ejusdem de Chalka ex MSS. Cornideſianis apud Katona Hiſt. Crit. T. VIII. p. 33.

„ Cum infideles Barones noſtri, ſeu inimici capita- „ les, contra noſtræ Majeſtatis perſonam Budam „ veniſſent *vaſtus*, ſpolia, incendia, cædes, & „ & exſtirpationes vinearum, ac alia diverſa no- „ cumenta committere non formidantes . . . A. „ D. 1302.“

In alio ejusdem Diplomate, quo Privilegium hujus Andreæ III. ſuper poſſ. Wysk Joanni filio Chaak confirmat, & de filiis Jacobi de Cheznek, infidelibus dicit ibid. p. 53.

„ Non contenti aliis eorum perverſitatibus, quas „ temporibus aliorum Regum Prædeceſſorum no- „ ſtrorum commiſerunt, verum etiam poſt Coro- „ nationem noſtram multa infidelitatis opera ex- „ ercentes, multos *vaſtus*, deprædationes, & „ ſpolia in Regno noſtro committentes. Dat. A. „ D. 1303. Regni autem noſtri Anno 3.“

Non igitur hæc vox *faſtum*, ſed vaſtationes, aut ſi mavis, vaſtitates hic ſignificat.

§. 2.

Digitized by Google

§. 2. „ Quo viſo idem Dominus Andreas
„ Spiritu Sancto ſuggerente aures apperuit, ſuæ
„ Clementiæ, & fidelibus Conſiliis aquieſcen.
„ Congregationem indixit generalem: ad hæc
„ ut Prælatos, & Viros Eccleſiaſticos, nec non
„ & Nobiles hujus Regni, excluſis quibuscun-
„ que Baronibus, prout moris eſt (c) huic Re-
„ gno caſuro, & per nimios vaſtus diminute
„ ſalubriori Conſilio, quo poſſet, ſubveniretur,
„ iniquitatibus perverſorum ſtudio ſolertiori ob-
„ vian.

§. 3. „ Nos itaque Joannes, Dei Gratia Ar-
„ chi-Epiſcopus Colocien (*d*) Aulæ Domini
„ Regis Cancellarius (1) Petrus Tranſylvanien.
„ Andreas Agrien. Thomas Bosnyen. Benedictus
„ Veſprimien. Quinque-Eccleſien. *Paulus per Pro-*
„ *curatores ſuos*, ſolempnes Haab Vacien. Theo-
„ dorus Jaurien. Michael Zagrabien. Emericus
„ Varadien. Anthonius Chanadien. Eccleſiarum
„ Epiſcopi (2) apud Eccleſiam Fratrum mino-
„ rum in Peſth, Anno Domini Milleſimo Du-
„ centeſimo, Nonageſimo Octavo (*e*) in Feſtivi-
„ tate Beati Dominici Confeſſoris *cum omnibus*
„ *Nobilibus* Hungariæ ſingulis Saxonibus, Co-
„ manis (3) in unum convenientes, accepta
„ auctoritate, *ex Conſenſu* Domini Regis, &
„ *Baronum* totius Regni, prouti & aliorum in-
„ vocata Spiritus Sancti Gratia tractare coepi-
„ mus, de his, per quæ Regiæ Magnificentiæ,
„ & ſtatui Regni totius, ac etiam ipſarum Ec-
„ cleſiaſticarum

Digitized by Google

„ cleſiaſticarum Perſonarum, & Ordinum alio-
„ rum conſuleretur; ideo ſtatuimus.“

(*a*) Quem ſenſum faciat clauſula *tempore Coronationis* mox oſtendemus.

(*b*) In vocula *nullæ* errorem ſcribentis cubare manifeſtum eſt. Si enim *notabiles*, & *plus neceſſariæ Regni libertates* (ut ipſis §. hujus verbis utar) *Publico Andreæ Regis ſcripto*, & *Sigillo nullæ* declaratæ fuiſſent, tunc *ex earum non obſervatione*, & *tepiditate Regis in iis exequendis*, non potuiſſet *Regnum* (ut ſtatim ſubjicitur) *in omni ſui parte fluctuare*, itaque loco *nullæ* ſcribendum videtur *munitæ*, & tunc ex hoc, per pravum compilatoris ſtylum, ſecus etiam admodum confuſo §. ſequens ſenſus elici poteſt; plures Regni Libertates jam ante Andream III. non obſervabantur: et licet ille tempore Coronationis ſuæ principaliores ex iis publico ſcripto, Sigillo ejus munito (per quod inaugurale ejus Decretum intelligi debet) renovaverit, hoc tamen non obſtante, propter cupiditatem Potentiorum, & Regis in exequendis Legibus tepiditatem tanta ſpolia, deprædationes, & oppreſſiones committebantur, ut Regnum omne fluctuaverit. (Loco nullæ l. *vallato*.)

(*c*) Nullum hactenus Documentum prolatum eſt, quod tantam quoad modum Leges in prima Regum Epocha perferendi lucem affundat, atque præſens Decretum. Eſt illud quidem poſtremi Epochæ hujus Regis; verum clauſula: *prouti moris eſt*, quam Præfatio continet, ſatis indicat, hanc Legum condendarum formam, non tum primum inchoatam, ſed a longiori retro tempore propagatam fuiſſe.

Apparet nimirum e clauſula Præfationis: *excluſis quibuscunque Baronibus prouti moris eſt*, prout & ſubſequis verbis: *Nos Joannes . . . cum omnibus Nobilibus Hungariæ . . . tractare cœpimus de his, per quæ . . . Status Regni . . . conſuleretur. Ideo ſtatuimus*

mus &c. apparet inquam, & ex his clauſulis, & e toto Præfationis contextu, quod (Civitatibus necdum jure ſuffragii donatis) ſolus *Prælatorum*, & *Nobilium* Status, Corpus Nationis una Legislativæ Poteſtatis parte gaudens effecerit: quod *Comites Parochiani*, id eſt Supremi Comites, cum hi, inſtar Baronum non excludantur, Statui Nobilium adnumerati fuerint: quod duo hi Status, in Eccleſia Fratrum Minorum, non in Campo Rakos; viritim, non per Deputatos Comitatuum convenerint, ipſam formulam ſingulæ Legis determinaverint; easdemque Regi ipſo illo tenore, quo conceptæ erant, confirmandas obtulerint

Apparet e converſo, e ſequenti ejusdem Præfationis clauſula: *accepta authoritate, & conſenſu Domini Regis, & Baronum totius Regni*, quod duo illi Status, Legislationem non niſi ſub auſpiciis, & de authoritate, non ſolum Regis, ſed & Baronum Regni exercere potuerint, adeoque, quod Status *Baronum* non qua *diſtinctum* (uti nunc cum Prælatis, & S. Comitibus efficit) *Legislationis membrum* conſtituerit; ſed quod qua *Miniſterium Regis* conſideratum fuerit; id eſt, quod *Rex* cum *Baronibus* unum; *Prælati* cum *Nobilibus* alterum Legislativæ Poteſtatis membrum effecerint.

Poteſt quidem ex ipſo Decreti hujus titulo: *Conſtitutiones per Barones, Prælatos, & Nobiles Regni Hungariæ . . . factæ*, in contrarium argui, verum illæ, quas recitavimus, clauſulæ, adeo claræ ſunt, ut non niſi inadvertentiæ ſeu ſcriptoris, ſeu compilatoris tribui poſſit, quod *Rex* e Titulo exmiſſus ſit, ſi autem hic reponatur, tunc Titulus ita ſonabit: *Conſtitutiones per Dominum Regem, Barones, Prælatos, & Nobiles Regni Hungariæ factæ*, & tunc clauſula hæc non obſtabit axiomati illi: quod Rex cum Baronibus, unum, Prælati, cum Nobilibus, aliud Legislativæ Poteſtatis membrum effecerint. Docetur id & exinde, quod hic Barones Prælatis, contra, ac poſtea

uſu

Digitized by Google

uſu venit, anteponantur; nimirum quia hi a Rege disjungi; Prælati vero Regi præponi non poterant: & exinde, quod parte ex una *Rex*, & *Barones*, parte vero ex alia *Prælati*, (*Nobiles* enim propter nimium eorum numerum id præſtare non poterant) Decreta Sigillis ſuis firmare conſveverint, uti id e concluſione præſentis Decreti patet.

Ultra hæc apparet etiam ex eadem Præfatione, quod Epiſcopi per Procuratores ſuos comparere potuerint, adeoque quod uſus *Ablegatorum abſentum* jam tum viguerit: quod Jus ſuffragii, *Cumanis* in Comitiis 1791. non *de novo conceſſum*, ſed poſtquam ex eodem injuria temporum exciderunt, reſtitutum tantum fuerit: quod e *Tranſylvanis*, tantum Saxones, non item Siculi, communem cum Hungaris habuerint Legislationem, denique quod e *Partibus adnexis*, id eſt e Regnis Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ, nemo Comitiis his interfuerit, adeoque quod Regna illa diſtincta adhuc eotum uſa ſint Legislatione.

(1) Quod Archiepiſcopus Colocenſis, licet Aulæ Domini Regis Cancellarius his Comitiis interfuerit, res eſt ab hodierno more diverſa, noſtris enim temporibus non aliter, quam Commiſſarii Regii ad exhibendas Statibus Propoſitiones Regias, Candidationes &c. ad Comitia mittuntur Cancellarii Aulici, Seſſionibus autem, & Tractatibus Diætalibus intereſſe non ſolent, cum Reſolutiones Regias expediendas habeant, adeoque non a parte Statuum, ſed Aulæ ſint.

(2) In Decretis Comitialibus inſolitum eſt, ut aliqui e Statibus ſpeciatim nominentur, ſive nominatim exprimantur; imo plerumque id factionum indicium eſt, prout plurima monumenta teſtantur, quorum hic pauca memoraſſe ſuffecerit.

1308. Inſtrumentum Electionis A. 1308. in Veſtigiis Comitiorum pag. 160.

1309. Inſtrumentum Coronationis Caroli I. in Regem Hungariæ An. 1309. Ibidem 170. licet pro le-

gitimis

Digitized by Google

gitimis habeantur, notum tamen eſt, tum quoque adhuc in factiones Hungariam fuiſſe diviſam.

1402. Inſtrumentum, quo Proceres atteſtantur, per Sigismundum Regem in caſum ſui defectus Alberto Auſtriæ Duci, ſucceſſionem in Regno Hung. fuiſſe pactatam. Dat. Poſonii, in feſto B. Mathæi Apoſt. & Ev. Anno 1402. apud Katona Hiſt. Crit. T. XI. pag. 534.

1459. Inſtrumentum, quo Mathias I. Rex Proceribus ſibi fidelibus, & hi viciſſim eidem novo Juramento fidem obſtringunt. Dat. Budæ, in feſto B. Scholaſticæ V. A. D. 1459. Apud Kaprinai Hiſt. Dipl. P. II. pag. 245.

1459. Inſtrumentum, quo Proceres Friderico adhærentes eundem in Regem Hung. renunciant. Dat. in Wyvar, Sabbato prox. poſt feſt. B. Valentini E. & M. A. D. 1459. Ibid. p. 249.

1505. Regnicolarum in Comitiis in Campo Rakos celebratis Conſtitutio de non eligendo Forenſi in Regem Hungariæ de Anno 1505. Apud Pray Annal. P. IV. p. 313.

1518. Articuli in Diæta Budenſi feſti S. Georgii A. 1518. conditi. In hoc Supplemento ad hunc Annum edendi.

Et re vera in his quoque Comitiis Anni 1298. quibus hoc Decretum conditum eſt, non plane nulla factionum ſpecies ſubverſabatur. Ut prætercam clauſulam illam: *excluſis quibuscunque Baronibus*, quæ non obſtante, quod ſequitur: *prout moris eſt*, ſiquidem iſtud etiam ad alia adjuncta, non ad excluſionem Baronum referri poſſit, ſemper adhuc ſuſpicionem movere poſſet, Barones hoc duntaxat caſu, cum de aliis nullum veſtigium habeamus, propter vaſtus eorum ex nimia potentia provenientes, excluſos fuiſſe, ſcimus non paucos fuiſſe, qui Carolo Roberto contra Andream favebant, adeoque factioni Archiepiſcopi Strigonienſis adhærebant, contra quos ii, qui

partes

partes Andreæ fideliter ſequebantur, cum eodem Peſtini convenerunt, & qui mox ſequetur, Articulum I. condiderunt, ut Regnum Andreæ ſtabilirent, & tam Carolo, quam ei adhærentibus, prætextum, & ſpem præſcinderent. De contrariis igitur factionibus, quin hic etiam intervenerint, nullum eſt dubium, & eam quidem, quæ Regi adverſabatur, præpotentem fuiſſe, vel inde patet, quod ſequenti Anno Comitia vix non diſſoluta fuerint, ac biennio poſt tandem prævaluerit. Hinc tamen minime ſequitur, Comitia hæc pro legitimo Rege celebrata illegitima fuiſſe, aut Decretum in iis conditum non valuiſſe. Quod autem hic Epiſcopi præter morem nominatim recenſeantur, factum ideo fuiſſe puto, ut & Carolo, & Papæ eidem faventi innuerent, Andream, non obſtante Strigonienſis factione per ceteros Prælatos pro vero Succeſſore, & legitimo Rege agnoſci.

(3) Saxones an hic Scepuſienſes, an Tranſylvani intelligantur, non ſatis apparet; hos poſteriores deinceps non quidem ſingulos, ſed in communi, adeoque per Ablegatos comparituros, ad Comitia Hungarica evocatos fuiſſe, e proferendis Regalibus ad eos expeditis, ſuis locis videbimus. De *Siculis*, & *Hungaris* Tranſylvanicis ad Comitia evocatis non facile veſtigium aliquod exſtat, non quod illis re ipſa ad Comitia veniendi Jus non competierit, ſed quod hoc, alioquin de more ſolitum intellexerint, ad Comitia, dum indicta erant, ſibi comparendum eſſe, velut cum aliis Hungaris eundem ſtatum efficientibus.

Cumani Nobiles aliis Regni Nobilibus vigore Privilegii Anno 1279. in Comitiis eisdem conceſſi, & ſuperius præmiſſi, plene æquiparabantur, habebant proinde, ut iſti, in Comitiis Jus ſuffragii. Discrimen inter hoc Jus, quod tunc habebant, & quod modernis Cumanis Anno 1791. conceſſum eſt, in eo reponendum eſſe videtur, quod eotum Nobilibus duntaxat eorum ſingulis competierit, ut aliis Hungaris,

modo

modo autem eorum Communitati ad inſtar aliorum privilegiatorum Diſtrictuum, aut Comitatuum, & Civitatum, ut per Ablegatos in Comitiis comparere poſſint, admiſſum ſit.

An Regna Dalmatiæ Croatiæ, & Sclavoniæ diſtincta adhuc eotum uſa fuerint Legislatione, niſi poſitivis argumentis doceamur, ex illo negativo, quod hic non commemorentur, vix tute definire poſſumus; cum enim jam hic non niſi conjecturis agere liceat, Epiſcopus Zagrabienſis Andreæ fidelis præcipuus Partium illarum Prælatus, utique Comitiis his interfuerat, reliqui, ſive Prælati, ſive Barones aut Nobiles earumdem Partium hic tam parum commemorandi erant, quam Hungari, vel Tranſylvani; ut taceam Carolum, & cum eo Strigonienſem præcipuum factionis caput, in iis plane Partibus tum verſatos indubie plurimos vicinorum in ſuas partes pertraxiſſe, qui utique ad Comitia hæc non comparuerint, etiam ſi ſecus Jus habuiſſent. K.

Quamdiu hæc condendarum Legum forma perduraverit? necdum licuit comperire. Sub finem ſecundæ Regum Periodi eam jam commutatam fuiſſe, Art. 25. 1495. indicare videtur, ex hujus enim contextu non obſcure elicitur, quod Prælati, Barones, & Coſiliarii Regii unam, reliqui Nobiles, adeoque ipſi etiam Comites Parochiani, aliam (ut nunc loquimur) Tabulam effecerint.

(*d*) Quod Archiepiſcopus Strigonienſis, & hic, & in toto hoc Decreto exmiſſus ſit, non inde evenit, quaſi Eccleſia hæc vacaſſet, ſed quia Bonifacius VIII. Jus Reges Hungariæ nominandi uſurpare volens, Gregorium Electum Strigonienſem collata eidem *Nuncii Apoſtolici* dignitate ad partes Caroli I. quem idem Pontifex vivo adhuc Andrea intrudere volebat, ita traduxerat, ut is ab Andrea III. aperte defecerit, & ideo nec his, nec iis, quæ ſequenti Anno in Campo Rakos celebrata ſunt, Comitiis intereſſe voluerit.

Bayerische Staatsbibliothek
Digitized by Google

(e) Dictum quidem eſt, in Veſtigiis Comitiorum pag. 151. quod Andreas III. Comitia pro Anno 1298. indixerit, ſed non niſi 1299. in Campo Rakos celebraverit. Verum necdum prolatum fuit tunc hoc Decretum, e cujus provocata ad Literam (e) clauſulæ patet, Diætam hanc 1298. & indictam, & terminatam fuiſſe. Itaque Comitia, quæ 1299. celebrata fuiſſe, prolata per Prajum in Hier. Part. II. pag. 166. Andreæ Regis, & Statuum Regni adverſus memoratum Gregorium Electum Strigonienſem, memorabilis ſane proteſtatio luculenter perhibet, diſtincta fuiſſe ſatis apparet. Utinam, & horum Decretum aliquando protrahatur. (*)

(*) Si ea propter factioſam Archiepiſcopi Strigonienſis abſentiam, uti videbimus diſſoluta non ſunt, ſecus enim Decretum vix editum fuerit.

ARTICULUS I.

Andreæ Deſcendentia e ſtirpe Regali agnoſcitur.

„ Ut Dominum Andream ex Regali ſtirpe
„ deſcendentem revereamur, tanquam Dominum
„ Regni naturalem."

Inſolita eſt Legislationi Hungaricæ clauſula illa, qua Andreæ e ſtirpe Regali Deſcendentia per Legem recognoſcitur. Quare ut cauſam editi Articuli hujus aſſequamur, juvat aliqua ex Hiſtoria in memoriam revocare.

Beatrix Eſthenſis Andreæ II. tertia Uxor, poſt Mariti fata in Italiam gravida rediit, ibidemque enixa eſt Poſthumum Filium *Stephanum* dictum.

Licet hic Belæ IV. ex Patre, frater fuerit; licet alii Reges, fratribus ſuis *junioribus* aliquem, ſeu in Sclavonia, ſeu in Bosnia, ſeu etiam in Tranſylvania Ducatum, quandoque aliquam etiam Regni partem

pro

Digitized by Google

pro ſuſtentatione aſſignare conſveverint, Bela tamen nunquam eo potuit permoveri, ut huic fratri ſuo, aliquem intertentionis fundum in Hungaria aſſignaret. Quare, ne hunc ille armis extorqueat, Bela adeo metuebat, ut probabile admodum ſit, eum hoc potiſſimum metu impulſum, ſuum, in Urbem, Portumque Jadrenſem Jus, Venetis ceſſiſſe; refert enim e Codice Ambroſiano, Muratorius apud Katona Tom. VI. pag. 38. eam expreſſam initæ inter hos, & Belam pacis conditionem ſtipulatam fuiſſe, *ne Veneti cum Beatrice, aut ejus filio pactum aliquod, aut foedus percutiant.*

Quare *Stephanus* hic variis in Italia fatis jactatus, poſtremo Rector (*Podesta* vocant) Civitatis Ravenæ effectus eſt, & forte, quod ſucceſſionem Regni ad *Lineam ſuam* tam cito redituram non crederet, Catharinam Tomaſinam Moroſini Senatoris Veneti (ut communior eſt Sententia) vel Treviſarii Civis Ravenatis (ut vetus Scriptor Monachus Paduanus apud Katona habet) filiam, uxorem duxit, ex qua Andream III. cujus eſt præſens Decretum, ſuſcepit.

Ladislaus IV. Andream hunc, licet remotius ſe contingentem, longe liberalius habuit. Aſſignavit enim eidem non modo Ducatum *Sclavoniæ*, ſed aliquos etiam *Hungariæ* Comitatus, uti id e prolato per Schmittium, in ſerie Epiſcoporum Agrienſium Diplomate apparet, quo conceſſum a ſe qua *Duce*, Eccleſiæ Veſzprimienſi Privilegium, jam qua Rex, confirmat.

Itaque *Ladislao IV.* non tantum ſine liberis, ſed etiam absque ullo collaterali ſucceſſore defuncto, ſucceſſio Regni *Andream* hunc legitime omnino reſpiciebat. Prætexebat tamen *Maria*, Ladislai IV. ſoror, Carolo Claudo Siciliæ Regi nupta, quod cum Andreas e privatæ conditionis muliere, extra Regnum natus ſit, eum *pro vero Regiæ Hungaricæ ſtirpis deſcendente* haberi non poſſe. Et ideo primum pro pri-

mogenito ſuo Carolo Martello, deinde hoc defuncto, pro ejus filio, ſuo vero nepote, Carolo Roberto veliſicante ipſi Aula Romana, vivo adhuc Andrea III. Regnum prenſabat. Ut Status hunc *Mariæ* prætextum evertant, videntur ejus *e Regia ſtirpe deſcendentiam*, diſerta hac Lege recognoviſſe.

ARTICULUS II.

Occupata per Privatos, Jura Regalia, & Reginalia reſtituantur.

„ Et ut in Perſona ipſius Regalis Dignitas, „ ſecundum exigentiam ſui Culminis fulgere „ poſſit, omnia Regalia pariter, & Reginalia per „ quemcunque, & quamcunque indebite occu- „ pata pleno Jure reſtituantur.“

Cum in nullo ſeu anteriori, ſeu poſteriori Decreto, tanta Statuum, de impediendis Jurium Regalium occupationibus, antevertendisque, quæ in privatos etiam committi ſolebant, ſpoliis, & rapinis, ſollicitudo appareat, ad aſſequendam tam hujus, quam ſubſequorum 18. Articulorum rationem juvat pauca ex Hiſtoria commemorare.

Diſtracto inter duos Coronæ æmulos Regno, quod unius Aſſeclæ, villas, & poſſeſſiones alterius deprædati ſint, Caſtra occupaverint, & proventus interceperint, triſtem ejus rei memoriam, Faſti Hungariæ jam antea quidem ſaepius conſignarunt. Aſt quod alta domi pace, potentiores aliqui Jura Regia invadere præſumpſerint, hujus nullum usque Andream II. veſtigium exſtat. Hic ex Hyeroſolimitana Expeditione redux, querebatur jam Pontifici in prolata ex Rainaldo per Praium in Annal. Regum Par. I. pag. 214. Epiſtola, *quod Hungariam omnibus Fiſci Proventibus ſpoliatam* reppererit, ita *ut nec debita perſolvere, nec*

usque

usque ad 15. *Annorum ſpatium Regnum noſtrum* ſunt verba Epiſtolæ *priſtino ſtatui reſtituere poterimus*, rapinis tamen his, longior Regis abſentia, facilem dare potuit occaſionem. Verum ut Rege, nullum habente æmulum, & Regnum, tranquillis domi rebus in perſona moderante, pauci potentiores, Jura Regia, & Reginalia armis occupent, funeſtæ hujus *Oligarchiæ* primum, ſub Stephano V. exemplum editum eſt.

Anſam malo huic enatæ jam ſub Bela IV. cum vicinarum Germanicarum Provinciarum Principibus, ſimultates præbuerunt; harum enim occaſione uſi aliqui finitimi Comites, primum viciniora, partim Regia, partim privatorum Caſtra, villas, & poſſeſſiones occupare, dein una cum his in fidem vicini Principis concedere, demum hujus nomine reliquam propinquiorem Hungariæ plagam vaſtare coeperunt. Primus ſub Stephano V. *Henricus* Comes Caſtriferrei, quem de ſtirpe Gosl, aliter Goslép prognatum fuiſſe Palma in 3. Editione Tom. I. pag. 741. e Faſtis Campi Lilienſibus eruit, cum filio ſuo *Joanne*; tum prodito ſemel hoc exemplo, plures alii, quorum deteſtandæ nomina, & nefanda facinora e collectis per Katonam ad Regnum Stephani V. Diplomatibus conſtant, occupatis compluribus, & Regiis, & privatorum Caſtris, & Bonis, in clientelam *Ottocari* Bohemiæ Regis, & Auſtriæ Ducis tranſierunt, magnasque deinde ejus nomine adjacenti Hungariæ parti, clades intulerunt. *Ottocarus*, utilem ſibi hanc perfidiam per collata transfugis iſtis alia, in Provinciis ſuis, Bona remunerabatur. Alieno tamen malo cautior redditus, dum deinde cum *Stephano V.* pacem confecit, diſerte ſtipulatus eſt, ut ſi illi una cum collatis ſibi, in Germanicis Provinciis, terris ad Jus, fidemque Stephani redire vellent, hic eos recipere non auſit. Stephanus e contra id viciſſim depactus eſt, ne liceat Ottocaro juvare perduelles illos, contra quos Stephanus

„ ſuum uterinum pro obſidibus reliquit, gravibus „ catenis conſtrictos, loco noſtri."

Nuspiam quidem hic *Joannes* ille memoratur, hunc tamen attentati hujus coryphæum fuiſſe ex anteriori quippe 1292. pro Magiſtro Durcislao de Rum elargita ejusdem Regis Donatione elicitur, hæc enim ſequentem clauſulam continet: *Cum Magiſter Joannes, filius Henrici Bani, auſu temerario noſtram Majeſtatem impediverat, idem Magiſter Durcislaus propter Libertatem noſtram, continuis Legationibus fatigatus, filium ſuum, propterea pro noſtra celſitudine dederat obſidem.*

Cum Inſtrumentum hoc 1292. emanaverit, Andreas vero III. bellum Auſtriacum 1291. ineunte vere geſſerit: cum Hiſtoriæ Auſtralis pars plenior apud Katona Tomo VII. pag. 1070. perhibeat, pacem inter Andream Regem, & Albertum Ducem Auſtriæ eodem Anno ita compoſitam eſſe: *quod Civitates, & Caſtra, quæ ad Regnum pertinent, Hungariæ Regi reſtituerentur, quæ vero ad Jus pertinerent Comitis Ivani* (ſeu Joannis) *confringerentur*: denique cum Andreas ipſe in prolato per Katonam eodem Tomo pag. 1151. de 1296. Diplomate perhibeat, ſe *contra Joannem filium Henrici Bani infidelem Regni ſui cum valido exercitu acceſſiſſe;* debuit hæc Regis captivitas bellum Auſtriacum præceſſiſſe; cum enim Andreas illud feliciter geſſerit, confeceritque, dubitare non licet, quod eadem occaſione, & forte antea, quam Auſtriam invaſit, perduellem etiam *Joannem* edomuerit, omnibusque Bonis, ac præſertim munitis locis ſpoliarit. Acciſis autem hac ratione ejus viribus, non potuit ille poſtea tantum facinus conſciſcere, id eſt Regem ipſum in ſuam redigere captivitatem.

Quievit itaque tantisper hic *Joannes*, verum Regia iterum arma exercuit Korandus Tranſylvaniæ Vajvoda, hujus enim Caſtrum *Adriánvar*, pluraque alia Andream expugnare debuiſſe, & provocatum jam

de

Digitized by Google

de 1296. & aliud, quod Wagner pag. 313. inter Saroſienſia edidit, de 1300. Diploma fidem faciunt. Cum horum primum 1296. emanaverit, perduellionem *Rorandi* Annum hunc præceſſiſſe, ſatis apparet.

Debuit tamen ſubinde famigeratus ille *Joannes* cum fratre ſuo *Nicolao*, ſeu aliis malis artibus, ſeu per reſtituta eidem incaute, ab Andrea Rege, avita Bona, denuo vires reſumere cum hos, Michaeli Epiſcopo Zagrabienſi, Comitatum de Gerzencze vi eripuiſſe, Epiſcopum vero eundem Comitatum Anno 1296. ab iisdem armis recuperaſſe Kerch. Hiſt. Eccl. Zagr. pag. 97. doceat.

Tandem gravis illa contra Andream III. in favorem Caroli Martelli conſpiratio Anno 1299. erupit, Thurocius Authores ejus *Joannem, & Henricum Banum filios Henrici ſtatuit.* Et vero quod *Henricus Sclavoniæ Banus* contra Andream III. Arma corripuerit, docet provocatum a Kerch. in Hiſt. Eccl. Zagr. pag. 97. Inſtrumentum, cujus Datum Katona judicioſe emendavit, & pro Anno 1296. quo nullæ adhuc pro Carolo Martello turbæ in Hungaria exarſerant, Annum 1299. repoſuit. Verum non debent Thurocizani *Joannes*, *&* *Henricus Bani* confundi, cum Joanne *Comite Caſtriferrei*, *&* *Nicolao*, *filiis Henrici* Bani cognomine, ut jam vidimus Goslép; *Joannes* enim ille Goslép, non *Henricum*, ſed *Nicolaum*, ut mox oſtendemus, fratrem habuit. Dein *Joannes* iſte nunquam titulum *Bani* uſurpavit, *Joannem* autem alterum una cum *Henrico* fratre, Thuroczius *Banum* appellat: porro *Henricus Goslép* C. Caſtriferrei, non fungebatur reali Bani munere, ſed honore tantum compellationis hujus gaudebat, prouti plures Comitatuum Hungariæ Comites, ſub Stephano V. & Ladislao IV. merum muneris hujus titulum geſſiſſe., prolata a Katona Diplomata ſatis oſtendunt, *Henricum* autem Thuroczianum ſub idem tempus Banum totius Sclavoniæ cum poteſtate fuiſſe, vel pro-

vocata

Digitized by Google

catos . . . . propter neſandiſſima ſcelera, quæ . . . . in infinitis, & horribilibus ſpoliationibus, & vaſtationibus, fere a temporibus, quatuor Regum Hungariæ perpetrarunt. Dum vero Thuroczius obſervat: *Tempore iſtius Regis Ladislai coepit Hungaria a ſua magnifica gloria deflecti: coeperunt namque in ea, inteſtina Bella conſurgere: Civitates confringi: Divites deficere, & Nobiles ruſticari propter inopiam Paupertatis.* Dum inquam Thuroczius id obſervat, Regnum Stephani V. tantum propter brevitatem temporis, quo duravit, excluſiſſe videtur; mala enim illa ſub hoc Rege originem ſumpſiſſe ſupra oſtendimus.

ARTICULUS III.

Occupata per Potentiores Eccleſiarum, & Nobilium Bona, & Jura reſtituantur.

„ Jura etiam *Eccleſiaſtica*, & *Nobilium*, in „ *poſſeſſionibus*, in *foris*, in *tributis*, & aliis „ quocunque tempore, & per quoscunque in- „ debite occupata, penitus reſtituantur.“

ARTICULUS IV.

Rei pro præterito Gratiam Regis implorent, & impoſterum abſtineant.

„ Barones, & alii potenter agentes a va- „ ſtibus, & ſpoliis agendis omnino ſe refrænent, „ & de his, quæ male geſerunt Regiam Maje- „ ſtatem offendendo, ad Gratiam Domini Regis „ ſe conferant; veniam peten. de commiſſis.“

„ Et quod de cætero vaſtus ſupplicatio- „ nes, latrocinia, & occupationes, ſeu varia „ nocumenta ceſſent omnino:“

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS V.

Poena in Contravenientes.

„ Et quicunque *Regali*, & *Reginalia* in-
„ debite occupata; poſſeſſiones etiam *Eccleſia-*
„ *rum*, & *Nobilium*, fora, tributa hactenus
„ indebite detenta non reſtituerint, & infra
„ ſpatium trium Menſium a die Congregationis
„ computandorum dimittere non curaverint,
„ aut ſiqui de novo ad ſpoliandum, & occu-
„ pandum poſſeſſiones *Regales*, & *Reginales*
„ *Eccleſiarum*, & *Nobilium* contra hæc ſtatuta
„ ſurrexerint, Sententiam *Excommunicationis*,
„ quam contra injuſtos ex nunc auctoritate
„ præſentium proferimus, incurrant ipſo facto,
„ a qua abſolvi non valeant, niſi apud Archi-
„ Epiſcopum Colocen. *omnium Epiſcoporum ni-*
„ *chilominus conſenſu*, & *aſſenſu intervenien-*
„ *tes*, & præhabita ſatisfactione competenti Do-
„ mini Regis cedant Judicio pœna debita punien-
„ di, poſſeſſionibus tamen omnibus ipſo facto
„ privati, deducta repenſione dampnorum per
„ tales illatorum, & eis intulerunt, aſſignat.
„ vel adjudicat. ceteræ poſſeſſionum partes in
„ manus Regias devolvantur, ita quod hæredes
„ earundem propter exceſſus Parentum legitima
„ parte hæreditatis denudati, inter Nobiles non
„ debeant computari, & ab actibus Nobilium,
„ atque ab aditu . . . eorundem excluſi ma-
„ neant, ab omnibus actibus legitimis alieni."

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS VI.

Modus Refractarios, ſi ſint potentes, compeſcendi.

„ Si qui vero ex iſtis . . . inſurgerent, „ quos Dominus noſter Rex Hung. invocata, & „ congregata Regni ſui deprimere non poſſet, „ & pœnis ſupradictis adducere, *licitum illi ſit* „ *dare auxilium, aliunde implorare*, per quod „ convinci poſſint ferítas Delinquen. “

Patet hinc parte ex una, quod *Privati* aliqui adeo potentes fuerint, ut propriis Regis viribus non potuerint coerceri, parte vero ex alia, quod Rex *externa auxilia* ſine Statuum conſenſu, advocare non potuerit.

ARTICULUS VII.

Pœna in Regem, ſi id negligat.

„ Et ſi idem Dominus noſter Rex hujus„ modi Delinquen. perſequi non curaret, & „ pœnis ſupradictis negligenter punire abmitte„ ret, denunciando omni *Privilegio*, ſi quod „ habet *de eo, quod excommunicari non poſſit*, „ per Dominum Archi - Epiſcopum Colocen. „ omni Prælatorum conſilio attendente, prout „ ad hoc Dominus Rex ſe per Literas ſuas „ ſpeciales obligavit, a Romana ſede Capella „ ejus interdicatur. “

Poterat ergo aliquis de eo etiam Privilegium impetrare, ne excommunicari poſſit; tanta nimirum caligo tempora hæc obſcuraverat.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS VIII.

Pœna in Complices.

„ Barones etiam, & alii Nobiles, qui ſe „ hujusmodi dampnatis, & dampnatione dignis „ adjunxerint, ſimili ſubjaceant ultioni.“

ARTICULUS IX.

Quomodo excommunicatio in reos ejusmodi ferenda.

„ Et quia creſcentibus exceſſibus, creſcere de„ bet & pœna, pro eo *Epiſcopi* Dioceſani, in quo„ rum Dioceſibus factum hoc a Deo, & præ„ ſenti ſtatu dampnatum attemptatum fuerit, in „ Eccleſiis, & Populis taliter dampnandorum „ *interdictum ponant*, & poſitum tamdiu faciant „ obſervare, donec hæc præmiſſa operatione „ Domini Regis accedente, finem capiant con„ gruentem.“

ARTICULUS X.

Munitiones ſeu arces, e quibus oppreſſiones ejusmodi fiunt, aut quæ ſecus inutiles ſunt, diruantur per Palatinum.

„ Item *Munitiones*, & *Caſtella* de novo „ absque licentia Domini Regis, (*a*) vel quæ „ fuerint tales, de quibus detrimenta inferun„ tur, vel imposterum inferri præſumerentur, „ aut etiam quibus ipſæ poſſeſſiones non ſuffi„ ciunt (*b*) minores etiam ſuper Eccleſias, & „ Monaſteria factas, ſine dilectione omni delean-

„ tur;

„ tur: quæ ſi deſtructa non fuerint, detentores
„ earundem Munitionum Sententiam Excom-
„ municationis ex nunc natam. Et nichilomi-
„ nus per Dominum Regem, *ubi idem proceſſe-*
„ *rint*, in Regno (*c*) vel *per Palatinum* hujus-
„ modi Munitiones deleantur (*d*) terræ ſiqui-
„ dem, ubi tales Munitiones per Dominum
„ Regem, vel Palatinum repertæ fuerint, per
„ quos dictæ Munitiones conſtructæ fuerunt, in
„ Jus Regium devolvantur, nulla redemptione,
„ vel commutatione recepta, ſi vero fuerint alio-
„ rum, veris, & propriis Dominis reſtituantur."

(*a*) Quod Caſtra id eſt munita Caſtella, absque licentia Regis conſtruere non licuerit, docet prolatum a Wagnero pag. 457. inter Saroſſienſia de 1248. Diploma, ubi Bela dicit: *dedimus & auctoritatem ipſi Epiſcopo Lamberto . . . . in Tizenkii, vel in Kereku . . . . Caſtrum ædificandi.* Docent item prolatæ in Proceſſu Peremartonenſi Literæ, per quas Maria Rex, Ladislao Veſſen, in monte Szabadhegy facultatem Caſtrum conſtruendi largitur 1384. Modus hic deprædationes Potentiorum per demolitionem Caſtri, unde illæ fiebant, prævertendi, poſteriori etiam ævo adhibitus fuit, uti id docent poſteriores Regni Leges, & memorabiles illæ Statuum Hungariæ ſub Gubernatore Hunyadio de 1444. ad Magnificos Banos, vel Vice-Banos, nec non Univerſitatem Regni Sclavoniæ datæ Literæ in Archivo hujus Regni aſſervatæ, quibus illi hos requirunt, *ut Caſtella, e quibus deprædationes fiunt, præſertim vero Joannis filii Vuga, Caſtellum Racha demoliri curent.*

(*b*) Id eſt, ſi ad Caſtrum aliquod tam paucæ poſſeſſiones pertinuerint, ut ejus conſervationi non ſufficiant.

(*c*) Ni-

(*c*) Nimirum obibat adhuc eotum Judiciorum cauſa Regnum Rex, & Palatinus. Hac igitur occaſione noxiæ ejusmodi munitiones delendæ præcipiuntur.

(*d*) Videtur Compilator id dicere voluiſſe: *quod ſi vero poſt demolitionem hanc munitiones ejusmodi denuo reerectas* eſſe per Dominum Regem, vel Palatinum repertum fuerit, *poſſeſſiones eorum*, per quos &c.

ARTICULUS XI.

Terminus, intra quem læſis ſatisfactio impendi debet.

„ Item ſtatuimus, quod uſque ad tres menſes a die præſentis Congregationis computandos, omnibus læſis, ſpoliatis, ſeu deprædatis per eos, qui læſerunt, & deprædationem commiſerunt, plena fiat ſatisfactio, & ablatorum reſtitutio.

ARTICULUS XII.

Extorta injuriarum condonatio pro nulla habeatur.

„ Si vero per potentiam extorta fuerit, in remiſſionem non teneantur, ſed hy infra prædictum Terminum ſatisfacere non curaverint, vel per potentiam ſibi remiſſionem procuraverint, tanquam ex manifeſta offenſa, ſententiam Excommunicationis ex nunc natam incurrant, & infidelitate notati, Regis cedant Judicio, Bonis, & poſſeſſionibus . . . . illorum talium ad Fiſcum Regium devolutis.

ARTICULUS XIII.

Modus inveſtigandi ejusmodi ſpolia.

„ Dummodo *per Hominem* Domini Regis, „ ad hoc ſpecialiter transmiſſum, & quatuor No- „ biles, in qualibet Provincia, ad inquirendas, „ & ſciendas ſpoliationes præteritas, & futuras „ deputatos Domino Regi fides fiat, ſub *Te-* „ *ſtimonio Capitulorum*: ubi hæc dampnatione „ digna fuerint commiſſa, vel fuerunt.

Articulus hic uberius explanatur per ſubſequum Articulum XIV.

ARTICULUS. XIV.

Pœna in eos, qui aut inveſtigare noluerint, aut falſam fecerint Relationem.

„ Si vero dicti quatuor Nobiles ob favorem, „ vel timorem, aut recepto pretio recuſare, „ vel hujusmodi deprædationes falſe ſuggerere „ de his, quos noverunt, præſumpſerint, Ex- „ communicationem incurrant, ex nunc latam „ ipſo facto, nichilominus Domini Regis cedant „ Judicio, pœna contra eos pronuncianda.

ARTICULUS XV.

Pœna Art. V. etiam ad futuras occupationes extenditur.

„ De ſpoliationibus autem a tempore Con- „ gregationis inchoatæ factis, decernimus ſtatuen- „ tes, quod ſi perceptio aliqua, vel informatio „ per quoslibet ſimiles delectos Epiſcopo Dio-

„ ceſano

Digitized by Google

„ ceſano de his conſtare poterit, extunc quilibet
„ Epiſcopus Dioceſanus illos tales in ſua Dioceſia
„ dampnabiliter delinquen. dampnationis dignos
„ excommunicet, & denunciet, arcius ab omni-
„ bus evitandos.

Et hiatus poſt verba: *per quoslibet*, & pravus Compilatoris ſtylus obſcurum admodum efficiunt Articuli hujus ſenſum. Quod ſi tamen, cum Art. V. combinetur, hunc ejus ſenſum eſſe apparet, nimirum conſtitutum fuit. Art. V. ut *pro præterito* ſpoliatores iſti non niſi cum aſſenſu omnium Epiſcoporum excommunicari poſſint, hic vero ſtatuitur: ut *pro futuro* ſingulus Epiſcopus latronem ejusmodi poſſit excommunicare.

ARTICULUS XVI.

Pœna in Religioſos, qui ejusmodi excommunicatos ad Sacra admiſerint.

„ Etſi qui Religioſorum hujusmodi excom-
„ municatos, vel alios, ut ſuperius eſt expreſ-
„ ſum, ad Eccleſiæ Sacramenta admiſerit, in vi-
„ ta, vel in morte, extunc omnibus, qui de
„ iſta Religione eſſe dignoſcuntur, ab omnibus
„ Regnicolis *Elemoſina priventur.*

ARTICULUS. XVII.

Pœna in eos, qui ejusmodi Religioſis Elemoſinam dederint.

„ Et quicunque ex Regnicolis Fratribus illius
„ Religio. ſibi proximis, vel alienis contra hæc
„ ſtatuta Elemoſinas porrexerint, Excommunica-

 „ tionis

„ tionis Sententiam ex nunc latam incurrant ipſo
„ facto.

ARTICULUS XVIII.

Rex ſtatutam ſuperius pœnam etiam ſine Juris ſtrepitu irrogare poteſt.

„ Dominus autem Rex eosdem excommunica-
„ tos, *ſine ſtrepitu Judiciorum*, ſi de his per
„ veridicam Relationem conſtiterit, debita pœna
„ feriat, ſi ceteri ſatisfactionem non curaverint,
„ ſuos exceſſus emendabit, & abſolvi non pro-
„ curaverint ſine mora.

Quam ſenſibiles fuerint Statibus hæ deprædationes, ex hoc Articulo vel maxime elucet, licet enim cardinalem Nobilium Prærogativam Art. II. Andreæ II. expreſſam, ne quis eorum ſine Judiciali Sententia puniri poſſit, in ſubſequo Decreti hujus Art. XXXIV. diſerte renovent, in caſu tamen deprædationis ejusmodi, ſeponunt hanc Prærogativam, & ut Rex reum criminis hujus etiam *ſine via Juris* punire poſſit, admittunt, id quod periculoſis æquivocationibus anſam præbere potuit.

ARTICULUS XIX.

Pœna in eos, qui pro ejusmodi reis vel interceſſerint.

„ Barones etiam vel Nobiles Regni ſi pro
„ aliquibus malefactoribus interceſſerint, in latam
„ ex nunc Excommunicationis Sententiam incur-
„ rant ipſo facto.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS. XX.

Rex viciſſim occupata Eccleſiarum, & Nobilium Bona, & Jura reſtituat, ſub pœna Excommunicationis.

„ *a*) Statuimus etiam, ut ſicut ex parte Re-
„ gnicolarum præcipitur, fieri occupatorum re-
„ ſtitutio, ſic etiam Dominus Rex ad omnium
„ occupatorum, quæ *Eccleſiarum* & *Nobilium* eſ-
„ ſe dinoſcuntur, reſtitutionem teneatur, quod
„ ſi non fuerit, Sententiam Excommunicationis
„ per Dominum Archi-Epiſcopum ex conſenſu
„ Prælatorum ferendam incurrat. *b*)

a) Quod Andreas III. aliqua Eccleſiarum Bona occupaverit, nullo hactenus Teſtimonio comperimus. Patet quidem e provocata, in nota ad Art. II. proteſtatione, quod Gregorius Electus Strigonienſis, ſtatum Eccleſiæ ſuæ per Regem turbatum eſſe prætexuerit, verum id etiam inde patet, quod Rex ſe nullius ejusmodi injuriæ ſibi conſcium eſſe, quod ſi tamen Gregorius id evinceret, ſe omnigenam ex arbitrio proborum virorum indemnitatem procurare, paratum eſſe, declaraverit.

Sed nec ejus ullum exſtat monumentum, quod idem Rex præter notorios infideles, Bonis exuerit. Itaque Lex hæc aut *conditionate*, uti & ſubſequus Articulus, latus fuit, aut certe ad occupationes, ſub prioribus adhuc Regibus factas, & nondum reſtitutas referri debet.

b) Articulo VII. ſtatuebatur, ut ſi Rex publicos iſtos Prædatores non puniverit, Capella ejus *per Sedem Romanam* interdicatur. Hic jam conſtituitur, ut *per Archiepiſcopum Colocenſem* cum conſenſu Epiſcoporum excommunicetur, niſi occupata Eccleſiarum, & Nobilium Bona reſtituat. Cauſam differentiæ hujus invidioſum eſſet ennodare.

Digitized by Google

ARTICULUS XXI.

Sub eadem pœna, etiam alienatas Regni Partes recuperet.

„ Etſi aliqua Pars Regni quocunque titulo, „ vel colore, per quemcunque Regum alienata „ exſtitiſſet, teneatur revocare, & idem Domi„ nus Rex ad Jus Regium ut Regnum Hungariæ, „ quaſi quoddam Jus totum ſuarum poſſit partium „ integritate gaudere, Sententiam ipſius Archi„ Epiſcopi Colocenſis, quam de conſenſu Præla„ torum Regni eſſet incurſurus, ſi hoc, legiti„ mo impedimento ceſſante, idem Dominus Rex „ neglexerit emendare.

En! primum proviſionis hujus, quæ poſtea plane in Diplomaticas conditiones relata eſt, Veſtigium. Videtur autem Lex iſta, Urbem, portumque Jadrenſem præcipue reſpexiſſe, quam Bela IV. ut vidimus Venetis ceſſit. Orientales enim, & Septentrionales Regni limites ſub Rege hoc immoti conſtabant, Occidentales, nuperna ut vidimus cum Alberto Auſtriæ Duce, pace redintegrati ſunt.

ARTICULUS XXII.

Fratres indiviſi, ſi nemo eorum ad Exercitum veniat, omnes ſimul uni tantum Birſagio Exercituali ſubjacent.

„ Item ſtatuimus, qvod ſi duo fuerint Fra„ tres, aut plures ad invicem nulla diviſione fa„ cta in ſuis poſſeſſionibus hæreditariis, & non „ aquiſitis commorantes, unus illorum, qui uti„ lior, & acrior repertus fuerit inter ipſos, ad „ Exercitum Domini Regis venire teneatur: qui

„ ſi

„ ſi venire obmiſerit, non ad plura Judicia, ſeu
„ gravamina Exercitus, præter ad unum ſimul
„ omnes teneantur.

Patet hinc, quod ſingula domus, etiamſi plures indiviſos fratres numeraverit, tantum unum militem præſtare debuerit. Qui ſi ad Exercitum non venit, tota collective domus unum tantum Birſagium ſeu mulctam perſolvere debuit. Utinam aliquando Diploma protrahatur! ex quo quantitas mulctæ hujus determinari poſſit.

ARTICULUS XXIII.

Adjungitur Regi Conſilium, & emanandæ ſine hujus influxu Ordinationes Regiæ irritæ declarantur.

„ Item Statuimus, ut Curia Domini Regis
„ honorificentius regi poſſit, & Regnum Hun-
„ gariæ decentius gubernari, Dominus noſter
„ Rex ſingulis tribus Menſibus ſingulos duos Epi-
„ ſcopos ſecundum exigentiam ordinis unum de
„ ſuffraganeis Strigonien. & alterum de ſuffra-
„ ganeis Colocen. Eccleſiæ, totidemque, & quaſi
„ omnes *Nobiles* Regni, *quos exnunc elegimus*,
„ ſecum habeat congruis ſtipendiis de Bono Re-
„ gio ſuſten. & ſi idem Dominus Rex hoc fa-
„ cere obmiſerit, quitquid præter conſilium præ-
„ dictorum ſibi applicandorum in Donationibus
„ arduis, & Dignitatibus conferendis, vel in
„ aliis majoribus fecerit, non teneant.

Hoc eſt primum, adjuncti per Status Regni Conſilii, Diplomaticum Veſtigium, antea enim Barones, & Prælati, quos Rex, qui Regnum toto ferme anno

 obibat,

Digitized by Google

obibat, ad manum habere poterat, Conſilium ejus efficiebant. Videntur Individua ſingulis tribus menſibus mutari debuiſſe, ac Epiſcopi per Regem nominati, Nobiles vero per Status electi fuiſſe; attentione dignum eſt, quod munus ſecularis ejusmodi Conſiliarii, ad Barones Regni reſtrictum non fuerit. Cum tamen nullum poſtea Inſtituti hujus Veſtigium, uſque tempora Gubernatoris Hunyadi occurrat, dubitare licet, an ordinatio hæc in realem effectum perducta ſit.

ARTICULUS XXIV.

Curia ſeu Aula Reginæ reguletur.

„ Statuimus etiam, quod Domina Regina „ Hungariæ debitæ Dignitatis culmine gaudere „ poſſit, Curia ſua Dignitatibus, & honore in „ perſonis Hungarorum Nobilium, non vero alie„ nigenarum ſolempnius ſicut debet, ordinetur, „ & ut Curia ejusdem Dominæ Reginæ decen„ tius gubernetur, quosdam electos a Domino „ Rege Barones, ipſa Domina Regina habere „ teneatur, & Regalia, ſeu Reginalia in Tribu„ tis, ſeu Triceſimis cum omni integritate per„ cipi poſſint.

Reginas Hungariæ ſuos ſeorſim a Rege Barones jam antea habuiſſe, conſtat. Sed cum hæ, *exteræ* plerumque fuerint, facile evenit, ut adductos ſecum Populares ſuos muniis his præfecerint. Huic itaque abuſui per Legem hanc obviatur. Cæterum Andreas III. licet extra Hungariam natus, non debuerit exteros muneribus Regni admovere. Cum enim proviſio hæc, quoad Barones Reginæ facta ſit, non intermiſiſſent certe Status eandem, etiam quoad reliqua Regni officia facere, ſi caſus hic reipſa exſtitiſſet.

Cæte-

Digitized by Google

Cæterum dum dicitur, Proventus Reginales in *Tributis* conſtitiſſe, non eſt per id intelligenda formalis contributio, quæ tota prima Regum Periodo, ut infra oſtendemus, nulla fuit. Verum in Chartis ævi hujus, Taxa fori, Proventus Nauli, & Telonii, & Triceſima generali *Tributi* nomine compellantur, & ſi res ſpecifice exprimi debuit, tunc his clauſulis diſtingvebatur, *Tributum fori*, *Tributum Portus*, *Tributum Pontis*, & *Tributum a Mercibus*, ipſum Jus montanum *Tributum Montis* compellabatur. Ac nomen quidem *Triceſimæ* jam in Privilegio ab Andrea II. Civibus Varasdinenſibus 1209. conceſſo, occurrit. Tributum tamen hoc non a trigeſima valoris mercium parte, ſed a curru, & animalibus, inſtar *Telonii* deſumptam fuiſſe, & hoc & plura ſubſequa I. Regum Epochæ Diplomata oſtendunt. Probabile admodum videtur, ſyſtema, quod veterem Triceſimam, id eſt, trigeſimam valoris mercium partem, Carolus I. ex Italia in Hungariam invexerit. Et ideo dum præſenti Articulo *Tributa* a *Triceſimis* diſtingvuntur, per *has* Taxa a mercibus deſumi ſolita, per *illa* vero Proventus Teloniorum, Naulorum, & Fororum intelligi debent.

Cæterum ex Articulo hoc elici videretur, Proventus Reginales pure in Tributis, & Triceſimis conſtitiſſe. Verum conſtat, quod Reginis jam aliqua Regalia Dominia, jam Civitates, jam Proventus Fodinarum, jam integri Comitatus inſcripti fuerint, idque ſub ſingulo ferme Rege pro arbitrio variaverit; utinam Schierius in Reginis ſuis omnia hæc diſtincte enucleaſſet.

ARTICULUS XXV.

Novitus inducta Telonia aboleantur.

„ Statuimus, ut omnia Tributa *a tempore* „ *Regis Ladislai* facta, penitus deleantur, & qui-

„ cun-

„ cunque res aliquas in hujusmodi deletis Tri-
„ butis retinere præſumpſerint, Sententiam Ex-
„ communicationis incurrant, poſſeſſiones vero,
„ ſeu terræ, ubi hujusmodi illicita exiguntur, ad
„ Jus Regium devolvantur.

Inducta noviter Tributa Andreas jam ſuperiori Anno, per Edictum aboleverat, uti id perhibet prolatum a Katona Tomo VI. Pag. 1178. Diploma, adeoque proviſoria hæc Regis ordinatio nunc in Legem tantum refertur: quod autem per *Tributa* hic *Triceſimæ* intelligantur, ipſe contextus Diplomatis illius docet; dicitur enim: *Tributarii ubique locorum in Regno noſtro conſtitui Tributum indebitum - - - ſuper eosdem Mercatores exigere nullatenus præſummant.* En! quod *Triceſimatores* ipſi *Tributarii* appellentur, & hoc ſub ultimo primæ Epochæ Rege. Ac Articulo quidem hoc, inductæ tantum a tempore Ladislai IV. Triceſimæ abolentur. In provocato autem Andreæ Edicto, ipſe cenſus Triceſimalis, ad vigentem ſub Bela IV. Tariffam reducitur, adeoque vel hinc apparet, Triceſimam non a *Trigeſima valoris mercium parte*, ſed juxta arbitrarie defixas Taxas deſumptam fuiſſe.

ARTICULUS XXVI.

Bona vacantium Beneficiorum Eccleſiaſticorum, nec per Regem, nec per Parochianos occupentur.

„ Statuimus ſiquidem, & perpetuo Edicto
„ ſtabilimus, quod Eccleſia ———tam in Ca-
„ pite quam in membris gaudere valeat ſuis Li-
„ bertatibus.

„ Jura etiam ordinamus, imo ab antiquo or-
„ dinata declaramus, ut tempore vacationis
„ Bona,

„ Bona, & poſſeſſiones Eccleſiarum non per
„ Dominum Regem, vel ab eo miſſum, nec per
„ eos, qui ſe nominant Parochianos, occupentur,
„ ſpolientur, & lædantur in parte, vel in toto.

Jus Regaliæ, id eſt Poteſtatem Bona decedentium Prælatorum apprehendendi, & uſque novi Prælati, ſeu nominationem, ſeu electionem poſſidendi in prima Regum Epocha admodum fluctuaſſe, compluribus oſtendi poſſet monumentis. Sed id ratio Inſtituti non admittit. Vel ex eo, quod illud Articulo hoc ſuſſeratur, id antea viguiſſe, ſatis apparet.

Quod *Parochos* adtinet; abuſus ille, ne ſubſtantiam denati, Parochi, ſeu ipſi Parochiani diripiant, vix præſenti Seculo plene eradicari potuit.

Cæterum præluſit Articulo huic jam Synodus Budenſis ſub Ladislao IV. 1279. a Firmano Legato Apoſtolico celebrata, & a Katona Tomo VI. Pag. 817. ex Rainaldo recitata, cujus Articulo 44. dicitur: *Ad Bona decedentium Epiſcoporum, vel aliarum Eccleſiarum, nullus Laicus cujuscunque ſit altitudinis - - - - manus ſuas extendi faciat.* Verum Synodum illam infructuoſe ſolutam eſſe conſtat. Voluit itaque Status Eccleſiaſticus, hoc articulo ſibi providere.

ARTICULUS XXVII.

Proventus vacantis Eccleſiæ, tantum in utilitatem ejus Eccleſiæ convertantur.

„ Bona etiam decedentis Epiſcopi Dominus
„ Rex, vel quælibet alia perſona vel rapere
„ non poſſit, ſed utilitati Eccleſiæ, cujus idem
„ Prælatus fuiſſe dinoſcitur, ſi inteſtatus decedit,
„ applicentur.

Aliam conſiderationem ſubit Beneficium ipſum, id eſt Bona Epiſcopatus, & aliam relictæ decedentis ab inte-

inteſtato Epiſcopi facultates. De priori præcedenti; de poſteriori hoc Articulo diſponitur.

ARTICULUS XXVIII.

Epiſcopi liberam habeant teſtandi facultatem.

„ Si vero compos ſuæ mentis de his diſpo-
„ ſuerit, ſecundum promiſſionem Juris eis diſponi
„ debent, quibus fuerint appromiſſa ———
„ ſeu detentione cognatorum ſervientium, aut
„ Officialium Epiſcopi decedentis a quocunque
„ intervenien.

Obſcuro, quia manco, hoc Articulo Epiſcopis facultas teſtandi admittitur. Et vero quam primum Regi ſucceſſio in Bonis decedentium ab inteſtato Epiſcoporum negata eſt, debuit his facultas teſtandi concedi. Cum tamen, *in caſu inteſtati*, tanta Eccleſiæ ratio habita ſit, mirari ſubit, cur inconceſſa etiam Epiſcopis teſtandi facultate, aliqua ejus conſideratio habita non fuerit.

Cæterum eandem teſtandi facultatem, Ladislaum IV. 1274. Parochis Scepuſienſibus conceſſiſſe docet productum a Vagnero, inter Scepuſienſia Parte I. pag. 262. ejusdem Diploma, ſi Parochi facultatem hanc a Rege impetrare debuerunt, debuit ille jure iisdem ab inteſtato ſuccedendi gaudere, ſi hoc reſpectu Parochorum habuit, quanto magis habere debuit reſpectu Epiſcoporum. Nempe ita omnia miſcebantur in obſcuratis illis, per falſas Decretales, Iſidori Seculis.

ARTICULUS XXIX.

Pœna in Contravenientes.

„ Etſi qui Parochianorum, vel aliarum Per-
„ ſonarum privatarum contra hæc ſtatuta venire

„ præ-

„ præſumpſerint, quod abſit, Sententiam Excom-
„ municationis ex nunc latam, incurrant ipſo
„ facto.

ARTICULUS XXX.

Pœna in eos, qui a Populis Eccleſiarum vel Nobilium collectas exegerint.

„ Etſi qui collectas, vel exactiones quas-
„ cunque ſuper Populos Eccleſiarum, & Nobi-
„ lium facere præſumpſerint, vel quoquo modo
„ fiendas indixerint.

Quod Reges Hungariæ, collectam victualium, & certi numeri Denariorum a Populis Eccleſiarum, & Nobilium ab incunabulis Regni exercuerint, docent variæ eorum, quæ adhuc ſuperſunt, Exemptionales. Ita S. Stephanus in Fundationalibus Abbatiæ de Zala 1024. elargitis, & per plures jam editis ſtatuit: *ut Populi Monaſterii hujus - - - a gravaminibus, quæ per Collectores Victorialium* (lege *Victualium*) *quam Denariorum - - - Cameræ, & Fiſco Regali exigendorum, penitus ſint exempti.* Id quod S. Ladislaus in confirmatione Fundationalium harum 1091. edita, & perinde jam ſœpius vulgata, iisdem ferme verbis confirmavit.

Ita ipſe S. Ladislaus, in Fundationalium per Andream I. pro Abbatia Tichonienſi elargitarum confirmatione 16. Regni ſui, adeoque 1093. anno emanata, per neminem quidem adhuc vulgata, in Tabulari tamen Tihanienſi Proceſſu in tranſumpto producta mandat: *Ut nullus omnino Hominum de prædicta Inſula facere præſummat - - -* (in hac lacuna vocula: *collectam* cubare debet) *in Denariis, ſeu Victualibus quoquo modo.*

Ita

Ita Colomanus Libro I. Cap. 35. 45. 78. 79. 80. & 81. de exigendis liberis *Denariis* complura diſponit. Ita Bela III. 1190 apud Koller. collectam ejusmodi Epiſcopo Quinque Eccleſienſi confert dum ait: *ut omnis Populus Quinque Eccleſienſis - - - collectam vel Tagliam in Regno noſtro pro tempore emergentem, nec Nobis, nec noſtris Baronibus ſolvere teneatur, ſed ſoli Epiſcopo, & Eccleſiæ cedat talis exactio.* Ita denique Andreas II. in Donatione Crucigeris Sepulchri Dominici 1212. facta, quam Vagner protulit, uti & in Fundationalibus Præpoſituræ Leleſzienſis de 1214. quas Katona produxit, tempora plane, quibus Denarii hi exigebantur, definit, dum ait: *nullus in Regno noſtro Comes, aut Judex, liberos Denarios*, pondera . . . & maxime illos Denarios, *qui colliguntur in tribus feſtis, videlicet Nativitatis Domini, Paſcatis, & in feſto S. Regis* (nempe Stephani) exigat: nam Fratribus eos totaliter dimiſimus.

Verum quod Denarii hi, non a *ſubditis* Eccleſiaſticorum, & Nobilium, ſed a *liberis tantum Hominibus*, in horum terris habitantibus Jure, exigi potuerint, præter ipſam nomenclationem *liberorum Denariorum*, docent Fundationales Abbatiæ Pechvaradienſis a S. Stephano 1015. editæ, & jam paſſim vulgatæ, ſi cum Colomani Lib. I. Cap. 15. combinentur. In illis enim S. Rex ita loquitur. *Inſuper & liberorum Denariorum tertiam partem, quam ex advenis in terra Eccleſiæ habitandis debentur, ad calceamenta Fratrum conceſſimus.* Colomani vero Libro I. Cap. 45. ita incipit: *Denarii octo, qui de liberis ſingulis colligebantur, ammodo non accipiantur.* Barbara illa Fundationalium clauſula, Compilator utique nil aliud exprimere voluit, quam ut tertia pars Denariorum, quam illocaturi ſemet in terris Monaſterii *advenæ*, ſeu *Hoſpites*, qui ſecundum Stephaneas Leges pro *liberis Hominibus* habebantur, dependere debebunt Monachis pro calceamentis, reliquæ vero duæ partes Regi cedant.

dant.

dant. Sed nec Colomanus *Rem* ipſam, ſed tantum *modum* mutavit, uti id combinanti provocata ejus Capita facile patebit Nimirum antea a ſingulo libero Homine octo Denarii *indiſcriminatim* exigebantur. Ille vero varias præſcripſit modificationes, juxta quas ab ipſis *liberis Hominibus* jam plus, jam minus exigebatur.

Debuit itaque aut Andreas, aut aliquis Anteceſſorum ſuorum hanc Denariorum collectam, ad ipſos *ſubditos* Eccleſiaſticorum, & Nobilium extendere, & ideo illa tam in hujus Regis de 1222, & 1231, quam & in præſenti Decreto & Articulo prohibetur.

ARTICULUS XXXI.

Aut qui in horum Bona violenter deſcenderint.

„Barones vero, qui in Monaſteriis Jus pa-
„ tronatus non habent, ſi ſuper Populos aliqua-
„ rum Eccleſiarum, ubi Jus non habent, & etiam
„ ſuper populos Nobilium deſcenſus fecerint vio-
„ lentos, pœnam Excommunicationis incurrant,
„ ex nunc latam.

Quod Vocabulum *deſcenſus*, gratuitum hoſpitium ſignificet, clauſula Privilegii Saxonibus Scepuſienſibus a Stephano V. 1271. elargiti, & a Katona Tom. VI. pag. 575. prolati, optime explicat, quæ ſic habet: *quotieſcunque illuc cum Baronibus noſtris, & Militia noſtra veniemus, ipſi hoſpites noſtri Nobis in introitu dare tenebuntur, diſceſſum opulentum, & ſimiliter in egreſſu deſcenſum delicatum.* Nimirum omnem primæva adhuc ſimplicitate præditum Populum hoſpitalem eſſe conſtat. Voluntariam principio hanc Hoſpitalitatem, potentiores ſubinde in obligationem convertere ſtuduerunt; atque inde violenti deſcenſus jam ſub Andrea II. 1222 Art III prohibiti, quorum hic

mentio

Digitized by Google

mentio fit, ortum duxerunt. Primum Reges apud Proceres, tum hi apud inferiorem Nobilitatem Jus hoc uſurpaſſe videntur; poſtquam id Lege vetitum fuit, aliqui Reges in ipſis Privilegiis, quæ elargiebantur, Jus hoc deſcenſus ſibi reſervarunt; provocatum enim jam ſupra Belæ III. quod Eccleſiæ Quinqueeccleſienſi 1190. contulit Privilegium, ſequentem clauſulam habet: *item conceſſimus eidem Eccleſiæ, quod præter noſtram Majeſtatem, & chariſſimæ Conſortis noſtræ nullus omnino Baronum noſtrorum, quacunque præfulgeat Dignitate, ſuper Bonis, & poſſeſſionibus Eccleſiæ deſcenſum facere poſſit.* Ex quo una deſcenſus hos ante Andream II. ſub quo primum prohibiti fuerunt, viguiſſe conficitur. Cæterum apparet ex hoc Articulo, quod Fundatores Monaſteriorum, & Eccleſiarum Jus deſcenſus, in eorum Bonis, legitime exercere potuerint.

ARTICULUS XXXII.

In Comitatibus nemo judicet, niſi Palatinus, aut Judices Parochiales.

„ Statuimus etiam ——— potentum, vel „ impotentum aliquas Provincias commetan. duas „ vel plures, aut etiam unam committat judicandas, ſed omnes cauſæ ad Palatinum, dum provincias judicat, vel tunc, dum non judicat, ad „ Parochiales Judices referantur, & ſi aliqui hujusmodi provincias judicandas aſſumpſerint, Sententia Excommunicationis ex nunc lata innodentur.

Barbarus iterum Articuli hujus textus nil aliud denotat, quam ne Cauſæ per *Delegatos* a Rege Judices cognoſci poſſint. Quod Palatinus, & Judex Curiæ non omnes cauſas judicaverint, ſed jam Andreas II. pro cognitione alicujus cauſæ, Judices pro arbitrio ſuo delegaverit, e compluribus Ritus explorandæ veritatis

Paragra-

paragraphis, & in ſpecie 110. 111. & 133. apparet. Quod uſus hic uſque Ladislaum IV. perduraverit, paret e duplici, in Tabulari Familiæ Kemény Proceſſu producto Inſtrumento, ubi Comes Ponich ratione occupatarum aliquarum poſſeſſionum, & interfectorum trium familiæ Ebesd hominum, coram ſex Judicibus a Bela IV., & filio ejus Stephano, jam tum Rege juniori *delegatis* in pœna Calumniæ 1268. convictus fuit. Debuit hic Judices *delegandi* uſus, uſque tempora Andreæ III. produci, cum iſthic aboleatur, & quarumvis cauſarum cognitio, ad *ordinarios* Judices, nempe Palatinum, & Parochiales Judices revocetur.

Quid nam fuerint hi Parochiales, id eſt Comitatenſes Judices? infra ad Articulum 45. & 46. oſtendemus.

ARTICULUS XXXIII.

Pœna in potentiores, qui Nobilem invitum ad ſua Servitia cœgerit.

„ Item ſtatuimus, quod Nobiles ſervire valeant, quibuscunque voluerint ſua ſpontanea „ voluntate.

„ Et ſi qui potentum hujusmodi Nobiles, ad „ ſibi ſerviendum vi, vel potentia artaverint, „ aut ipſos propter hoc in Perſonis, vel facultatibus ſuis læſerint, vel gravare . . contra „ hoc ſtatum venerint, Excommunicationem ex „ nunc latam incurrant ipſo facto.

„ Et ſi hujusmodi de preſſione Nobilium Domino Regi conſtiterit, tales depreſſores perſequi teneatur, digna ultione feriendos.

Adeo nempe *Oligarchia* ævo illo, caput extulerat, ut potentiores, debiliores Nobiles, non modo

Bonis ſuis ſpoliare, ſed invitos etiam ad ſibi ſerviendum cogere potuerint, hacque Lege, ad id prævertendum opus fuerit. Verum nec hæc effrænem illorum licentiam compeſcere potuit; docent enim productæ e MSS. Kaprianis in Veſtigiis Comitiorum pag. 157. Tabulæ, quibus adhærens Carolo Roberto factio eum 1307. Regem elegit, abuſum hunc ad illa uſque tempora perduraſſe, *Nobiles*, (dicitur illic) *quos hactenus indigna ſervitute oppreſſiſſe dignoſcuntur, juxta naturalem ipſorum Libertatem cuicunque, & ubicunque voluerint ſervire, ſeu propriis rebus curam impendere, ſine omni contradictione permittantur.* Ipſa formula Juramenti, quod idem Carolus in peracta, ſequenti Anno illegitima Coronatione ſua nuncupavit, & quæ ibidem pag. 173. exhibetur, ſequentem clauſulam habet; Nobiles Regni Hungariæ in approbato, & antiquo jure ſervare, & a Tyrannorum oppreſſione eripere. Ubi per *Tyrannos* utique potentiores illi prædatores intelliguntur.

ARTICULUS XXXIV.

Judices non poſſint Nobilem ſine Citatione, & Judicio captivare.

„ Statuimus etiam, quod Judex Curiæ Regiæ,
„ vel alii quicunque Judices Nobilem aliquem
„ poſſeſſionatum ratione Judicii, vel Judiciorum
„ captivare non præſumant, quod ſi fecerint, ho-
„ nore vel Judicatu, quo funguntur, ipſo facto
„ ſint privati.

Articulus hic in ſubſtantia idem ſtatuit, quod Andreæ II. Decreti de 1222. Articulus 2. tantum quod hic pœna etiam in contravenientes decernatur, nempe ammiſſio officii.

AR-

ARTICULUS XXXV.

Palatinus Judicia in campis, & non in villis teneat. Hæc in hyeme non celebret.

„Statuimus etiam, quod Palatinus Caſtra te-
„ nendo in *campis*, & conventibus, & *non in*
„ *villis*, vel *Civitatibus* judicare debeat, vernali,
„ æſtivali, & autumnali, & non hyemali————
„ etur.

Nota eſt primitiva Judiciorum Palatinalium forma. Obibat nempe ille Comitatus, & in ſingulo, Judicia in campo juxta aliquam villam, ſub tentoriis exercebat. Cum ad Judicia hæc magnus cauſantum numerus comparuerit, villæ autem ſub primis Regibus, necdum ita comparatæ fuerint, ut majorem hoſpitum numerum continere poſſint, uſum hunc principio neceſſitas ipſa introduxit. Et hac ipſa de cauſa Comitia Regni uſque finem II. Regum Epochæ in campo Rakos *plerumque* celebrabantur, nimirum, quia nec Buda, nec Peſthinum adhuc ita effloruerant, ut congregata omnis ferme Regni Nobilitas in iisdem dislocari potuiſſet.

Poſtquam aliquæ in Comitatibus villæ notabiliora acceperunt incrementa, cœperunt Palatini Judicia in his celebrare. Cur id in præſenti Andreæ III. Decreto interdicatur, non poteſt facile ratio aſſignari. Videntur tamen in frequentiori hoc hominum, ad villas concurſu, varii ſæpe exceſſus perpetrati fuiſſe, idque anſam prohibitioni huic dediſſe, Palatini tamen poſtea etiam hac in re variabant. In compluribus enim, quas poſſideo, poſterioribus eorum adjudicatoriis, in ingreſſu jam ſcribitur. *In villa T.* jam vero *prope villam T.*

ARTICULUS XXXVI.

Nullam prœterea dignitatem gerere poſſit.

„ Et quod ulterius, ad alios conſurgere et-
„ iam non poſſit honores.

Provida ſane Statuum ordinatio, ne is, qui primum Regni magiſtratum tenet, plura inſuper officia in perſonam ſuam accumulando, ad periculoſum communi Civium Libertati potentiæ gradum aſſurgere poſſit.

ARTICULUS XXXVII.

Regulatur Liga Monetæ.

„ Statuimus etiam, ut per totum Regnum
„ una Regalis, & celebris ſit Moneta quinqua-
„ litate combuſtum *ad duos Annos.*

„ In reliquis vero Annis ex argento decimæ
„ combuſtionis confecta per omnes Regni Civi-
„ tates, & villas fora continen. valorem cer-
„ tum currere debeat.

Terminus *combuſtio* in veteribus Chartis moderno termino noſtro: *proba* æquivalere videtur, id eſt dum dicitur: *argentum decimæ combuſtionis*, innui videtur: *argentum decimæ probæ.* Verum numerus ille *combuſtionis* non videtur eundem perfectionis argenti gradum denotare, quem denotat, numerus *probarum* noſtrarum, id eſt vetus tertiæ combuſtionis argentum, perfectius longe fuit, quam noſtrum tertiæ probæ. Nam quod ſub Carolo I. Moneta ex argento tertiæ combuſtionis cuſa fuerit, docet Decreti ejusdem paragraphus 2. jam vero Nummi ejus, qui adhuc exſtant, ſunt longe perfectiores, quam tertiæ probæ.

Ceterum numerus *combuſtionis* videtur, inverſo ordine, relate ad noſtras *probas* accipiendus eſſe ita, ut

Digitized by Google

ut quo plurium combuſtionum argentum dicitur, eo deterius; quo pauciorum vero, eo perfectius fuerit. In hac itaque hypotheſi Moneta Caroli I., tres tantum partes heterogeneas (nos *Ligam* dicimus) Andreæ III. ſubſequenti Decretum hoc biennio quinque; poſtea vero 10. admixtas habere debuiſſet. Duo ſunt, quæ me in hanc Sententiam adducunt: 1. Verbum *celebris* initio præſentis Articuli adhibitum, inde enim elicio, Monetam quintæ combuſtionis celebriorem, id eſt perfectiorem fuiſſe, quam 10mæ, deinde, quod e Decreto Caroli I. conſtet, Monetam poſt Andream III. ad viliorem qualitatem decidiſſe, per Carolum vero I. emendatam fuiſſe. Jam vero oſtendimus, quod ille Monetam cuderit tertiæ combuſtionis. Hæc ergo perfectior eſſe debuit, quam Andreana, ſeu decimæ, ſeu quintæ combuſtionis. Sed de hoc viderint alii, qui ſcientiam monetariam ex inſtituto profitentur.

Cæterum Monetam jam ſub Stephano V. quintæ combuſtionis fuiſſe, docet prolatum a Katona Tom. VI. Pag. 575. Diploma, quo Saxonibus Scepuſienſibus varias immunitates concedit. Ut Status, in Monetam dimidio deteriorem poſt biennium cudendam conſentiant, videtur eos diminuta in Regno argenti quantitas permoviſſe.

Denique alterum jam eſt hoc publicum Monumentum, quo oſtenditur, in prima Regum Epocha, Ligam Monetæ in Comitiis fuiſſe regulatam. In Decreto enim Andreæ II. de Anno 1222. Art. 23. dicitur, *ut Denarii tales ſint, quales fuerunt tempore D. Belæ Regis.* Per id autem utique ipſa Liga determinatur.

ARTICULUS XXXVIII.

Qui Monetam Regiam in aliquo ſuo foro permutari non permiſerit, tali poſſeſſione privetur.

„Et ſiqui Nobilium, vel potentum in fo-„ro ſuæ poſſeſſionis, vel etiam aliis in locis de

„ commiſſis ſecundum antiquam conſvetudinem „ Monetam eandem currere non fecerint, ex „ tunc Jure fori priventur, & ipſum Jus fori „ ad illum, vel ad illos devolvatur, qui ——— „ odum in hoc, & in aliis digno, & debito „ feruntur honore.

Ad intellectum Articuli hujus prænoſſe oportet, quod nullus Regum primæ Epochæ, *ſtabilem* procudi fecerit Monetam, ſed hæc omni anno, vel ad ſummum biennio renovabatur, & tunc debebant Regnicolæ omnem veterem monetam pro nova permutare. Ut hoc perfici poſſit, exibant Regii Homines, qui jam *Campſores*, jam *Numularii*, jam etiam *Monetarii* in veteribus Chartis appellantur, ad fora provincialia magis frequentata, ibidemque novam Monetam in præparatis ad id menſis pro cambio propinabant. Luculentum ejus rei teſtimonium perhibet Privilegium a Bela III. Eccleſiæ Quinque Eccleſienſi de 1190. conceſſum apud Koller Tom. I. pag. 294. ubi dicitur: *in prædictis foris* (nempe Eccleſiæ Quinque Eccleſienſis) *eosdem Numularios reſidere, ſed in aliis provincialibus foris, ubi voluerint, Eccleſiæ* (hujus) *populi Regni Monetam pro rerum ſuarum commercio reddimant &, conquirant.* Teſtatum id etiam reddit Andreæ II. de 1222. Articulus 23. ubi dicitur. *Nova noſtra Moneta per Annum obſervetur, a Paſcha uſque Paſcha.* Omnium autem maxime id dilucidat, conceſſi per Stephanum V. Saxonibus Scepuſienſibus Privilegii clauſula illa.

„ Singulis annis in Ramispalmarum, Monetam noſtræ Cameræ Regiæ cum omni reverentia ſuſcipere tenebuntur . . . ita, quod Comes Cameræ, vel ſui Officiales . . . altero dimidio menſe . . . plenam debeat poteſtatem cambiandi . . . ipſa nihilominus Mo-

„ neta

„ neta currente per totum Annum uſque ad re-
„ volutionem novæ Monetæ.

Cum commutatio hæc, ſemper cum *falcidia* aliqua, uti infra oſtendemus, fieri debuerit, erant, qui Regios Numularios a foris ſuis arcebant, erant etiam, qui veterem Monetam permutare, & novam acceptare renuebant. Contra hos igitur præſenti, & ſubſequo Articulo pœna decernitur.

ARTICULUS XXXIX.

Qui vero eam non acceptaverit, in tot dimidiis Fertonibus puniatur, quot ſeſſiones habet.

„ Et nichilominus ſiqui eandem non aſſumpſe-
„ rint Monetam, ad collectam dimidii Fertonis
„ per ſingulas *manſiones* ſuæ poſſeſſionis tenean-
„ tur.

Ferto quartam Marcæ partem indicat, videturque e Germanico Viertl originem traxiſſe. Nempe ita eam Germanici Scriptores compellaverint, quos ſubinde Hungari immitati ſunt. Cum argentum per *Marcas*, aurum vero per *Libras* in veteribus Diplomatibus computetur, niſi voculæ *Ferto*, *ly auri* per expreſſum adjiciatur, menſura hæc ſemper de argento intelligenda videtur.

Cæterum patet ex hac Lege, quod *Seſſiones colonicales* hac adhuc etiam ætate *manſiones* appellatæ ſint.

ARTICULUS XL.

Privatus, qui Monetam cuderit, poſſeſſionem, aut domum, in qua id egit, ammittat.

„ Et ſiquæ perſona auſu temerario Monetam
„ in ſua poſſeſſione vel domo cudi fecerit, illa

„ poſſeſſione vel domo privetur, pœnam Legis
„ ſuſceptura.

Quod privatus Monetam cudens, præter amiſſionem poſſeſſionis, in qua id perpetravit, aliam etiam Legis pœnam incurrerit, e textu Articuli hujus ſatis apparet. Quænam tamen illa fuerit? hactenus non licuit comperire. *Nota infidelitatis*, aut ſimplex etiam *extremum ſupplicium* eſſe non potuit, quia in utroque hoc caſu, ut in Nota ad §. 5. oſtendimus, non tantum poſſeſſio illa, in qua crimen patratum eſt, ſed omnia Bona amittebantur. Forte pœna *Exilii* fuit.

ARTICULUS XLI.

Rex obſervet Decretum Inaugurale.

„ Statuimus, & perpetuo Edicto ſtabilimus:
„ ut Dominus Rex Libertates Regnicolarum ſuo-
„ rum, & Eccleſiarum *tempore Coronationis*
„ *ſuæ in Literis expreſſas*, & ea, quæ in præ-
„ ſentibus ſtatutis exponuntur - - - - ———
„ Domini Archi-Epiſcopi Colocenſis de conſen-
„ ſu Prælatorum ferendam incurrat, & præter
„ hæc etiam alia, *quæ in Literis Domini Regis*
„ *tempore Coronationis ſuæ datis continentur*,
„ plenius attendantur, & firmiter obſerventur.

Decretum hoc non eſſe *Inaugurale* Andreæ III. Articulus hic evidenter oſtendit: et tamen Compilator Decreti Wladislaiani (ut ad ejus præfationis paragraphum 3. litteram b. oſtendimus) illud pro tali declaravit. Induxerunt illum in errorem initialia præfationis Decreti hujus verba: *Tempore Coronationis condam alterius Andreæ Regis Hungariæ dicti de Venetiis* Verum verba hæc, non ad præſens, ſed ad *Inaugu-*

augurale, ad quod præſens Articulus provocat, Decretum appellare, ex ipſo ſenſu præfationis hujus apparet, id quod Compilator Decreti Wladislajani rite non combinavit.

ARTICULUS XLII.

Terminus futuræ Diætæ præfigitur.

„Statuimus, ut omnes Prælati, quos legi-
„timum impedimentum non detinuerit, nec non
„& omnes Barones, & Nobiles univerſi, ad
„quindenas Beati Georgii in Racus juxta Da-
„nubium convenire teneantur, ut omnibus ibi-
„dem recenſitis, quæ in Literis Domini Regis
„expreſſa continentur, inſtitutis, quæ neceſſaria
„fuerint ——— ſtatuen.

Apparet hinc, quod uſus Diætam ex ipſis Comitiis præfigendi jam in prima Regum Epocha viguerit, an tamen præfixa per hunc Articulum pro ſequenti Anno 1299. ad quindenam B. Georgii Diæta reipſa celebrata ſit, hactenus non conſtat, cum eodem hoc Anno Diætam pro Octava Apoſtolorum Petri, & Pauli in Campo Rakos reipſa celabratam fuiſſe, ex provocata jam Regis, & Statuum contra Gregorium Electum Strigonienſem proteſtatione conſtet, probabilius videtur, præfixum hoc Articulo Diætæ Terminum, ad Octavam SS. Petri & Pauli prorogatum fuiſſe.

ARTICULUS XLIII.

Ne Rex collectas a ſubditis Eccleſiarum, & Nobilium exigat.

„Obſervandum, quod ſicut per Barones,
„ita etiam per Regem, vel Proceres Hungariæ
„ſuper

Digitized by Google

„ ſuper populos Eccleſiarum, & Monaſterium
„ nulla penitus *collecta* exigatur, etſi contra-
„ rium factum fuerit, contrarium facien. per di-
„ ctum Dominum Archi-Epiſcopum Colocen.
„ ad modum ſupradictum incurrant.

Articulus 30. de collectis non exigendis, generalibus, verbis conceptus fuit. Ne id anſam æquivocationi præbeat, Status ſenſum ejus, ad *Regem*, *Barones*, univerſos Proceres diſerte extendunt.

ARTICULUS XLIV.

Concluſio Decreti.

„ Et quia ſaluberrima ſtatuta Regio honori,
„ & Statui Regnicolarum magno remedio profi-
„ cientia a prædictis Venerabilibus Patribus, &
„ ab Incolis totius Regni Hungariæ de *Legali*
„ *Conſenſu* Domini Regis, & *Baronum* proceſ-
„ ſerunt, prout in ſuperioribus eſt expreſſum
„ pro ——— conceſſa debitam reperiant firmi-
„ tatem, Dominus Rex, & Regni Barones Si-
„ gilla ſua ad inſtar Sigilli Prælatorum huic Char-
„ tæ ſtatutorum appoſuerunt.

E Textu hoc concludi deberet, Decretum hic deſinere, cum de ipſa ſigillatione ejus jam mentio fiat. Interea conſequuntur adhuc 36. potiſſimum quidem *Juridici*, non exigui tamen momenti ejusdem Decreti Articuli. Itaque hos aut in iisdem Comitiis in forma *additamenti* perlatos, aut in ſubſequis etiam, ſub eodem Rege Andrea celebratis Comitiis conditos, & Wladislao, ſine nova præfatione, & concluſione ideo præſentatos fuiſſe credibile eſt, ut illos, una cum prioribus, tanquam unum, latarum ſub Andrea III. Legum

Digitized by Google

gum, corpus confirmet. In utroque caſu erravit Compilator Decreti Wladislaiani, quod in tranſumptione, aut conclusionem Decreti, ſi poſteriores hi Articuli in iisdem Comitiis perlati fuerunt, ad finem non reſervaverit, aut ſi in diſtinctis Comitiis conditi ſunt, datum Comitiorum horum, & qualem qualem ingreſſum, & concluſionem, quæ in hoc caſu certe habere debuerunt, non inſeruerit. Erravit etiam in eo, quod poſt finem Articuli hujus clauſulam non adjecerit denotantem, quorum in ſpecie ſigilla appreſſa fuerint.

Cæterum nullum, quod hactenus erutum eſt. I. Regum periodi Decretum, leniorem, *obligativam* clauſulam habet: nam Andreas II. in primo ſuo Decreto facultatem plane reſiſtendi ſibi, largitur Nobilibus, ſi illud non obſervaverit; in ſecundo vero in caſum hunc ſubjicit ſe pœnæ Excommunicationis. Bela IV. illud jure jurando confirmat, & nihilominus in caſum non obſervationis, ſe eidem cenſuræ ſubjicit. Hic ita tantum concluditur: *Ut præmiſſa debitam reperiant firmitatem, Rex, & Prælati huic Chartæ ſtatutorum Sigilla ſua appoſuerunt.*

(1) Hoc quidem Articulo ſeu concluſione *lenis obligativa clauſula* continetur, ſed præceſſerunt in hoc ipſo Decreto ſæpius, quam in ullo alio æque tam graves, qualis eſt in Decretis Andreæ II. de Anno 1231. & Belæ IV. de A. 1267. Et quidem ſtatim Art. VII. *Interdictum Eccleſiaſticum* Art. XX. XXI. & XLI adeoque ter *Excommunicatio* Regi intentata. Nam in hoc poſtremo Art. XLI. in lacuna deſiderari verba: *obſervet, ſecus Sententiam Excommunicationis* apertum eſt, ita, ut illis reſtitutis, contextus integer futurus ſit ſequens.

„ Statuimus, & perpetuo Edicto ſtabilimus, ut
„ Dominus Rex Libertates Regnicolarum ſuorum, &
„ Eccleſiarum tempore Coronationis ſuæ in Literis ex-
„ preſſas, & ea, quæ in præſentibus ſtatutis exponun-

„ tur,

„ tur, *obſervet ſecus Sententiam Excommunicationis* D. „ Archi-Epiſcopi Colocenſis, de conſenſu Prælatorum „ ferendam incurrat."

Ceterum cum præcedentes XLIV. Articuli plerique ad Jus publicum Hungariæ & vix aliqui eorum ad Jus Forenſe pertineant; ſæpius præterea & diverſæ D. Regis Literæ commemorentur, operæ pretium fuerit, hæc accuratius combinare, & dum e Diplomatibus certiora erui potuerint, veriſimiles ſaltem conjecturas adferre. Quidam horum Articulorum ejus ſunt naturæ, ut pacta conventa ſapiant, & ad Diploma Inaugurale, aut Articulos Ante-Coronationales referri poſſint. Hinc tamen concludere minime licet, eos vel Diploma Andreæ III. Inaugurale, vel Articulos Ante-Coronationales, adeoque ad Annum 1290. referendos, & Anno 1298. repetitos duntaxat eſſe, quibus reliqui ad Forum, & cauſas privatas pertinentes in hiſce Comitiis ſolum additi fuiſſent, huic enim opinioni, & totus contextus Decreti, & complures clauſulæ, diverſas ab hoc Literas D. Regis tempore Coronationis editas diſerte commemorantes adverſantur. Statim in titulo appellantur quidem *Conſtitutiones tempore Coronationis*, mox tamen præfat. §. 1. narratur: tempore Coronationis Andreæ III. etſi non omnes Conſtitutiones ſeu Libertates ab antiquo obſervatas, notabiles tamen & plus neceſſarias publico ſcripto D. Regis fuiſſe declaratas, quæ quia iniquis hominibus intervenientibus, & ex tepiditate D. Regis fuiſſent poſtpoſitæ, & ideo Regnum fluctuare cœpiſſet, Rex fidelibus conſiliis aquieſcendo Congregationem indixit generalem, ut Regno caſuro ſalubriori conſilio ſubveniretur, in qua, licet fortaſſe, ut ſæpe alias fieri ſolet, complures ex Conſtitutionibus tempore Coronationis editis repetitæ, & renovatæ fuerint, novum tamen iſtud Decretum, ut aperte patet, compilatum eſt. Art. VII. iterum occurrit clauſula: *Prout ad hoc D. Rex ſe per Literas ſuas ſpeciales obligavit;* ſed neque

hic

hic inaugurale Diploma (niſi forte ejus clauſula) verum potius aliqua Reſolutio ſub ipſis his Anni 1298. Comitiis ad poſtulata regnicolarum edita intelligi debere videtur. Demum Art. XLI. rem totam conficit, dum commemorat *Libertates tempore Coronationis in Literis* (Diplomate inaugurali) *expreſſas, & alia, quæ in Literis D. Regis tempore Coronationis ſuæ datis continentur, & ea, quæ in præſentibus ſtatutis exponuntur*, utrinque *firmiter obſerventur.* Hic velut diſtincta commemorantur *Literæ tempore Coronationis datæ*, (ut videtur duplices, nimirum Diploma inaugurale, & Decretum) & *præſentia ſtatuta*, quod tanto magis decidit, quia concluſionem Articulo XLIV primum ſecuturam præcedit; tot enim clauſulæ ad poſterius tempus referendæ, inepte his Articulis fuiſſent immixtæ, ſi illi Ante-Coronationales eſſent.

Quid ſi Compilator Libelli Wladislao I. pro tranſumtione, & confirmatione per Regnicolas oblati, Articulos, poſt hunc XLIV. hic ſequentes ex eo ipſo Decreto, quod ne fors in iisdem Comitiis in Annum 1299. præfixis, & re ipſa celebratis, editum fuerit, deſumſiſſet? In hac hypotheſi ænigna illud ſecus indiſſolubile, cur hic in medio Decreti concluſio poſita, & non ad finem, ut alias conſvetum eſt, rejecta ſit, ſuapte ſolveretur; tunc enim primi iſti XLIII. Articuli ex Decreto Andreæ III. Anni 1298., de quo interjecta concluſio intelligenda eſt, reliqui ex Decreto Anno ſequenti 1299. edito deſumti eſſent. Conjecturam hanc videtur confirmare clauſula Articuli XLV. immediate ſequentis: *Per Prælatos, & Barones taliter eſt decretum* ubi ſtylus Legislationis jam mutatus indicat, ea, quæ ſequuntur, in diverſis Comitiis ſancita eſſe, in quibus etiam *Barones* Anno 1298, a conſultatione Regnicolarum excluſi, ad eandem immediate jam concurrerint.

Prout hanc varietatem etiam rubricæ, quæ ante Articulum XLIV. nuſpiam poſt hunc frequentiores occurrunt,

Digitized by Google

currunt, ut: *De Inquiſitionibus. De Interfectoribus. In factis poſſeſſionum ordine Judiciario aquirendarum modus. De Ruſticis, & Johagionibus.* Quæ hujus varietatis ratio, aut quo modo alias clauſula iſta intelligenda ſit, profecto nondum pervidere poſſum. Ceterum Lector una mecum facile in eo conſentiet, Articulum hunc XLIV. non eſſe ex ipſo Andreæ III. Decreto deſumtum, ſeu non eſſe illius concluſionem, ſed potius Compilatoris Libelli Wladislao I. pro confirmatione oblati hiſtoricam relationem, ſive narrationem, quo modo Decretum Andreæ III. de Anno 1298. ex quo præcedentes Articulos excepit, expeditum & Sigillis munitum fuerit, quod ſi ita eſt, habemus teſtimonium Anni 1440. de eo, quod Andreæ III. Leges & legitima forma expeditæ fuerint, & in uſum abiverint. Videtur quidem conjecturæ huic ultima hujus Articuli clauſula: *huic Chartæ ſtatutorum appoſuerunt* adverſari, & innuere, quaſi concluſio illa in ipſo Andreæ Decreto, cujus Inſtrumentum per voces *huic Chartæ* indigitatur, ſtetiſſet, poteſt tamen id commode uti Compilator Libelli pluribus in locis longe magis improprie ſemet expreſſit, intelligi, quaſi dicere voluiſſet: Quia præmiſſa ſtatuta, quæ a Prælatis, & aliis Regnicolis ex conſenſu Regis, & Baronum congregatis, & conſultantibus proceſſerunt, Regi nihil præjudicarunt, Statui autem Regni proficua videbantur, ideo quemadmodum Prælati ea ſub Sigillis ſuis Regi, & ejus Conſiliariis, Baronibus, obtulerunt, ita hi quoque huic Chartæ, ex qua ego, inquit, ea excepi, Sigilla ſua appoſuerunt: (Alium certe aliquem de illo Decreto hic loqui, vel illud indicat, quia Prælati de ſe non erant dicturi: *a prædictis Venerabilibus Patribus*, quæ narrativa expoſitio Anno 1440, æque ita congruit, quemadmodum Inſtrumenti hujus præfatio, ad quam concluſio pertinere poteſt, & quæ evidenter Compilatori Wladislaiano non concipienti Decreti Andreæ III. adſcribenda eſt.

Quo

Quo minus Decretum hoc, ſive titulo Decreti, Conſtitutionum, ſive Diplomatis Inauguralis ad Annum 1290. referri poſſit. Cl. Pray in adjecta copiæ meæ animadverſione ita arguit.

„Cum in ipſo Decreti ingreſſu hæc dicantur: *ex* „ *tepiditate D. Regis fuere penitus & poſtpoſitæ;* Re-„ gnum autem adierit ipſo Anno 1290. qui fieri po-„ tuit, ut ante Annum 1290. in ſervandis antiquis „ ſtatutis tepidus fuerit, & infra diſerte hæc haben-„ tur: *Statuimus . . . ut D. Rex Libertates . . . . .* „ *tempore Coronationis ſuæ in Literis expreſſas, &* „ *ea, quæ in præſentibus ſtatutis exponuntur &c.* Aliud „ igitur hoc Decretum eſt ab eo, quod A. 1290. tem-„ pore Coronationis ſuæ edidit, proinde Anni 1298. „ quo Comitia fuiſſe celebrata monui Hierarch. P. II. „ p. 167. quo, ut & ſequente Strigonienſis Archiepi-„ ſcopatus Decreto Comitiali cenſebatur, vacaſſe, „ quod Gregorium Epiſcopum Tranſylvanienſem, qui „ ſe Adminiſtratorem Strigonienſis Eccleſiæ ferebat, „ pro tali nec Rex, nec Regnum agnoſceret. Atque „ hæc ratio eſt, cur in præſenti Decreto Sententia in „ Regem ferenda Archiepiſcopo Colocenſi commiſſa „ fuerit.“

Majorem difficultatem habet clauſula Art. XLII. occurrens, *ut omnibus ibidem recenſitis, quæ in Literis D. Regis expreſſa continentur*, quales nimirum hic Regis Literæ intelligantur, quarum contenta in futuris Comitiis juxta Danubium indictis diſcutienda eſſent? ego ſalva Lectoris meliori conjectura, puto hic indigitari Reſolutionem, aut potius Reſcriptum Regium ad congregatos Regnicolas, quo illis ſignificaverit, anno ſequenti ad quindenas B. Georgii M. Congregationem Generalem juxta Danubium celebrandam eſſe, & in quo una prævie complura objecta recenſuerit, de quibus ibi in commune conſilia conferenda eſſent, ſuo tempore uberius eadem objecta in propoſitionibus expoſiturus.

AR-

ARTICULUS XLV.

De Inquiſitionibus. (1)

Modus peragendæ Inquiſitionis.

„Primo notandum eſt, quod de Inquiſitionibus „ in factis Potentiæ, Homicidii, Injuriarum, Furti, „ Latrocinii, & aliorum ſimilium fiendis, per Prælatos, & Barones taliter eſt decretum, quod „ in quolibet Comitatu duo dicti Nobiles conſcientioſi, & fide digni per Dominum Regem „ tunc eligendi, ex quibus tamen duodecim Nobilibus quatuor debent eſſe in Judices Nobilium, qui Nobiles præſtitis prius ad ——— „ - - - omnibus factis, & cauſis in ipſo Comitatu in facto potentiæ emerſis, vel exortis per „ deligendum . . . mandatum ſimul inquirendo, „ ſciſcitari Deum haben. præ oculis.

(1) Hæc Rubrica etiam in Originali habetur.

a) Ingreſſus Articuli hujus non habet quidem Legislatorium tonum, verum id caligo ſeculi hujus excuſat. Perturbatus vero ejus textus, id indicare videtur: ut præter ordinarios quatuor Judices Nobilium, Rex alios inſuper octo Nobiles, in ſingulo Comitatu denominet, & hi duodecim in factis Potentiæ, Homicidii, Injuriarum, Furti, Latrocinii, aliisque ſimilibus cum Capitulari Homine penes mandatum, quod nunc *compulſorium* vocamus, inquirere poſſint. Nam ante voculas. *Mandatum ſimul* verba: *cum Capitulari, aut Conventuali Homine erga*, in lacuna hac latere, poſt voculam vero *ſciſcitari* ly *poſſint*, exmiſſum eſſe, conjicio. Electi prævia ratione per Regem Nobiles, poſtea *Homines Regii* appellati ſunt, qui cum Capitulari, vel Conventuali Homine non tantum

in

in ſtatutionibus, ut nunc, ſed in *Inquiſitionibus*, *Evocationibus*, & *aliis Executionibus* (ſunt verba Art. VIII. Math. D. VI.) id eſt in omnibus *judiciariis actibus* procedebant.

An Rex præter octo illos Regios Homines, etiam quatuor Judices Nobilium elegerit? e textu Articuli hujus definiri non poteſt. Conſtat tamen ex Articulo II. Sig. Decr. VI. quod Anno 1435. Judices Nobilium, non jam per Regem, ſed in Comitatu electi fuerint.

Uſus hic, ut non promiſcue quivis Nobilis (uti nunc fit) in ſtatutionibus, ſed aliqui tantum ad id ſpecialiter electi, ad judiciarias functiones adhibeantur, uſque tempora Mathiæ I. perduravit, ſub hoc tamen Regii ejusmodi Homines, non jam a Rege, ſed in Comitatu eligebantur, uti id Articulus VIII. ejusdem Decreti VI. teſtatur, qui ipſum etiam præſentis, quem comentamur, Articuli ſenſum explicat.

Cæterum *Judicum*, & *V. Judicum*, ſine tamen prædicato *Nobilium* plurima in omnium, inde a Sancto Stephano, Regum Diplomatibus, mentio occurrit. Phraſim tamen hanc: *Judex Nobilium*, in nullo hactenus 1mæ Epochæ Regum Inſtrumento uſque præſens Decretum, deprehendi: ſicut viciſſim poſt hoc Decretum, frequentes jam Litteræ proſtant; e quibus patet, quod *Judices Nobilium*, non tantum Inquiſitiones (ad quas præſenti Articulo authorizantur) peregerint, ſed etiam cum Comitibus, aut V. Comitibus, proprium pro judicandis Nobilium cauſis forum effecerint. Profert nempe Katona Tom. VII. pag. 1199. de ſubſequente ſtatim Decretum hoc Anno, Literas tenoris ſequentis:

„ Nos Andreas Comes de Zemlin Vice Magiſter
„ (id eſt Comes) Jako & Judices Nobilium de eo-
„ dem Comitatu, damus pro memoria, quod in quin-
„ denis a feria 2. proxima poſt Dominicam Quaſimo-
„ do M. Michael . . . debet Comitem Boxam . . .

 „ ſtatue-

„ ſtatuere coram nobis, pro expedito, unius equi,
„ vel equi æſtimationem duabus Marcis valentem,
„ contra Ladislaum Magiſtrum. Datum in Zemlin Anno
„ Domini 1299.“

Patet hinc, quod Magiſter Ladislaus, reſtitutionem, aut equi, aut ejus valorem, in duabus Marcis, a Magiſtro Michaele, coram hoc foro prætenderit, Magiſter Michael, ad Comitem Boxa provocaverit, & ideo Judicium illi impoſuerit, ut hunc, in præfixo termino, coram ſuo Tribunali ſtatuat.

Profert etiam ſequenti ſtatim pagina, alias Judiciales Literas de eodem Anno, quarum ſequens initium eſt.

„ *Nos Gregorius Comes de Beregh, officialis Ducis Rhutenorum, & quatuor Judices Nobilium de eadem; damus pro memoria.*“ Narrant deinde initam coram ſe a Partibus Transactionem. Cum Nobiles ſubſequo ſtatim hoc Decretum Anno foro Comitatenſi ſubfuiſſe appareat; de erecto autem hoc foro, nulla in toto iſto Decreto mentio occurrat, debuit illud jam antea conſtabilitum fuiſſe. Quando tamen notabilis hæc in coordinatione fororum Hungariæ commutatio facta ſit? necdum ſatis expeditum eſt.

Quod Anno 1232. forum hoc jam viguerit, communicata mihi e collectione Heveneſſiana Perigraphe remonſtrat, quæ ſic habet: *Servientes Regis de Zala, terram Vizmeth Bartholomæo Epiſcopo Veſzprimienſi attribuunt, contra Ochuz Banum, per contumaciam Jure convictum. Anno* 1232. Nam per iſthoc *ſervientium*, id eſt *Nobilium* Judicum, nil niſi forum Comitatus, id eſt Comitis, V.Comitis, & Judicum Nobilium intelligi poteſt. Si ipſum Inſtrumentum inſpicere mihi licuiſſet, poſſem certiorem promere opinionem.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS XLVI.

Modus faciendæ ſuperinde relationis.

„ Demum reverſi . . . . veritate *ſub Si-*
„ *gillo per Dominum Regem eis dato, & col-*
„ *lato,* ipſius Inquiſitionis ſeriem eidem Domino
„ Regi reſcribere teneantur, qua Inquiſitione
„ viſa, tandem Judex ordinarius ejusdem cauſæ
„ in termino per ipſos Nobiles deputato, Ju-
„ dicium, & Juſtitiam impertiri debeat, nulla
„ alia Inquiſitione ſuper his amplius fienda
„ ——— “

Apparet hinc, quod eotum non tantum *Regii Homines*, ſed ipſi etiam *Judices Nobilium* Expeditiones ſuas, ſub Sigillo a Rege ipſis dato, facere debuerint. Uſus hic poſtea evanuit, & tam V. Comites, quam & Judices Nobilium propriis Sigillis uſi ſunt. Imo id 1435. diſerta Lege, Articulo quippe II. ſtabilitum fuit. Dicitur enim in hac: *habendo Sigillum cognoſcibile ad dandum cum Sigillis aliorum Judicum Nobilium, & Comitis, vel V. Comitis Literas fide dignas.*

Et ex hoc, & ex Verböcz. Part. II. tit. 13. patet, Comitatus, nec in prima, nec in ſecunda Regum Epocha *propria* Sigilla habuiſſe, ſed omnes Expeditiones ſub Sigillis Comitum, V. Comitum, & Judicum Nobilium factas fuiſſe; fit tamen mentio *Sigilli Comitatus* in Inſtrumento 1381. ex Autographo deſcripti, quod continet teſtimoniales.

„ Magiſtri Stephani, Magiſtri Georgii Bubek, V.
„ Comitis, ſuper eo: quod Thomas cum ſuis Joba-
„ gionibus Nicolaum, & . . . quos ipſe cum Sigillo
„ Comitatus ad certam Inquiſitionem miſerat, in Ec-
„ cleſia interficere voluerit. “

Digitized by Google

Verum hic vocula: *Comitatus* pro: *Comitis* irrepſiſſe videtur. Conſtat enim ex Articulo LXII. 1550. quod Comitatus *publica* Sigilla tum primum acceperint.

ARTICULUS XLVII.

Omnis cauſa in tribus Terminis debet terminari.

„ Sed reus vel ille, contra quem fuerit „ querimonia, ſolum bis debet evocari, & tandem „ tertio proclamari per Nobiles ſupradictos, „ (*a*) & ſic univerſæ cauſæ in factis præmiſſis „ emerſæ, vel exortæ in tertio termino omni „ diſſimulatione ſemota debent terminari (*b*).“

(*a*) Adhuc ante 1270. in *Sclavonia* mos ille viguit, ut *majores* cauſæ, quæ poſtea *longæ litis* appellatæ ſunt, per 7 terminos produci potuerint, uti id e Diplomate Mathæi Bani ad paragraphum ejus 6. & 7. alibi oſtendimus, in Hungaria uſus eatenus fluctuavit. Patet enim e ritu explorandæ veritatis paragrapho 229. quod in cauſis furti iidem ſeptem termini in Hungaria quoque viguerint, ubi dicitur: *quod Varon. . . citatus . . . . pro furto ſepties ante præfatos Judices non veniſſet.*

In adjudicatoriis etiam Stephani V. qua adhuc Regis junioris de 1264. in cauſa potentiæ emanatis, quas Koller Tom. II. pag. 236. produxit, dicitur: *Cum Petrus & Franciſcus . . . in ſex terminis ad noſtram citati fuiſſent, præſentiam, venire penitus neglexerunt, imo tanquam rei ſe omnino abſentarunt.* E converſo in adjudicatoriis Ladislai IV. de 1280. quas ex Autographo deſcripſi, incattum ſeptem diebus exſpectatum, & non venientem, in primo ſtatim termino, ex merito, & quidem in cauſa, *Juris poſſeſſionarii* convictum fuiſſe, apparet.

Nova

Nova itaque fuit hæc in Hungaria Legiſlatio, ut *minores* etiam, ſeu *brevis litis* cauſæ (nam de *longæ litis* infra ad Articulum 64. ſermo erit) per tres terminos protrahi poſſint, qua ſtabilita, non potuit utique reus in primis duobus terminis, ſi non comparuit, in merito convinci. Ne tamen id ipſi impune ſit, convincebatur pro ſingulo termino in Birſagio. Hoc in Sclavonia 40. Penſas etuliſſe, apparet ex jam provocati Mathæi Bani Diplomatis §. 4. & 5. In Hungaria quantum etulerit, infra ad Articulum 64. diſputabimus.

Uſus hic, ut Incattus in duobus terminis non comparens non *in merito*, ſed tantum in *Birſâgiis* convincatur, usque Sigismundi tempora perduraſſe videtur. In hujus enim Decr. VI. de Anno 1435. Art. V. §. 1. jam dicitur:

„ Absque ulterioris termini, & litigionarii Pro-
„ ceſſus obſervatione, & contumacia etiam Partis non
„ venientis, non obſtante . . . finalem Sententiam
„ proferemus, & proferre tenebimur. “

Videtur quidem hæc Legis diſpoſitio ſub Alberto per Art. 34. 1439. revocata, & Articulus LXIV. præſentis Decreti, quem mox videbimus, renovatus fuiſſe. Cum tamen emanatum non multo poſt, id eſt 1452. evocatorium in Proceſſu Tabulari Kalloiano ſequentem clauſulam habeat: ſive ipſe octavis in prædictis comparuerit, ſive non: *Nos ad partis comparentis Inſtantiam id finaliter faciemus, cauſa in præmiſſa, quod juri videbitur expedire*, apparet, quod uſus non Albertinam, ſed Sigismundæam Legem confirmaverit.

(*b*) Clauſula hæc eſt impropria: quamprimum enim reus in tertio primum termino proclamari, id eſt, per Trineforenſem proclamationem citari potuit, tunc utique non in tertio, ſed in quarto termino cauſa finiebatur. Quid autem ſit Trineforenſis procla-

 matio

matio, in Nota ad paragraphum 7. jam provocati Mathæi Bani Diplomatis oſtendimus.

ARTICULUS XLVIII.

Proceſſus Criminales, per Judices ordinarios ad Archivum concernentis Comitatus remitti debent.

„ Omnia etiam Inſtrumenta in Curia Re-
„ gia per Dominum Palatinum, vel Judicem Cu-
„ riæ, aut alios Judices ordinarios in factis Cri-
„ minalibus adjudicanda, coram dictis duodecim
„ Juratis Nobilibus *in ſede Vice-Comitis* deponi
„ debet. “

Hic jam diſerte deſignatur, *forum Comitatenſe* ſub nomine *ſedis Vice-Comitis*, apparetque, quod illud V. Comes cum quatuor Judicibus Nobilium, & octo illis *Regiis Hominibus* conſtituerit. Quod tamen non ita accipi debet, quaſi ipſe *Comes* ex hoc foro excluſus fuiſſet. Vidimus enim, quod ſubſequente ſtatim hoc Decretum Anno, Comes, cum Judicibus Nobilium judicaverit. Idem remonſtrant complures ſubſequorum Annorum Litteræ, quas recitare tædioſum foret. Itaque *V. Comes* abſente tantum Comite præſedit. Videtur tamen, quod Comites jam tum Judicio huic rarius intervenerint, & ideo illud *ſedes V. Comitis* compelletur.

Cæterum nec in jam provocatis 1299. adjudicatoriis, nec in ſubſequis Judicialibus Inſtrumentis *Regii* illi *Homines* Judicio Comitatus aſſediſſe leguntur: quare Lex hæc ea parte in uſum deducta fuiſſe non videtur.

Verba: *deponi debent*, nil aliud ſignificare videntur, quam quod deciſarum, etiam per ſuperiora fora, Criminalium cauſarum acta, ad Archivum Comitatus reponi debeant.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS XLIX.

Taxa præſtiti Juramenti.

„ Et de Juramento cum quotcunque per-
„ ſonis præſtito, non plus niſi quadra ———
„ . . . . poſſint extorqueri per Juratos ſupra-
„ dictos. "

Evaneſcente ſenſim *Ferri candentis* proba, hoc ævo plures jam cauſæ per jurata teſtimonia decidebantur. Cum tota Judicum merces, unice in Judicialibus Taxis conſtiterit, nil mirum, quod hi ſuam ſingulo Judiciali actui Taxam conſtituerint. Debebat itaque Taxa etiam depoſiti Juramenti ſtabilita fuiſſe; debuerunt Judices hanc a ſinguli teſtis Juramento exigere. Quod cum in iis cauſis, ubi plures teſtes ſtatuebantur, Partibus oneroſum fuerit, Taxa depoſiti per quotcunque teſtes Juramenti ad unicam, per hanc Legem reducta eſt. Quanta illa fuerit, propter hiantem Articuli hujus textum certo definiri non poteſt, ex fragmento tamen illo *non plus niſi quadra* ——— . . . quadraginta Denarios Taxam hanc effeciſſe probabiliter conjicere licet.

ARTICULUS L.

Judices non ſpolient poſſeſſiones Convicti, ſed in iis Executionem tantum ad Vires Convictivæ faciant.

„ Præterea notandum eſt, quod ſiquis No-
„ bilium, vel alterius cujusvis ſtatus, & con-
„ ditionis hominum, in factis Potentiæ, Calu-
„ mniæ, Exhibitionis falſarum literarum, & alio-
„ rum gravaminum Judicialium, fuerit innoda-

 „ tus

„ tus, tunc poſſeſſiones talium per Judices, vel
„ homines Judicum non debent ſpoliari, ſed
„ portio poſſeſſionaria ipſius convicti pro Judice,
„ & parte adverſa coram uno ex prædictis Jura-
„ tis debet occupari, & tamdiu per eosdem
„ absque deſolatione eſt poſſidenda, quousque
„ dictis Judici ordinario, & Parti adverſæ per
„ ipſum convictum juxta deliberationem Baro-
„ num ſatisfactio inpendetur.“

Oſtendimus ad Art. V. quod quoties reus ad extremum ſupplicium condemnabatur, etiam Bona ſua amiſerit; oſtenſum eſt in Veſtigiis Comitiorum pag. 112. in Nota ad Articulum XVIII. & pag. 121. in Nota ad Art. XXXV. Decreti Andreæ II. de 1231. Quod inſuper poſſeſſiones ejus ferro, & igne vaſtatæ, idque per provocatas illic Andreæ II. Leges vetitum fuerit. E præſenti Articulo patet in parte, quænam illa atrociora delicta fuerint? nempe *Potentiæ*, *Calumniæ*, & *Falſificationis literarum*. Apparet etiam, quod vetitæ per priores Leges poſſeſſionum rei *Deſtructioni*, ſucceſſerit alter abuſus, nempe eas *ſpoliandi*, qui hoc Articulo prohibetur.

Cæterum *Calumnia* in genuino ſenſu, falſam alicujus criminis imputationem ſignificat. Veteres noſtri Juris conſulti, eam pro *impoſtura* acceperunt. Et ſicut hæc diverſas ſpecies habet, ita illi diverſa crimina *Calumniæ* compellatione deſignarunt, & diverſas illi poenas irrogarunt.

Ex adjudicatoriis Dionyſii Palatini de 1184. ex Autographo deſcriptis apparet, quod duo Centuriones Udvornicorum Regis expoſuerint, in Judicio, aliquos, Abbatiæ Tihonienſis ſervos injuſte in hanc conditionem redactos eſſe. Abbas id ſtatim *Calumniam* appellavit. Et cum Palatinus ſuperinde Abbati Jura-

mentum

mentum impoſuiſſet, hic vero ſe ad id præſtandum paratum exhiberet, Actores *metuentes* (ut in adjudicatoriis dicitur) *incurſum Calumniæ, reatum viva voce profeſſi, Sacra eum attingere non permiſerunt.* Itaque tunc omnis falſa in litem deducta prætenſio pro *Calumnia* habebatur. In prolato vero a Katona Tomo VI. pag. 494. Inſtrumento de 1268. Calumnia pro *refricatione, jam ſuperatæ litis* accipitur, & eidem horrida *aſſationis* poena conſtituitur; e converſo, e productis, in Proceſſu Tabulari familiæ Kemény, Stephani Judicis Curiæ Literis, de eodem Anno 1268. apparet, quod præter amiſſionem univerſorum Bonorum, inuſtio *ſtigmatis* delicto huic decreta fuerit, dicitur enim, quod filii Ebesd coram ſe exhibuerint Literas, id continentes.

„ Quod Jacobus filius Ponich . . . . . coram „ ipſo Rege, in nota manifeſtæ Calumniæ convictus, „ & omnes ejus poſſeſſiones Actoribus adjudicatæ fue„ rint . . . . & licet juxta approbatam Regni con„ ſvetudinem caracter, qui manifeſtis Calumniatoribus „ infligi conſvevit, de rigore Juris eidem imprimen„ dus fuiſſet, dicti tamen filii Ebesd ad petitionem, „ & inſtantiam Domini Regis impreſſionem ejusdem „ caracteris remiſerunt.“

Verum in his literis reatus, propter quem in *Calumnia* convictus eſt, non exprimitur. In aliis, quarum copiam non retinui, literis memini confectionem falſarum literarum etiam pro *Calumnia* declarari. Poſteriores Leges teſte Verböczio Part. II. tit. 70. *Calumniam* eo, licet perinde improprio, ſenſu adoptarunt, ſi quis eandem rem, aut bis ſine præſcriptis Juridicis remediis, aut dupplici lite, ad ſemel quærat.

ARTI-

ARTICULUS LI.

Idem obſervetur in Executione quoad Birſagia.

„ In Birſagiis etiam minoribus tanta portio, „ quanta pro ipſis Judicibus debebit, modo præ„ miſſo eſt occupanda, usque tempus ſatisfactio„ nis nichil plus, præterquam veros redditus „ ipſius poſſeſſionariæ portionis, Judex & Pars „ adverſa poſſint extorquere."

Improprie iterum enunciatus hic Articulus nil aliud ſignificat, quam quod in aliis etiam cauſis, ubi minora Birſagia adjudicantur, Executio non niſi ad vires Birſagii fieri, & non niſi, qua pignus Judiciale poſſideri poſſit.

ARTICULUS LII.

De Interfectoribus. (1)

Pœna Homicidæ Voluntarii.

„ Item ſiquis aliquem non caſualiter, ſed „ potentialiter ex concepta malitia interfecerit, „ tunc per Dominum Regem eidem gratia non „ fieri debet, niſi ex voluntate fratrum, & „ proximorum ipſius interfecti, (*a*) ſed talis „ reus plecti debet. Vindicti capitis apprehendi „ poterit (*b*). Sin autem, tunc poſſeſſionariæ „ portiones ſuæ occupari debent."

(1) Hæc Rubrica in ipſo Originali habetur.

(*a*) Adhuc ſub Stephano V. nulla fuit perſona publica, quæ Homicidia, aliaque in privatos commiſſa crimina perſequeretur, ſed hæc læſi ipſi in Judicium deducere

deducere debebant, uti id e Diplomâte Matthæi Bani de 1270. quod alibi commentati ſumus, oſtendimus. Et ideo interfecti etiam Conſanguinei Homicidium vindicare debebant. Naturale ergo fuit, quod reus cum his tranſigere debuerit, antea, quam Regis gratiam imploret. Comprobatur id Relatoriis Magiſtri Stephani V. Comitis, Magiſtri Georgii Bubek ad Ludovicum I. de 1379. datis. Nimirum mandaverat Rex V. Comiti huic.

„ Quod licet ille Nicolao . . . . propter interfectum Joannem Czirege gratiam dediſſet ſpecialem, „ homicida tamen hic ad ſatisfaciendum Cognatis „ interfecti compellatur: V. Comes vero retulit, quod „ Dominicus Beze unam medietatem exolvendam aſ„ ſumpſerit, aliæ vero 30 Marcæ manſerint inexolu„ tæ?“

Ex quo una patet, ea ætate Homagium interempti fuiſſe 60. Marcas (*b*) *ly ſin:* id ſignificat, ſi autem homicida profugiat, prouti id clauſula Privilegii a Bela IV. Civitati Zagrabienſi conceſſi, & a Kerchelich in Not. præl. pag. 125. prolati oſtendit, quæ ſic habet: *Si quis vero hominem interfecerit, & aufugerit, duæ partes ſuarum rerum cedant parentibus occiſi, pars tertia Civitati.*

ARTICULUS LIII.

Pœna homicidii caſualis.

„ Si autem caſualiter aliquis interfectus fue„ rit, tunc Rex eidem interfectori gratiam face„ re poſſit, tali tamen modo, ut juxta delibe„ rationem Baronum Propinguis interfecti ſatis„ factio impendatur, & ſi ſatisfacere nollet, „ vel non poſſet, tunc gratia ei in nullo ſuf„ fragetur.“

Si

Digitized by Google

Si Articulus hic ad literam ſumatur, videtur *ordinaria* pœna, etiam in *caſuali* homicidio locum habuiſſe. Verum id rationi ipſi repugnat, & ideo non poteſt ſupponi, vecors adeo fuiſſe hujus temporis Legislatio, præſertim cum in ipſo jam provocato Civitatis Zagrabienſis Privilegio de 1266. adeoque Decreto hoc 32 Annis antiquiore, caſuali homicidio, pœna ordinaria non dictetur, dicitur enim illic: *niſi quis in ludo ſine præmeditata malitia aliquem interfecerit, in hoc enim caſu* 100 *penſas cognatis interfecti*, 20 *vero penſas ad communes uſus refundat, interfector*. Quare, *gratia*, cujus hic mentio fit, debuit eſſe pura formalitas, quæ nulli *caſuali* homicidæ potuit denegari, & ſtudio tantum aquirendæ, quæ grationalibus his cedebat, Taxæ, introducta fuit.

ARTICULUS LIV.

In factis Potentiæ &c. Rex gratiam facere non poteſt, niſi prius Convictus cum triumphante accordet.

„ Inſuper omnibus coram Judice in factis „ Potentiæ, Calumpniæ, & aliis his ſimilibus „ convictis, nulla gratia per Dominum Regem „ eſt fienda, niſi prius Parti adverſæ ſatisfactio „ impendatur. “

Nimirum in majoribus ejusmodi cauſis ſuccumbens gravibus ſemper Birſagiis convincebatur. Ne triumphans, competente hoc ſibi ex Lege, emolumento privetur, proviſio hæc facta eſt, ut ante excontentatam Partem triumphantem, gratia Regia eidem non poſſit ſuffragari. Cæterum cum gratia Regis opus fuerit, pœna *Potentiæ* (ſeu ut nunc loquimur) actus majoris Potentiæ jam cum capitis, & amiſſionis omnium Bonorum pœnam importabat. Cum enim Bona in ejusmodi caſibus non ad Regem, ſed ad Judicem de-

voluta

Digitized by Google

voluta ſint, ut ſupra ad Articulum V. oſtendimus, gratia Regis convicto tantum, quoad pœnam capitis poterat ſuffragari. *Calumniæ* in eo, quem ad Art. 50. explicuimus, ſenſu acceptæ pœnam, fuiſſe amiſſionem omnium Bonorum jam ibidem vidimus.

ARTICULUS LV.

Interfectoris Cognati ſui portio cedit hæredibus interfecti.

„ Siquis aut fratrem ſuum uterinum, pa-
„ truelem, vel generationalem, ſeu condiviſio-
„ nalem interemerit, tunc poſſeſſionaria portio
„ ejusdem interfectoris, ſeu homicidæ propria,
„ in portionem ſuam ceſſa, vel cedenda, hære-
„ dibus, vel poſteris ipſius interfecti perpetuo
„ devolvatur. "

Patet hinc, quod in omnibus aliis criminibus, ubi Bona amittebantur, ea ſemper redimi potuerint, & quod in ſolo interfecti proprii conſanguinei caſu, homicida Bona ſua perpetuo, & irremiſſibiliter amiſerit. Ratio differentiæ in promptu eſt, nimirum in hoc caſu, remanebant Bona penes proprietariam familiam, in aliis caſibus, ſi redimi non potuiſſent, tranſiviſſent ad familiam alienam.

ARTICULUS LVI.

Poena in eos, qui res Nobilium in campis aut extra villam occupaverint.

„ Item ſiquis Nobiles ulterius potentiali-
„ ter in campis, vel extra villam receperit, &
„ ratione hujus in facto potentiæ convictus ex-
„ ſtiterit, tunc talis reus res in decuplo, ſeu

„ decies

„ decies ſe ad prædictas res ablatas extendentes,
„ ſolvere tenetur.“

Initialis Articuli hujus clauſula, uti hic jacet, nullum ſenſum facit; quid enim ſignificare poteſt: *Nobiles ulterius potentialiter in campis, vel extra villam recipere?* Itaque hic error ſcribentis cubat, & legendum videtur: *Si quis res alterius potentialiter in campis, vel extra villam interceperit, ſeu occupaverit.* Docet id ipſa finalis Articuli hujus clauſula, quæ de *rebus ablatis*, & non de *Nobilibus receptis* ſonat in verbis *ad prædictas res ablatas.*

Ex Articulo hoc apparet, quod pœnam potentiæ poſt ſe traxerit tantum Bonorum immobilium invaſio. Mobilium vero occupatio ſimplicem tantum violentiam, uti & nunc intulerit. Apparet etiam, quod ſtabilita hic pœna differat a moderna. Nunc enim homagia propria, & aſſumptorum perſolvuntur, tunc vero valor tantum rei ablatæ in decuplo compenſabatur. Et vero pœna hæc in majori proportione ſtat cum delicto, quam moderna.

ARTICULUS LVII.

Qualiter pœna hæc inter Judicem, & Partem dividi debeat.

„ De quibus primo res principales ipſi læſo
„ in toto reſtituantur, & tandem reſiduitas eo-
„ rundem in duas rectas partes cum Judice ipſi
„ læſo dividatur, cujus recta medietas ſimiliter
„ ipſi læſo ex integro aſſignetur.“

„ Et altera medietas, portio videlicet ipſius
„ Judicis in tres partes dividatur, & ipſa ter-
„ tia pars injuriatis pertineat, & duæ partes
„ ipſius medietatis Judici ordinatio proveniant.“

Con-

Confuſe iterum expreſſus hic Articulus id ſignificare videtur. Quod ipſæ quidem res ablatæ proprietario ex integro reſtitui, pœnæ vero decupli, quatuor ſextæ læſo; Judici vero non niſi duæ ſextæ cedere debeant.

ARTICULUS LVIII.

Reus, ſi in violentiali cauſa dictatam pœnam perſolvere non poſſit, captivatur, & arbitraria pœna plectitur.

„ Si vero res ſuas ad præmiſſa ſe extenden.
„ non haberet, tunc ipſe reus debet captivari,
„ & de præſcriptis juxta deliberationem Baro-
„ num ſe debeat emendare."

Vidimus e primis Decreti hujus 20. Articulis, quomodo Status omnia poſſibilia media, ad præcavendas Bonorum Immobilium occupationes exquiſiverint. Ut occupationes etiam mobilium præcaveant, rei, qui pœnam decupli perſolvere non potuerit, incaptivationem decernunt, & eum arbitrariæ per Judices ferendæ pœnæ ſubjiciunt. Id enim finalis, licet improprie expreſſa, Articuli hujus clauſula importat.

ARTICULUS LIX.

Pœna in eos, qui res alienas ex Curia violenter auferunt.

„ Si autem ipſæ res in villa, vel in curia
„ repertæ fuerint, tunc in facto potentiæ, ut
„ eſt præmiſſum, convicatur, & puniatur."

Senſus eſt: Etiam ſi quis mobiles res, e villa, aut curia alicujus Nobilis violenter auferat, tamen pœnam potentiæ incurrit, adeoque eorum non tan-

tum

Digitized by Google

tum *curiæ* Nobilitatis, ut nunc, ſed etiam *villæ* invaſio actum majoris potentiæ poſt ſe trahebat.

ARTICULUS LX.

Pœna in eos, qui lucrum Cameræ non perſolvunt.

„ Item quicunque Nobilium lucrum Came-
„ ræ juxta Regni conſvetudinem ab antiquo ap-
„ probatam facta dicatione, & termino con-
„ gruenti ſibi aſſignato ſolvere non curarent,
„ tunc poſſeſſiones, vel poſſeſſionariæ portiones,
„ tales vel talium, de quibus præmiſſa ſolutio
„ facta minus extitiſſet, præſente uno, vel duobus
„ Prælatorum, tamdiu per Comitem Comanorum
„ (Camerarum) Regalium debet occupari, quous-
„ que dicta ſolutio dictæ Cameræ, plenarie ſimul
„ cum Judicio juratorum trium fuerit perſoluta,
„ ipſamque poſſeſſionem idem Comes Cameræ
„ ſine deſolatione veros proventus ipſius poſſeſ-
„ ſionis percipien. medio tempore valeat con-
„ ſervare."

Nomen *Cameræ Regiæ*, inde a Sancto Stephano in Diplomatibus occurrit; & *Boroslaus Regiæ Cameræ Præſidens* jam ſub Geiſa II. in Anni 1148. Diplomate, primum a Peterfy, poſtea ab aliis etiam paſſim producto, inter Barones Regni, ſubſcriptus legitur.

Intricatius eſt illud, quid hic per *lucrum Cameræ* intelligatur? cum objectum hoc nemo hactenus ſatis enodaverit, libet illud paucis explanare.

Lucrum Cameræ in certo ſenſu acceptum, *legitimus*, & vetuſtiſſimus Regum Hungariæ proventus fuit. Nimirum oſtendimus jam ad Articulum 38. quod Reges I. Epochæ non habuerint *ſtabilem* Monetam, ſed eam

eam de Anno ad Annum procudi curaverint, idque ſub Andrea II. publica plane Lege, nempe Art. 23. 1222. fuerit ſtabilitum. Oſtendimus etiam, quod Regnicolæ novam pro veteri Monetam ſingulis Annis debuerint permutare. Quod in permutatione hac vetus Moneta non niſi *cum falcidia* aliqua debuerit acceptari, id res ipſa oſtendit, ſecus enim Reges in permutatione hac damnum paſſi fuiſſent. Quod ſi eveniſſet, intermiſiſſent certe Inſtitutum *annuæ permutationis*, & Monetam ad ſtabilem curſum reduxiſſent, ſupereſt itaque tantum, ut id pragmatice doceamus, quod emolumentum illud, quod e permutatione hac in ærarium reddundabat, nomine *lucri Cameræ* deſignatum fuerit. Id autem vel e ſolo, a Stephano V. Saxonibus Scepuſienſibus 1271. conceſſo a Katona Tomo VI. pag. 578. prolato, & a nobis ad Art. 38. jam provocato Diplomate conficitur, quod ſequentem clauſulam habet: *ſingulis Annis in Ramis Palmarum Monetam noſtræ Cameræ Regiæ cum omni reverentia ſuſcipere tenebuntur, & ſolenniter permittere currere, & lucrum Cameræ Regiæ cambire univerſaliter tenebuntur.* In hoc itaque ſenſu proventus hic *legitimus*, & ipſius Decreti hujus Articulo 38. ut vidimus, confirmatus fuit. Imo cum Bela I. rem monetariam Hungariæ primum regulaverit, non improbabiliter conjici poſſe videtur, quod uſus *annuæ Monetæ*, quodque ejus conſectaneum eſt, *lucrum Cameræ* hoc ſenſu acceptum, primam illi originem debeat.

Verum ſi bina Andreæ II. Decreta rite combinentur, facile apparebit, quod Rex hic, *liberos Denarios*, qui (ut ad Articulum 30 jam oſtendimus) tantum a liberis hominibus antea exigebantur, etiam a ſubditis Eccleſiarum, & Nobilium nomine *collectæ* exigere incœperit, & quod ſublata licet per Art. 3. 1222. *collecta* hac, ille eandem exactionem, ſed jam ſub nomine *lucri Cameræ* continuaverit. Titulus hic eo facilius ipſi ſuccurrere potuit, quod is omnem qua-

lemcunque proventum Regium, nomine *lucri Cameræ* deſignare ſolitus fuerit. In Privilegio enim Saxonibus Tranſylvanicis 1224. conceſſo, & a pluribus jam vulgato idem Andreas II. ita loqitur: *Ad lucrum vero Cameræ noſtræ* 500 *Marcas argenti dare teneantur annuatim.* Ex quo patet, quod ſimplicem etiam cenſum *lucrum Cameræ* appellet. Verum exactio hæc, etiam ſub nomine *lucri Cameræ* non multo poſt, id eſt 1331. per Art. 6. abrogata fuit, uti id in Veſtigiis Comitiorum pag. 104. oſtenſum eſt.

An Andreas poſt hanc etiam prohibitionem exactionem iſtam continuaverit? non liquet e Diplomate Belæ IV. quod 1243. Scepuſienſibus conceſſit, & quod Wagner inter Scepuſienſia Par. III. pag. 249. protulit, elici quidem videtur, quod ille collectas has etiam ad Nobiles extenderit, illud enim ſequentem clauſulam habet: *nullus ipſorum aliquam collectam, vel exactionem ſolvere teneatur, niſi ipſa collecta ad ſervientes Regis, & alios quoslibet Nobiles fuerit generalis.* Verum Belam IV. conditionem hanc aut nunquam in uſum reipſa deduxiſſe, aut ab eo mox receſſiſſe, & collectas has ad ſubditos Nobilium transtuliſſe, ſubſequa ejus Diplomata evidenter oſtendunt; nam in Priv. Eccleſiæ Strigon. de 1255. quod Pray in Hier. Part. I. pag. 137. produxit, ita loquitur: *Nullus Judicum Cives . . . eidem Eccleſiæ ſubjectos poſſit judicare, non deſcenſus facere ſuper ipſos . . . . vel collectam exigere . . . Item de lucro Cameræ, quod in Hungaria dicare eſt conſtitutum.* In confirmatorio vero ejusdem Eccleſiæ Privilegio de 1263. quod idem Pray ibidem pag. 131. protraxit, ita ait: *nullam collectam, nullum cenſum, Fiſco Regio applicandum poſſunt dicare, & exigere ſuper Populos Eccleſiæ, vel lucrum Cameræ, quod ſuper Populos omnium Regnicolarum quandoque dicare, & exigere conſveverunt.* Prima hic in omnibus, quæ hactenus prolata ſunt, quæve ſecus etiam evolvi, veteribus Inſtrumentis,

Dicæ

Dicæ mentio fit, atque adeo cum gentilitius hic terminus formalem Contributionem denotet, apparet, quod ſub Bela IV. Eccleſiarum, & Nobilium ſubditi, niſi per Privilegium abinde exempti fuerint, non jam in forma *benevoli oblati*; id quod idæa *collectæ* poterat indicare; ſed formalis *Contributionis* titulo Regi aliquod Tributum; non quidem quotannis, ſed ut poſtremi Diplomatis clauſula innuit, *quandoque* dependerint. Verum, & hoc non multo poſt, id eſt 1267. per Articulum I. ſub Phraſi: *Exactionis ratione Cameræ* ſublatum fuit, ut in Veſtigiis Comitiorum pag. 136. oſtenſum eſt.

Poſt hanc Legem usque ad præſens Decretum, id quod 31. Annorum intervallum efficit, exſtant quidem complures a publicis oneribus exemptionales, in nulla tamen earum *lucrum Cameræ* nominatur. Interea cum præſens, quem commentamur, Articulus non ita conceptus ſit; quaſi Tributum hoc, *de novo* ſtabiliretur, probabilius videtur, quod illud, non obſtante etiam Belæ IV. de 1267. Juramento firmato Decreto, per intervalla viguerit, ſed nunc primum ſanctionem Legis obtinuerit, & *annuum* effectum ſit.

Atque ita pragmatice jam tenemus, quod Tributi ſub nomine *lucri Cameræ* a ſubditis omnium Regnicolarum dependio, non ſub Carolo I. 1342. ſed per præſens Decretum Lege publica ſtabilita, ſicque demum *legitima* effecta fuerit.

ARTICULUS LXI.

Pro exceſſu Officialis Domino executio fieri debet.

„ Item ſi aliquis homo cujusvis ſtatus ho-
„ norem, ſeu officiolatum ex parte Prælatorum,
„ & Baronum, & aliorum quorumcunque homi-
„ num tenens, res alicujus hominis potentiali-

tres *definitivas* Judicis Sententias decidi debuit. Inde etiam uſus ille invaluit, ut omnes cauſæ *brevis litis*, pro cauſis *unius termini* haberi cœperint; non iterum quaſi unico termino *Phyſico* abſolvi debuiſſent; hujus enim contrarium jam Articulo 47. ſtatutum vidimus, ſed quia earum meritum unica *definitiva* Judicis Sententia decidebatur, & hæc ſtatim in executionem ſumi debuit.

Stabilita hoc Decreto, cauſarum *brevis*, id eſt *unius*, & *longæ litis*, id eſt *trium* Juridicorum terminorum diſtinctio, primum ſub Lud. I. per Art. 25. dein ſub Alberto Art. 34. demum ſub Mathia I. 1464. Art. 7. renovata eſt. Sub eodem tamen Mathia I. per Art. 4. 1486. quartus inſuper Juridicus terminus cauſis *longæ litis* conceſſus fuit, id eſt: poterat Incattus in iis *definitivam* Judicis Sententiam ter impedire. Conceſſis hac ratione cauſis, *longæ litis*, quatuor terminis, ceſſare utique debuiſſet illa, quæ antea vigebat, cauſarum trium terminorum claſſis, & cauſis *brevis litis*, unus; *longæ* vero *litis* univerſim quatuor Juridici termini concedi debuiſſent. Uſus tamen aliter invaluit, nempe illis cauſarum longæ litis ſpeciebus, quæ per præcedentes Leges ad hanc cathegoriam relatæ fuerunt, tantum tres, iis vero, quæ poſtea inter cauſas longæ litis relatæ ſunt, quatuor termini *Juridici* concedebantur.

Interea & plures cauſarum ſpecies ad categoriam *longæ litis* relatæ; & modi, quibus Sententia Judicis impediebatur *remedia Juridica* compellata ſunt, principio turbatio hæc Judiciariæ Sententiæ, generali *contradictionis* nomine deſignabatur. Poſtea Juriſconſultorum ſubtilitas effecit, ut prima turbatio, *Inhibitionis*, altera *Prohibitionis*, tertia *Repulſionis* nomine venerit.

Hæc *Juridicorum*, a *Phyſicis* terminis diſtinctio: illa cauſarum, in unum, duos, tres, & quatuor Juridicos terminos ſeparatio, illæ denique *remediorum Juridicorum* vario modo uſurpatæ nomenclationes,

tam

tam complicatam effecerant forenſem Hungariæ praxim, ut per novellares Leges omnes illæ ambages ſublatæ, & in cauſis *longæ litis* unicum *Repulſionis* remedium, quod *definitivam* Judicis Sententiam ſiſtere poſſit, ſtabilitum ſit. Quamquam ipſæ hæ novellares Leges adeo obſcure conceptæ ſint, ut plurimis adhuc quæſtionibus anſam præbeant, prouti id in diſſertatione de objectis his, ex inſtituto elucubrata, alibi oſtendimus.

ARTICULUS LXIII.

Terminus cauſæ e ſolo Partium conſenſu extra Judicium differri non poteſt.

„ Et ratione prioritatis terminorum, ac
„ de Partium voluntate ipſa cauſa differri non
„ poſſit, ſed Partibus in præſentia Judicis com-
„ parentibus in cauſam attractus omni craſtina-
„ tione poſtpoſita reſpondere teneatur.“

Improprie iterum enunciatus hic Articulus nil aliud ſignificat, quam quod Partes, præfixum a Judice terminum, mutuo conſenſu, & citra Judiciariam Sententiam differre non potuerint.

ARTICULUS LXIV.

Pro Inſtrumentorum Exhibitione, Reo, quot Termini? & qualiter concedi debeant?

„ Ad exhibitionem Inſtrumentorum tres ter-
„ mini, & non plures aſſignari debent (*a*) unus
„ videlicet ſine gravamine, & duo cum grava-
„ mine, quilibet ſcilicet cum Judicio trium Mar-
„ carum (*b*) aſſignari debeant, & ſic unius
„ Anni revolutionem quælibet cauſa finaliter
„ terminetur, “

 (*a*) Clau-

Si Articulus hic ad literam ſumatur, videtur *ordinaria* pœna, etiam in *caſuali* homicidio locum habuiſſe. Verum id rationi ipſi repugnat, & ideo non poteſt ſupponi, vecors adeo fuiſſe hujus temporis Legislatio, præſertim cum in ipſo jam provocato Civitatis Zagrabienſis Privilegio de 1266. adeoque Decreto hoc 32 Annis antiquiore, caſuali homicidio, pœna ordinaria non dictetur, dicitur enim illic: *niſi quis in ludo ſine præmeditata malitia aliquem interfecerit, in hoc enim caſu* 100 *penſas cognatis interfecti*, 20 *vero penſas ad communes uſus refundat, interfector.* Quare, *gratia*, cujus hic mentio fit, debuit eſſe pura formalitas, quæ nulli *caſuali* homicidæ potuit denegari, & ſtudio tantum aquirendæ, quæ grationalibus his cedebat, Taxæ, introducta fuit.

ARTICULUS LIV.

In factis Potentiæ &c. Rex gratiam facere non poteſt, niſi prius Convictus cum triumphante accordet.

„ Inſuper omnibus coram Judice in factis
„ Potentiæ, Calumpniæ, & aliis his ſimilibus
„ convictis, nulla gratia per Dominum Regem
„ eſt fienda, niſi prius Parti adverſæ ſatisfactio
„ impendatur. “

Nimirum in majoribus ejusmodi cauſis ſuccumbens gravibus ſemper Birſagiis convincebatur. Ne triumphans, competente hoc ſibi ex Lege, emolumento privetur, proviſio hæc facta eſt, ut ante excontentatam Partem triumphantem, gratia Regia eidem non poſſit ſuffragari. Cæterum cum gratia Regis opus fuerit, pœna *Potentiæ* (ſeu ut nunc loquimur) actus majoris Potentiæ jam cum capitis, & amiſſionis omnium Bonorum pœnam importabat. Cum enim Bona in ejusmodi caſibus non ad Regem, ſed ad Judicem devoluta

Digitized by Google

... *arens*,
... reddi-
... ſoluta
... llorum
... Adju-
... Anno
... produ-
... laravit,
... cauſa
... t. Sed
... ttum ad
... s, & in
... In tertio
... illa ſi-
... iſcatur,
... nſilium,
... Birſagiis
... is priori
... in obſe-
... redditam
... idetur.
... nunc lo-
... iciebat, ſi
... enta provo-
... iam Regiam
... daneo Judice
... us hic Judex
... ebrato termino
... ab illa Parte,
... vit.
... *riam*, ad reambu-
... er *meritoriam* Sen-
... Partis, id eſt ad
... , facto alicujus
... pro parte ſua
... Pars talis, hoc
... convincebatur

Verböczius, qui hanc Birſagiorum materiam, qua proximus iis, quibus illa adhuc vigebant, temporibus optime dilucidare potuiſſet, eam leviter tantum in Parte II. Tit. 86. §. 6. attingit, & uſum hunc, per generale Decretum ſublatum eſſe refert, quin tamen ſeu Regem, ſub quo, ſeu Annum, quo Lex hæc perlata eſt, indicet. Hactenus autem nemo Legem ejusmodi produxit.

ARTICULUS LXV.

Quot Actori? & quot interea Partes accordare poſſint?

„Medio autem tempore quæcunque pars voluerit, poteſt concordari: (*a*) Auctor etiam „ exhibitionem ſuorum Inſtrumentorum ſolum tribus vicibus ſemper cum gravamine Judiciorum „ Regalium (*b*) valeat prolongare.

(*a*) Ante hanc Legem Partes ſine conſenſu Judicis tranſigere non potuiſſe, plurimæ veterum Chartarum clauſulæ remonſtrant. Speciminis cauſa juvat unam tantum excitare e Litteris Ladislai IV. de 1280. quas Koller Tom. I. pag. 419. protulit, quæ ſic habet: *Cum Nobiles Viri . . . ſuper facto alienationis poſſeſſionum ſuarum ad noſtram Regiam ſpecialem præſentiam, in cauſam attraxiſſent . . . . tandem obtenta a Regia Majeſtate noſtra licentia . . . . taliter ſe dixerunt concordaſſe.*

Cauſa uſus hujus fuit rata illa, quam Judices ex Birſagiis percipiebant. Ne proventu hoc priventur, induxerunt morem illum, ne Partes, *citra illorum Conſenſum*, accordare poſſint.

Non debuit tamen Lex hæc Andreæ III. in effectum deduci, cum 1351. ſub Ludovico I. per Articulum 24. tanquam de novo conſtituatur, ut liceat quidem Partibus concordare, ſed erga deponendam Judici unam Marcam.

Quod

Quod nec hæc Lex in effectum abiverit, docent ſubſequo ſtatim Anno 1352. emanatæ, & in Proceſſu Kalloyano productæ, Literæ Philippi Palatini, ubi ille narrat; qualiter Nobiles de Kallo ex *permiſſione* ſua in cauſa eorum Diviſionali tranſegerint. Indubie opima, quam Judices, e Birſagiis habuiſſe, præcedenti Nota docuimus, meſſis, ſalutaris Legis hujus effectum impedivit.

Tandem 1435. ſub Sigismundo Art. V. §. 2. datur Partibus facultas transigendi absque ulla Judici eo nomine deponenda Taxa: & cum Articulo hoc *ad antiquam conſvetudinem* provocetur, debuit ille Ludovici I. Articulus ſubinde contrario uſu abrogari.

Poſtea Status, de conſervanda hac Libertate adeo ſoliciti fuerunt, ut Legem hanc ſtatim poſt quadriennium ſub Alberto per Art. 31. renovaverint.

(*b*) Hic Lex, Diſcrimen inter Actorem, & Incattum conſtituit, nimirum ſtatuebatur priori Articulo, quod Incattus in primo cauſæ termino dilationem pro producendis litteralibus Inſtrumentis absque ullo gravamine obtinere poſſit. Hic conſtituitur, quod Actor in tali caſu pro primo etiam termino 3. illas Marcas deponere debuerit. Ratio differentiæ eſt, quia Actorem ſemper paratum eſſe decet ad actionem ſuam comprobandam.

ARTICULUS LXVI.

Onera in ultimo cauſæ Termino deponi debent, ſecus ad eorum Vires Executio ordinatur.

„ Item in ultimo termino Judicia in Proceſ-
„ ſu jure emerſa Partes deponere teneantur, &
„ ſi cum pecunia, vel rebus deponere nequiret,
„ tunc poſſeſſione cum fructuoſa, & populoſa
„ Judici, & Parti adverſæ ſatisfacere teneatur;
„ Ut

„ Ut idem convictus, per quem ratione prævia „ poſſeſſio datur, adverſam Partem, & Judicem, „ in Dominio ejusdem poſſeſſionis tamdiu, quous- „ que ab eisdem in præmiſſa pecunia, ſeu Judi- „ cio redimentur, conſervare teneantur.

Senſus Legis hujus non ille fuit, ut Pars in prioribus terminis convicta, etiamſi velit, Birſagia deponere non poſſit, ſed quod eadem, ſi antea non perſolvit, in tertio cauſæ termino omnimode deponere debeat. Docent id Adjudicatoriæ Pauli Judicis Curiæ de 1341. quæ primæ hactenus poſt hanc Legem productæ ſunt a Koller Tom. II. pag. 473. & quæ ſequentem clauſulam habent. *Et quia idem D. Epiſcopus Judicium legale contra ipſas Dominas, nempe Moniales ante Litis ingreſſum perſolvendum, non ſolvit, ideo ipſum legale Judicium in termino repartitionis ſerici cum duplo ante Litis ingreſſum ſolvere teneatur coram nobis.* Ex quo patet, quod prioris termini Birſagia ſequenti termino ante ingreſſum Litis deponi debuerint. Ipſæ poſteriorum temporum Adjudicatoriæ, dum Incattum in duplo convincunt, frequenter continent ſequentem clauſulam, *quia non venit, neque miſit, nec Judicium nobis, & adverſæ Parti, perſolvere deben., perſolvit.* Deinde Partem ad deponendum in ſequenti termino hoc Birſagium ſemper citant, adeoque ſi reus comparuiſſet, potuiſſet utique Birſagium prioris termini, in *ſimpla* deponere. Apparet itaque, quod illa Birſagiorum duplicatio in ſecundo termino, duplorum vero duplatio in tertio termino, ad coercendam Partium contumaciaam invecta fuerit.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS LXVII.

Quanti Bona vendi vel impignorari poſſint, & quod admonitio erga Vicinos, & Cometaneos neceſſaria ſit.

„Item ſiquis Nobilium poſſeſſionem, ſeu poſ„ſeſſiones, aut particulas ſuas poſſeſſionarias ne„ceſſitate præpeditus vendere, vel impignorare, „aut ſe alienare intenderet, tunc primo, & „principaliter eisdem, vel ipſorum Fratribus, „& hominibus ſuæ generationis, vel Condivi„ſionalibus, vel Cometaneis, ant Vicinis ſuis „(*a*) tali modo vendere poſſit, ut talem poſſeſ„ſionem, ſeu portionem poſſeſſionariam, cujus „fructus, proventus, & utilitates, ad unam Mar„cam ſe extendunt, per Anni circulum facere poſ„ſunt, pro decem Marcis, cujus vero ad duas, „pro viginti Marcis, & ſic ſucceſſive (*b*) eme„re debeant, & ipſam venditionem primitus co„ram dictis Juratis ipſis Fratribus, hominibus „generationalibus, Cometaneis, aut Vicinis ſuis „notificare teneantur, & ſic ipſam proprio cum „præſcitu vendere vellent, bene quidem, alio„quin eam quibuſcunque aliis voluerint, venden„di habeant facultatem.

(*a*) Antiquiſſimam ſeu Legem, ſeu uſum illum fuiſſe, ut in venditionibus Bonorum *Conſanguinei* præprimis præmoneantur, docet prolatum de 1136. Inſtrumentum, apud Katona Tom. III. pag. 503. ubi dicitur: *his* (nempe ſpecificatis Conſanguineis) *nil contradicentibus, Bela Rex conceſſit Martino Comiti ad placitum ſua ordinare*, nam ſi ad *Teſtamenta* condenda, conſenſus Conſangvineorum neceſſarius fuit,

quanto

quanto magis requiri debuit in *venditionibus.* In Adjudicatoriis etiam Mokyani Palatini, in collectione Heveneſſiana deſcriptis de 1268. adeoque 30. ante præſens Decretum Annis emanatis, poſtquam Palatinus enarraſſet, quod Andreas . . . . . poſſeſſionem ſuam Aſtvam in Comitem Thomam in forma Judicialis compoſitionis tranſtulerit, ſubjungit deinde; *permittentibus, & conſentientibus omnibus Cognatis, & Conſanguineis prædicti Andreæ coram nobis perſonaliter Conſtitutis.*

Quod autem Lex hæc, poſtea etiam relate ad *Vicinos* & *Commetaneos* in realem effectum abiverit, teſtantur Literæ Ludovici I. in Proceſſu Kalloyano productæ de 1371. ubi Rex ita loquitur.

„Dicitur nobis in Perſonis Jacobi de Vinche, „ quod Joannes Apad, quandam portionem ipſorum „ poſſeſſionariam cuidam Leukus de Semeny, pignori „ obligaſſet. Cum tamen eadem Portio tum ratione pro- „ ximitatis, tum etiam prætextu cometaneitatis ipſos „ Jacobum . . . . magis, quam eidem Leukus emen- „ dum, & pro pignore, aut alio quovismodo haben- „ dum debeat pertinere.“ Deinde curat Rex dictum Leukus ab emptione hac inhiberi.

Cum nullum horum Inſtrumentorum neceſſitatem præmonitionis, tantum ad *avitica* Bona reſtringat, mihi probabile admodum videtur, 'quod prioribus Seculis, *præmonitio* etiam in caſu venditionis Bonorum *aquiſitorum* neceſſaria fuerit, præſertim cum relate ad *Vicinos*, eadem ratio de aquiſitis, quæ de aviticis ſubverſetur. Debuit tamen Lex hæc poſteriori uſu varie modificata fuiſſe, donec eam, quam Verböczi Par. I. Tit. 60. deſcribit, formam accepit.

Apparet hinc, quod ævo illo Bona a 10. pro 100. æſtimata fuerint, id eſt, quod pro Bonis, quæ 10. Millia inferebant, non niſi 100. Millia numerari debuerint, id quod exiguam admodum circulantis pecuniæ maſſam indicat.

Cæte-

Digitized by Google

Cæterum vel hæc limitatio, quanti Bona vendi debeant? ſatis oſtendit, in quantis tenebris Legislatio ejus temporis circa objectum *Commercii* verſata fuerit. Legem certe hanc in realem effectum haud abiviſſe tuto ſtatuere licet, præſertim cum nullum ſtatuat medium compulſivum.

ARTICULUS LXVIII.

Quanti Bona executa redimi poſſint?

„Item ſi cujuscunque Nobiles Poſſeſſiones
„ ratione ſuorum exceſſuum, vel gravaminis ad
„ manus Judiciarias, ad Partis adverſæ devene-
„ rint, (*a*) tunc easdem ipſe, vel alii, quibus
„ congruit, a manibus eorundem juxta Regni
„ conſvetudinem ab antiquo conſervatam re-
„ dimere poſſit, videlicet unum Aratrum terræ
„ pro tribus Marcis (*b*) Eccleſiam cum Campa-
„ nili pro 15. Marcis, & ſine Campanili pro de-
„ cem Marcis (*c*) & ſic de ſingulis.

(*a*) Hæc eſt prima poſitiva, quam hactenus eruimus de *pignore judiciali*, quod Verböczius Part. II. Tit. 56. deſcribit, Lex, quam tamen e veteri conſvetudine perinde deſumptam eſſe, textus ipſe oſtendit.

(*b*) Si conſtaret, quantum tempore editi hujus Decreti Marca etulerit? haberemus pretium, quo tunc unum jugerum veniebat. Verum id nemo hactenus eruit; Marcam autem diverſis temporibus in diverſo valore acceptam fuiſſe, ſatis conſtat.

(*c*) Quod Lex hæc, ut occaſione *Executionis* ipſæ etiam *Eccleſiæ* æſtimentur, quodve ejus conſectaneum eſt, Triumphanti Parti in ſortem adjudicatæ ſibi quottæ imputentur, in realem abiverit effectum, & ex Adjudicatoriis Mathiæ I. in Proceſſu Kalloyano produ-

Digitized by Google

ctis, de 1483. & e Verböczii Part. I. Tit. 134. ſatis apparet. Apparet etiam, quod Eccleſia cum *Sepultura*, & Pinaculo ſeu *Turri* altius æſtimata fuerit, quam quæ his deſtituebatur. Verum quem fructum habere potuit Triumphans ex Eccleſia, ſeu illa Turrim habuerit, ſive non: quomodo Sacra hæc ædificia ad profanam proprietatem reduci potuerunt? Jus *Sepulturæ* & *Patronatus*, ſi hæc Eccleſiæ adnexa fuerunt, potuerunt quidem aliquod, licet *eventuale* tantum Beneficium conſtituere. Sed ſi tantum adhibere rigorem libuit, cur duo hæc Beneficia, prætermiſſo *Eccleſiæ* ædificio in æſtimationem ſeparatim aſſumpta non ſunt? Ego certe nullam hactenus ejus rei cauſam deprehendere potui.

Cæterum Articulo quidem hoc nulla *menſuræ Regalis* a Verböczio Part. I. Tit. 133. deſcriptæ mentio fit, hanc tamen ſub Mathia I. jam viguiſſe, provocatæ ejus Adjudicatoriæ teſtantur, referunt enim exmiſſi, *quod terras ad menſuram Regalem, vineas ad jugera, prata ad falcaſtra computaverint.*

Nullum etiam Articulo hoc inter *Perennalem* ſeu condignam, & *communem* æſtimationem, quas Verböczius eodem titulo deſcribit, diſcrimen conſtituitur. Quod tamen illud poſteriori uſu inductum fuerit, docent eædem Mathiæ I. Adjudicatoriæ; referunt enim exmiſſi illic ad æſtimationem Regius, & Capitularis Homo, *quod omnia tantum ad dimidietatem* (id eſt dimidio interni valoris pretio) *æſtimaverint.*

Ex ipſo tamen hoc apparet, alium ſub Mathia I. quam quem Verböczius ſub Wladislao citato loco deſcribit, uſum quoad *communem* æſtimationem viguiſſe, Verböczius enim decimam tantum interni valoris partem, pro communi æſtimatione citato titulo §. 4. aſſumit.

Quoad ipſam æſtimationis quantitatem, deſcripta in Adjudicatoriis Mathiæ æſtimatio, in ordine ad *Eccleſias*

cleſias & *Sylvas* differt a Verbócziana, quoad *Curiam* tamen Nobilitarem, & *Molendinum* ex aſſe congruit.

Ac *communis* quidem hæc æſtimatio, Triumphanti admodum proficua fuit, videntur tamen majores noſtri hac in re eo reſpexiſſe, ut proprietarius Bona ſua erga *vilem* hanc æſtimationem tanto facilius redimere poſſit.

ARTICULUS LXIX.

Vendens Evictione tenetur.

„Item quicunque Nobilis poſſeſſionem, vel
„ poſſeſſiones, ſeu portiones ſuas poſſeſſionarias
„ alicui homini vendidiſſet, & ipſum in ſuum
„ verum ſucceſſorem in ordine aſſumpſiſſet, &
„ tandem talis poſſeſſio ab ipſo Emptore per
„ Formam Juris per quemcunque requireretur,
„ tunc talis expedit. & ſui ſucceſſores modis
„ omnibus Emptorem, & ſuos ſucceſſores ſecun-
„ dum ſuum aſſumptum in perpetuum expedire
„ tenebitur, in facto poſſeſſionario prænotato.

Lex hæc dedit fundamentum Verböczianis titulis 74. 75. 76. & 77., & licet illa ad præcedentem uſum non provocet, evictionem tamen jam tempore Andreæ II., & Belæ IV. viguiſſe, e §. 125. & 389. Ritus explorandæ veritatis ſatis apparet; in primo enim eorum Evictio diſerte aſſumitur, per verba: *ita quod ſi aliquando a quocunque eadem terra ab Eccy Comite, vel poſteris ejus requiretur, Michael vel ejus Hæredes Eccy Comitem juſtificare tenerentur*: in altero vero Evictio diſerte excluditur, per verba: ita tamen, *quod ſi quis de jam dicto Prædio quidquam requireret, ipſe quid datam a ſe Partem tueri non teneretur.*

(1) Facultatem Bona immobilia perennaliter abalienandi, Jus præemtionis non tantum Conſanguineis,

ctis, de 1483. & e Verböczii Part. I. Tit. 134. ſatis apparet. Apparet etiam, quod Eccleſia cum *Sepultura*, & Pinaculo ſeu *Turri* altius æſtimata fuerit, quam quæ his deſtituebatur. Verum quem fructum habere potuit Triumphans ex Eccleſia, ſeu illa Turrim habuerit, ſive non: quomodo Sacra hæc ædificia ad profanam proprietatem reduci potuerunt? Jus *Sepulturæ* & *Patronatus*, ſi hæc Eccleſiæ adnexa fuerunt, potuerunt quidem aliquod, licet *eventuale* tantum Beneficium conſtituere. Sed ſi tantum adhibere rigorem libuit, cur duo hæc Beneficia, prætermiſſo *Eccleſiæ* ædificio in æſtimationem ſeparatim aſſumpta non ſunt? Ego certe nullam hactenus ejus rei cauſam deprehendere potui.

Cæterum Articulo quidem hoc nulla *menſuræ Regalis* a Verböczio Part. I. Tit. 133. deſcriptæ mentio fit, hanc tamen ſub Mathia I. jam viguiſſe, provocatæ ejus Adjudicatoriæ teſtantur, referunt enim exmiſſi, *quod terras ad menſuram Regalem, vineas ad jugera, prata ad falcaſtra computaverint.*

Nullum etiam Articulo hoc inter *Perennalem* ſeu condignam, & *communem* æſtimationem, quas Verböczius eodem titulo deſcribit, diſcrimen conſtituitur. Quod tamen illud poſteriori uſu inductum fuerit, docent eædem Mathiæ I. Adjudicatoriæ; referunt enim exmiſſi illic ad æſtimationem Regius, & Capitularis Homo, *quod omnia tantum ad dimidietatem* (id eſt dimidio interni valoris pretio) *æſtimaverint.*

Ex ipſo tamen hoc apparet, alium ſub Mathia I. quam quem Verböczius ſub Wladislao citato loco deſcribit, uſum quoad *communem* æſtimationem viguiſſe, Verböczius enim decimam tantum interni valoris partem, pro communi æſtimatione citato titulo §. 4. aſſumit.

Quoad ipſam æſtimationis quantitatem, deſcripta in Adjudicatoriis Mathiæ æſtimatio, in ordine ad *Ec-*

cleſias

cleſias & *Sylvas* differt a Verböcziana, quoad *Curiam* tamen Nobilitarem, & *Molendinum* ex aſſe congruit.

Ac *communis* quidem hæc æſtimatio, Triumphanti admodum proficua fuit, videntur tamen majores noſtri hac in re eo reſpexiſſe, ut proprietarius Bona ſua erga *vilem* hanc æſtimationem tanto facilius redimere poſſit.

ARTICULUS LXIX.

Vendens Evictione tenetur.

„Item quicunque Nobilis poſſeſſionem, vel
„ poſſeſſiones, ſeu portiones ſuas poſſeſſionarias
„ alicui homini vendidiſſet, & ipſum in ſuum
„ verum ſucceſſorem in ordine aſſumpſiſſet, &
„ tandem talis poſſeſſio ab ipſo Emptore per
„ Formam Juris per quemcunque requireretur,
„ tunc talis expedit. & ſui ſucceſſores modis
„ omnibus Emptorem, & ſuos ſucceſſores ſecun-
„ dum ſuum aſſumptum in perpetuum expedire
„ tenebitur, in facto poſſeſſionario prænotato.

Lex hæc dedit fundamentum Verböczianis titulis 74. 75. 76. & 77., & licet illa ad præcedentem uſum non provocet, evictionem tamen jam tempore Andreæ II., & Belæ IV. viguiſſe, e §. 125. & 389. Ritus explorandæ veritatis ſatis apparet; in primo enim eorum Evictio diſerte aſſumitur, per verba: *ita quod ſi aliquando a quocunque eadem terra ab Eccy Comite, vel poſteris ejus requiretur, Michael vel ejus Hæredes Eccy Comitem juſtificare tenerentur:* in altero vero Evictio diſerte excluditur, per verba: ita tamen, *quod ſi quis de jam dicto Prædio quidquam requireret, ipſe quid datam a ſe Partem tueri non teneretur.*

(1) Facultatem Bona immobilia perennaliter abalienandi, Jus præemtionis non tantum Conſanguineis,

Digitized by Google

ſed etiam Vicinis & Commetaneis, & quidem etiam in emptitiis competiiſſe, ac demum onus Evictionis Venditori incubuiſſe, quæ in præſenti Decreto tam aperte commemorantur, jam olim, & longe ante conditum hocce Decretum in Hungaria viguiſſe ſequens Diploma teſtatur.

„ Capitulum Eccleſiæ B. Michaelis Tranſylvania
„ omnibus ad quos præſens ſcriptum pervenerit, ſa-
„ lutem. Ad univerſorum notitiam volumus perve-
„ nire præſentium per tenorem, quod Anno Domi-
„ ni M. CC. XXXI. Jowb filius Peech ad noſtram
„ accedens præſentiam, quamdam terram ſuam juxta
„ Morus adjacentem, medietatem videlicet terræ Gum-
„ bas vocatæ, quam a Kege comparaverat, & qui
„ etiam alteram medietatem idem Kege Capitulo
„ Eccleſiæ B. Michaelis adhuc juvenis donaverat,
„ cum omnibus utilitatibus, & pertinentiis dixit ſe
„ vendidiſſe *ex conſenſu & bona voluntate Cognato-*
„ *rum ſuorum*, ſcilicet Samſon . . . . Obus . . . .
„ nec non *Commetaneorum ſuorum;* Pouſæ Waywodæ,
„ & Thobiæ Comiti Obus filio Michaelis perpetuo
„ jure poſſidendam pro 20. Marcis argenti plenarie
„ perſolutis; *obligando* etiam coram nobis, *ſe & ſuos*
„ *heredes*, ut ſi quiſquam proceſſu temporis ipſum
„ Obus pro terra antedicta moleſtare attemptaret, *ſuis*
„ *ſumtibus & expenſis defenſare teneretur.* Ut hujus
„ emptionis ſeries, & impoſterum maneat inconcuſſa,
„ præſentes fecimus Sigilli noſtri munimine roborari.“

Tanta vel in ſolo hoc Decreto Legum, quas poſtea Verböczius compilavit, Veſtigia exſtant! Quid? ſi ille reliqua I. Epochæ Decreta, quorum plura indubie ſuo tempore adhuc exſtabant, conſuluiſſet: Quid? ſi vel *Varadienſem* (plures enim indubie ſua ætate adhuc ſupererant) explorandæ veritatis Ritum combinaſſet: Quid? ſi dives illud Judicialium formalitatum, Diploma Mathæi Bani, de quo ſæpius meminimus, evolviſſet: Quid denique? ſi Adjudicatorias illorum Seculorum, quarum complures adhuc ſuo ævo ſuper-

eſſe

eſſe debuerunt, diligentius inſpexiſſet: deprehendiſſet ille indubie, quod vetus Judiciorum ordo, ſenſim domi enatus, & non ut Part. II. Tit. 6. §. 22. aſſerit, a Carolo I. e Galliarum finibus inductus ſit. Potuiſſet plerasque in Tripartitum ſuum relatas Leges, vel Decreti alicujus authoritate, vel ſupremorum ejus temporis Judicum Adjudicatoriis fulcire. Evitaſſet denique omnes illas cavillationes, quibus Homines Lectione Judicialium antiquitatum minus ſubacti compilationem ſuam eo potiſſimum nomine impetierunt, quod illam vago *conſvetudinum* nomine inſigniverit.

ARTICULUS LXX.

De Ruſticis, & Johagionibus (1).

Ruſtici plena migrandi facultate gaudeant.

„ Item quilibet Ruſticus, ſeu Jobagio alicujus Nobilis ſi voluerit de poſſeſſione Domini ſui habita licentia, & juſta, ac conſveto ſuo Terragio perſoluto, ad poſſeſſionem alterius Nobilis, vel alias, quo ei placuerit, cum omnibus ſuis rebus libere ſe cauſa commorandi transferre valeat.

(1) Hæc Rubrica in ipſo Originali habetur.

Quod ſubjecti Dominicæ Poteſtati Homines tota I. Regum Periodo in *conditionarics*, & *ſervos* diviſi. Quod horum alii *domeſtici*, alii *domiciliati*: Quod *conditionarii* ad unum tantum ſpecificum laborem aut ſervitium, *Servi* vero ad omnes promiſcue, & quidem indeterminato numero præſtandos labores obſtricti fuerint; denique quod Syſtema Colonorum, quale ſub Wladislao 1514. Art. XIV. & ſequentibus ſtabilitur, e conflata in unam duplici illa ſubditorum Claſſe ennatum ſit, alibi oſtendimus. Quare dum in

Colom. Lib. I. Cap. 19. Vocabulum *Colonus*, in Priv. Belæ III. Eccleſiæ Quinqueeccleſienſi de 1190. Nomen *Ruſticus*; in Ritu explor. Ver. Vocem. *Johagio* pro ſubdito acceptam legimus, per id non formales, quales inde ab Wladislao vigent, *Colonos*, ſed *Servos domiciliatos*, & *conditionarios* intelligere debemus.

An expreſſa hoc Articulo migrandi libertas, tantum ad *conditionarios*, vel vero ad *ſervos* etiam *domiciliatos* extenſa fuerit? non ita pronum eſt definire. Cum tamen Lex, & *Ruſtici* & *Johagionis* vocabulo utatur, ego per illud, *Servos domiciliatos*; per hoc vero *conditionarios* intelligi, & utroſque facultate migrandi gaviſos fuiſſe puto.

Nihilo facilius eſt ſtatuere, an libera migratio privatorum ſubditis hac Lege primum conceſſa? vel vero confirmata tantum fuerit? cum uſque irruptionem Tartarorum plurima repetitorum non tantum *Servorum*, ſed & *Johagionum* (per quos ego *conditionarios* intelligi puto) exempla proſtent, ab eo vero tempore nemo hactenus aliquod repetiti ſubditi exemplum protulerit, ego liberam migrationem mox poſt deſolationem Tartaricam ea de cauſa invectam eſſe puto, ut Regnum tanto citius impopulari poſſit.

Cæterum apparet ex hoc Articulo, quod libera migratio ſubditis per Art. VI. 1405. ſub Sigismundo non de novo, ut hactenus, exiſtimatum eſt, conceſſa, ſed tantum confirmata fuerit, licet Lex illa eo tenore concepta ſit, quaſi illa reipſa tum primum concederetur.

ARTICULUS LXXI.

A Perſona, aut vacuo Animali nullum Tributum cedit.

„ Item nullus Equeſtris, & homo Pedeſtris
„ cujuscunque conditionis exiſtant, aliquod pon-
„ dus non habens, ſecum ad deferendum im-

„ pedia-

„ pediatur in loco Tributi, vel alias aliquod Tri-
„ butum dare teneatur.

Per vocem *Tributum* niſi diſtinctum quodpiam vocabulum additum ſit, jam *Triceſimam*, jam *Telonium* intelligi ad Articulum 25. oſtendimus. Cum quoad objectum hujus Articuli, par ſit ratio tam *Triceſimæ*, quam & *Telonii*, diſpoſitionem Articuli hujus ad *utrumque* extenſam fuiſſe puto. Poterat enim vacuus Eques, & Pedes tam lineam *Triceſimalem*, quam & locum Telonii pertranſire.

ARTICULUS LXXII.

Exter dum immigrat, nulli Tributo ſubjaceat.

„ Item quiſcunque homo, ſeu advena de ex-
„ traneis Regnis ad iſtud Regnum ſe transferret
„ moraturum, ab eodem, & ſuis Bonis apud ipſum
„ habitis, tempore ſuæ translationis in nullo lo-
„ co aliquod Tributum exigatur.

Hic jam *Tributum* ad *Triceſimam* reſtringi videtur, Exter enim, dum immigrat, utique lineam Triceſimalem tranſire debet. Cum tamen plura etiam *Telonii* loca ſæpius attingere debuerit, ſi ſe profundius in Regno illocavit, probabilius eſt, quod hæc quoque Lex ad *Triceſimas*, & ad *Telonia* extenſa fuerit. Cæterum apparet hinc providentia Majorum noſtrorum, qui *Impopulationem* Regni, hac etiam ratione faciliorem reddere voluerunt.

ARTICULUS LXXIII.

Uti nec Ruſticus, dum ad alium Dominum migrat.

„ Item ſiquis Ruſticus, ſeu Jobagio alicujus
„ Nobilis ſe de ipſo Domino ſuo ad alium No-

Digitized by Google

„ bilem transferre vellet moraturum, ab eodem
„ Ruſtico modo ſimili tempore translationis ſuæ,
„ ſeu Jobbagione, nullum aliquod Tributum ac-
„ cipiatur.

Eadem Majorum noſtrorum providentia ex hac quoque Lege eluceſcit, nimirum quod ſubditorum migrationem hac etiam ratione facilitaverint, ſicque conditionem numeroſiſſimæ Incolarum Regni Claſſis, tolerabiliorem reddiderint.

ARTICULUS LXXIV.

Etiam a Victualibus Nobilium nil deſumatur.

„ Item de Victualibus Prælatorum, & Baro-
„ num, aut Nobilium quorumcunque per quos-
„ cunque fuerit, per quælibet Tributa deferen-
„ dum, nullum Tributum exigatur.

Hic quoque per *Tributum*, & *Triceſimæ*, & *Telonia* intelligi debent, erant enim hoc ævo complures *Mediterraneæ* Triceſimæ, quæ primum ſub Wladislao 1498. per Articulum 34. ſublatæ ſunt, & per quas Victualia Nobilium tranſire debebant, etiamſi intra Regnum tantum promota fuerint.

Per voculam *quocunque*, *Limitaneæ* etiam *Triceſimæ* intelligi videntur, adeoque victualia Nobilium etiam, dum e Regno educebantur, a Triceſima immunia fuerunt.

Cæterum ſeu ab Analogia hujus Articuli, ſeu per poſteriorem aliquam, ſed necdum prolatam Legem, id etiam ſubinde ſtabilitum fuit, ut ab ipſis exteris victualibus, dum Regno inferebantur, nulla Triceſima deſumatur. Patet id e Ludovici I. Literis de 1371. in Proceſſu Tabulari Piliſſienſi prolatis, quibus inhibet Rex Triceſimatores ſuos, *ne ab Oleo*, *Piſcibus*, *Frugi-*

Frugibus nec non aliis Victualibus cujuſcunque generis de Partibus Hungariæ, Auſtriæ, vel Bohemiæ ad Civitatem Poſonienſem deferendis, Triceſimam deſumant.

Iisdem Litteris inhibet Rex Triceſimatores, *ne a Bobus, Vaccis, & Porcis, & ſimilibus Triceſimam exigant;* cum tamen ſub Wladislao 1498. Art. XXIX. §. 5. Animalia e Regno expulſa, Triceſimæ diſerte ſubjiciantur, debuit Inſtitutum hoc non multo poſt commutari, & animalia in Regnum impulſa tanto magis Triceſimæ ſubjici.

Quod *Telonium* adtinet, cum jam ante hanc Legem pleræque Civitates immunitate a Teloniis donatæ fuerint, naturale erat, ut Nobilium etiam Victualia ab iis eximantur.

Quod tamen non obſtante hac, & pluribus fortaſſe, quæ adhuc latent, poſterioribus Legibus: a Nobilium victualibus etiam intra Regnum diſtractis Telonium quandoque, licet *illegitime* exactum fuerit, docent aliæ Sigismundi de 1416. Literæ in eodem Proceſſu productæ, quibus idem Rex inhibet Tributarios Abbatiæ Montis Pannoniæ, *ne a Pullis, Ovis, Caſeo, Butyro, Lacticiniis, & aliis Victualibus Tributum exigant, cum de Victualibus nullo unquam tempore Telonium aliquod exigi conſvetum fuerit.*

ARTICULUS LXXV.

E Bonis, quæ per Defectum Maſculi ad Fiſcum redeunt, Quotta Puellaris, Filiæ vel Sorori defuncti in eodem loco excindatur.

„Item ſiquis Nobilis ſine hærede maſculino „ ab hac luce deceſſerit, cujus poſſeſſiones de „ Jure ad manus Regias ſunt devolvendæ, tunc „ *Jus ratione Filialis* Filiæ, vel Sororis ejus„ dem deceſſi, eisdem Filiabus, & Sororibus

„ cum

„ cum poſſeſſione in uno loco, & in uno am-
„ bitu debent extradare perpetuo poſſidendas."

Cum Bona Hungarica veluti militandi obligationi obnoxia, natura ſua *maſculinum* tantum Sexum reſpexerint, Majores noſtri tantam Sexus *fæminei* conſiderationem habuerunt, ut *quartam* nihilominus eorum partem huic addixerint. Jus hoc, quod deinde jam *quarta Puellaris*, jam *quartalitium* appellatum eſt, ſub Andrea II. 1222. Art. IV. primum ſtabilitum Articulo hoc eo cum additamento renovatur, ut ſi deficiens in maſculo plures poſſeſſiones habuerit, *Quarta* hæc, non in ſingula poſſeſſione *ſeparatim*, ſed in *uno corpore* exſcindi debeat: Exempli cauſa, ſi quatuor ejusdem valoris poſſeſſiones erant, tunc non in ſingula harum una quarta, ſed ex his una integra poſſeſſio, Sexui fæmineo cedebat, & hanc ille perpetuo poſtea Jure poſſidebat. Diſpoſitio tamen Legis hujus debuit poſteriori ſeu uſu, ſeu Lege, quæ necdum erruta eſt, antiquari, cum Verböczius Part. I. Tit. 89. plane contrarium ſtatuat, nimirum quod quarta Bonorum talium pars, *communi* æſtimatione, id eſt a Decima, ut ſupra vidimus, intrinſeci valoris parte æſtimari, & hujus tantum æſtimationis ſumma Sexui fæmineo deponi debuerit, ipſa vero pro maſculo remanſerit, id quod Bonorum ſervitiis Militaribus aquiſitorum naturæ, reipſa etiam magis congruit.

ARTICULUS LXXVI.

Diurnum exmiſſorum e Loco credibili pro aliquo actu judiciario.

„ Cæterum ſi homines Capitulorum, vel Con-
„ ventuum ad reambulandum, recaptivandum,
„ æſtimandum, nec non ſtatuendum aliquam poſ-
„ ſeſſionem, vel alios judiciarios proceſſus exer-
„ cen-

„ cendos juxta Regium Mandatum, aut Judicia-
„ riam Commiſſionem Palatini, vel Judicis Cu-
„ riæ Regiæ, *ſeu alterius cujusdam Judicis or-*
„ *dinarii* (*a*) tranſmiſſi fuerint, tunc Homines
„ vel Teſtimonium ipſius Capituli, vel Conven-
„ tus in propriis equis laborantes, & tranſeun-
„ tes, a die eggreſſionis uſque diem reverſionis,
„ & adventus ipſorum ad propria qualibet die
„ viginti quatuor denarios.

„Si autem ipſi Homines, ſeu Teſtimonia in
„ equis conductorum tranſierint, tunc ab eisdem
„ conductoribus, qualibet die duodecim dena-
„ rios, & non plures valeant extorqueri, ſem-
„ per tamen in expenſis conductoris transeun-
„ do. (*b*).

(*a*) Prima hic *Judicum ordinariorum* mentio occurrit, neque tamen ideo exiſtimare licet, quod Syſtema ordinariorum Regni Judicum, quale poſtea ſtabilitum fuit, jam in 1. Regum Periodo viguerit. Apparet enim ex Articulo LXVIII. 1486. quod tunc adhuc dubitatum fuerit de eo, quinam in numerum ordinariorum Regni Judicum referri debeant? & quod Syſtema hoc tum primum defixum fuerit. Hic itaque per *Judicem ordinarium* omnis, qui delata ſibi per Legem judicandi Jurisdictione gaudebat, intelligi debet.

(*b*) Prima quam hactenus eruimus, Lex iſta eſt, qua Diurna Exmiſſorum Capitularium, & Conventualium regulantur, in Ludovici I. Art. XXI. quoad quantitatem hujus aliqua commutatio facta eſt. Si enim Exmiſſus proprio equo proficiſcatur, *hic* 24. denarii, *ibi* 2. groſſi. Si autem Partis equo vehatur, *hic* 12. denarii, *ibi* unus groſſus eidem addicitur. An quantitas

titas Diurni per poſteriorem hanc Legem aucta? vel diminuta ſit? necdum ſtatuere licet, nemo enim hactenus pragmatice docuit, quantum ævo Andreæ III. denarius? quantum item ævo Ludovici groſſus valuerit? Qui hactenus aliquam quoad rem monetariam Hungariæ lucem effundere conati ſunt, diverſas, quas ſpecies Monetæ Hungaricæ habuerunt, Epochas non diſtinxerunt, donec autem id eruatur, nunquam ſolidam objecti hujus notitiam aſſequemur.

Cæterum diſtinctio hæc: an Exmiſſus proprio, vel Partis equo utatur? ſub *Sigismundo* 1435. per Art. X. §. 19. ſublata, & Diurnum Exmiſſorum, in utroque caſu in duodecim denariis, *majoribus* defixum eſt, id quod ſub *Mathia* 1486. per Art. LXXV. §. 1. & ſub *Wladislao* 1492. per Art. XCV. §. 15. confirmatur.

Per *majores* denarios, eos, quos Sigismundus procudit, intellectos fuiſſe ejusdem Decr. Art. VII. ſatis oſtendit. Quod autem horum 100. florenum effecerint, & ex ejusdem Regis Decr. VI. Art. XII. §. 2. & ex Wladiſ. Decr. I. XCIX. §. 1. eluceſcit. Ex ipſius hujus Articuli §. 2. *minores* denarios, qui ante Sigismundum vigebant, obſoleviſſe apparet; dicitur enim: *ſi denarios minores pro aliquo tempore curſum habere contigerit.*

Quis tamen fuerit *majorum* horum denariorum, & relate ad denarios ſub Andrea III. & relate ad groſſos, ſub Ludovico I. vigentes valor? nemo hactenus elucubravit.

ARTICULUS LXXVII.

Taxa Literarum inde excipiendarum.

„ Pro Emanatione vero Literarum ſuper præ-
„ miſſis proceſſibus emanandarum non plures, niſi
„ centum ſimul cum Notario eorum exigere poſ-
„ ſint.

„ ſint. Exceptis Literis *Recaptivationis* poſſeſ-
„ ſionum, & aliis, de quibus etiam ſicut uſque
„ nunc duodecim denarii ſunt exacti, ſic in fu-
„ turum debeant extorqueri.

Articulo hoc omnes Judiciales Literæ, in ordine ad earum Taxam ad duas tantum Claſſes revocantur, nempe *Recaptivatorias* poſſeſſionum, & alias cujuscunque ſpeciei. Illis duodecim; reliquis omnibus 100. denariorum Taxa præſcribitur; nam voculam: *denarios*, poſt ly. *Centum* errore ſcribentis emanſiſſe contextus ipſe ſatis indicat.

Per Recaptivationem poſſeſſionum non niſi *Adjudicatoriæ* aut *Statutoriæ puræ*, intelligi poſſunt, per has enim ſolas Triumphans poſſeſſionem aliquam potuit recaptivare. Cur autem huic plane Literarum ſpeciei, per quas plurimum Triumphanti accedebat emolumentum, minima Taxa hic conſtituatur? aſſequi non licet. Subſequæ, per quas judicialium Literarum Taxæ regulantur, Leges, utpote 1435. Art. X. §. 9. 1486. Art. LXXV. §. ibidem 9. & 1492. Art. XCIX. §. 8. rem hanc proprius ad æquitatem revocarunt, & Taxam a numero recaptivatarum Seſſionum deſumendam eſſe ordinarunt, ita tamen, ut quo plures Seſſiones recaptivabantur, eo minor Taxa ſingulæ Seſſioni admenſa fuerit.

Cæterum in provocatis poſterioribus Legibus, Judiciales Literæ in plures jam ſpecies diſtingvuntur, & Taxæ etiam eorum longe magis variantur.

Diſtinctæ etiam illic, pro Literis a Capitulo & Conventu expediendis, diſtinctæ item pro iis, quæ per Judices Regni ordinarios extra dabantur, Taxæ defiguntur, & horum Cancellaria nomine *Cancellariæ minoris* appellatur. In præſenti Decreto licet *Judicum ordinariorum* præcedenti Articulo diſerta mentio fiat, nullum inter Literas utriusque ordinis illius diſcrimen ſtabilitur. Nimirum cum præter Recaptivatorias,

Digitized by Google

rias, reliquis omnibus Judicialibus Literis 100. denariorum Taxa præſcribatur, videtur hæc promiſcue, & pro Capitulis ac Conventibus, & pro reliquis ſecularibus Judicibus præſcripta fuiſſe.

ARTICULUS LXXVIII.

Regulantur Taxæ Cancellariæ Regiæ quantum cedat a Privilegialibus.

„ Item Cancellarii Domini Regis de Literis „ in factis poſſeſſiona. Collationum privilegiali„ ter, ſeu patenter emanandis Exactionem pro „ Redemptione ipſarum Literarum infraſcriptam „ debeant obſervare.

„ Quod de Literis poſſeſſionarias Collatio„ nes, & Libertates quaſcunque denotantibus, „ ſimul cum Scriptore ipſarum Literarum duas „ Marcas.

„ De confirmationeque Literarum quarum„ cunque ſemper de una Litera privilegiali con„ firmatorie emananda Cancellarius unam Mar„ cam.

„ Et ſcriptor ſuus Centum denarios.

Hoc Articulo primum, dein ſub Sigismundo 1435. Art. XII. ipſæ Cancellariæ Regiæ, quæ ibi *major* appellatur, Taxæ in Comitiis regulatæ ſunt, ſub Mathia 1486. Status eo ſe jam non extenderunt, ſed *minorem* tantum Cancellariam, id eſt, Judiciales Judicum Regni ordinariorum Literas limitarunt. Sub Wladislao 1492. Art. XCIX. iterum regulationem Taxarum etiam *majoris* Cancellariæ ſuſceperunt.

Ac Articulo quidem præſenti, determinata duarum Marcarum Taxa, pro Donationalibus, & quibusvis

vis aliis Privilegiis præſcribitur, ſub Sigismundo vero & Wladislao jam ſtatuitur, quod Pars Privilegium excipiens, cum Cancellario de Taxa accordare debeat, hic vero pro valore ſubſtrati jam majorem, jam minorem Taxam, petere poſſit. Subinde tamen Cancellaria ipſa, Privilegialium Taxam defixit, & eam de tempore in tempus variavit.

ARTICULUS LXXIX.

Quantum ab Aggrationalibus.

„De Literis autem, mediantibus quibus per „Regiam Majeſtatem quibuscunque gratiæ in fa„ctis Potentiæ, Calumniæ, Furticinii, Latroci„nii, & Exhibitionis falſarum Literarum, vel „aliis vindictam Capitis tangentibus factæ fue„rint, unam Marcam cum Scriptore poſſint ex„torquere.

Hoc Articulo Literis illis, per quas Rex Gratiam vitæ alicujus largitus eſt, Taxa defigitur. In poſterioribus Legibus nullum amplius regulationis ejusmodi Literarum Taxæ veſtigium occurrit. Quare id non multo poſt Legem hanc tempore ad arbitrium Principis debuit revocari.

Cæterum ex hoc etiam Articulo patet, quod actus, quem nunc vocamus, majoris Potentiæ, Calumnia, Furtum, Latrocinium, & Falſificatio Literarum, capitalem pœnam poſt ſe traxerint.

ARTICULUS LXXX.

Quantum ab aliis minutis.

„De aliis vero Literis minutis: videlicet „Evocatoriis, Inquiſitoriis, Recaptivatoriis, Præ-

„cepto-

„ ceptoriis, & aliis ſimilibus de patentibus vi-
„ ginti quatuor denarios, de clauſis quindecim
„ denarios debent extorqueri. (1).

(1) Moſſoczius, aut quis alter autor Biographiarum Regum Hungariæ in prima Editione Decretorum poſt brevem vitæ Belæ IV. Stephani V. Ladislai IV. Andreæ III. Wenceslai, & Ottonis deſcriptionem ſubjungit: *Hi Reges nulla ediderunt Decreta*, ignoravit nempe Decretum Belæ IV. in Veſtigiis Comitiorum p. 134. editum, & iſtud Andreæ III. exſtitiſſe, ignoravit, quod nobis jam evidenter conſtat, occaſione Coronationis Andreæ III. Conſtitutiones aliquas editas fuiſſe, quemadmodum ignoravit complura poſteriorum Regum Decreta, a nobis jam detecta, ſua etiam ætate exſtitiſſe.

Articulus hic ad omnes promiſcue judiciales Literas e Regis Cancellaria expediendas refertur. In provocatis tamen Sigiſmundi, & Wladislai Articulis vigens eatenus in Cancellaria Regia conſvetudo ſtabilitur, quin tamen ſpecifice exprimatur, quis? reſpectu ſingulæ Literarum ejusmodi ſpeciei uſus viguerit?

Et hic deſinunt Articuli Andreæ III. poſt quos primum contenta ſuperius in Articulo XLIV. concluſio ſubjici debuiſſet, ſi hi in iisdem Comitiis perlati ſunt, ſed de hoc jam egimus in Nota ad eundem Articulum. Dolendum, quod Articuli hi adeo perturbato ordine editi ſint. Ut appareat, quantam lucem Leges hæ ſibi mutuo affudiſſent, ſi naturali ſuo ordine fuiſſent collocatæ, ſubjiciemus, poſt concluſum Wladislai Diploma Syloge Rubricarum Decreti hujus ad concernentes Materias naturali ſuo ordine revocatarum.

Legum

Digitized by Google

Legum in Decreto Andreæ III. contentarum Rubricæ in ſyſtematicum ordinem redactæ cum provocatione ad numerum curſualem, quo Articuli Diplomatis conſequenter inſigniti ſunt.

Publico - Politicæ.

1. *De Rege, & ejus Aula.*

Art. 1. Andreæ Deſcendentia e ſtirpe Regali agnoſcitur.
— 41. Rex obſervet Decretum ſuum Inaugurale ſub pœna Excommunicationis.
— 23. Adjungitur eidem Conſilium, & emanandæ ſine hujus influxu ordinationes irritæ declarantur.
— 76. Defiguntur Taxæ a Literis Regiis, & quidem a Privilegialibus.
— 77. Ab Aggrationalibus.
— 78. Ab aliis minutis.
— 24. Ordinatur Curia, ſeu Aula Reginæ.
— 21. Rex alienatas Regni Partes recuperare debeat ſub pœna Excommunicationis.
— 2. Occupata Jura Regalia, & Reginalia reſtituantur.
— 20. Viciſſim Rex occupata privatorum Bona reſtituat.
— 32. Plures Comitatus eidem perſonæ conferre non poſſit.
— 35. In fine Palatinus nullam præterea dignitatem gerere poteſt.

2. *De Moneta.*

— 36. Moneta pro Biennio tantum quintæ; poſtea decimæ Exuſtionis cudatur.
— 37. Qui monetam Regiam in aliquo ſuo foro permutari non permiſerit, tali poſſeſſione privetur.

Art. 38. Qui vero eam non acceptaverit, tot dimidiorum Fertonum mulcta plectatur, quot Seſſiones habet.

— 39. Privatus, qui monetam cuderit, poſſeſſione, in qua id egit, privetur.

3. *De lucro Cameræ.*

— 58. Qui illud non perſolverit ad vires reſtantiæ, in ejus Bonis Executio fiat.

4. *De Juribus Status Eccleſiaſtici.*

— 28. Epiſcopi liberam habeant teſtandi facultatem.

— 27. Proventus vacantium Epiſcopatuum tantum in utilitatem concernentis Eccleſiæ convertantur.

— 26. Tenuta reliquorum Beneficiorum dum vacant, nec per Regem, nec per Parochianos occupentur.

— 29. Pœna in eos, qui has Leges violaverint.

5. *De Juribus Nobilium.*

— 34. Judices non poſſint Nobilem ſine citatione, & Judicio incaptivare.

— 33. Pœna in potentiores, qui Nobilem invitum ad ſua ſervitia adegerint.

— 30. & 42. Pœna in eos, qui a populis Eccleſiarum, & Nobilium *collectas* exegerint.

— 31. Pœna in eos, qui in horum Bonis violenter *condeſcenderint.*

6. *De Jure Colonorum.*

— 68. Coloni plena migrandi libertate gaudeant.

7. *De Teloniis.*

— 25. Noviter inducta aboleantur.

— 69. Nihil vehens, aut portans, nullum Telonium perſolvat.

— 70. Uti & Exter, dum ſe Regno illocat.

Art. 71.

Digitized by Google

Art. 71. Nec Ruſticus, dum ad alium Dominum migrat.
— 72. Etiam a Victualibus Nobilium nil deſumatur.

8. *De impediendis, quæ potentiores exercebant, Spoliis, & Rapinis.*

— 3. Occupata Eccleſiarum, & Nobilium Bona reſtituantur.
— 4. Rei pro præterito gratiam Regis implorent, & impoſterum abſtineant.
— 5. Pœna in Contravenientes.
— 18. Et hanc Rex iis absque ſtrepitu Juris irrogare poteſt.
— 6. Modus Refractarios, ſi potentiores ſint, compeſcendi.
— 7. Pœna in Regem, ſi id negligat.
— 8. Pœna in complices.
— 11. Terminus, intra quem læſis ſatisfactio impendi debet.
— 12. Extorta Injuriarum condonatio pro nulla habetur.
— 10. Munitiones, ſeu Arces, e quibus hæ oppreſſiones fiunt, aut ſecus inutiles ſunt, diruantur.
— 15. Pœna §. 5. etiam ad futuras ejusmodi occupationes extenditur.
— 9. Quomodo Excommunicatio in reos ejusmodi ferenda?
— 16. Pœna in Religioſos, qui ejusmodi Excommunicatos ad Sacra admiſerint.
— 17. Pœna eorum, qui ejusmodi Religioſis Elemoſinam dederint.
— 19. Pœna in eos, qui vel interceſſerint, pro ejusmodi Excommunicatis.
— 13. Modus inveſtigandi ejusmodi ſpolia.
— 14. Pœna in eos, qui aut inveſtigare noluerint, aut falſam fecerint relationem.

Digitized by Google

9. *Leges Civiles.*

Art. 73. E Bonis, quæ per defectum Maſculi ad Fiſcum redeunt, quotta Puellaris, filiæ, vel ſorori deficientis, in eodem loco exſcindi debet.

— 66. Bona a 10. pro 100. vendi poſſunt; Conſanguinei tamen, & Vicini præmoneri debent.

— 67. Vendens Evictione tenetur.

— 22. Fratres indiviſi, ſi nemo eorum ad Exercitum veniat, omnes ſimul uni tantum Exercituali Birſagio ſubjaceant.

— 55. Qui alienos fructus in campis occupat, decuplum perſolvat.

— 57. Eandem pœnam incurrant, qui Curiam exſpoliant.

— 56. In utroque caſu res, & fructus læſo reſtituantur, e pœna vero decupli læſus 4 ſextas, Judex tantum duas obtineat.

— 59. Pro exceſſu officialis, Domino fiat Executio, ſalvo huic ad illum regreſſu.

10. *Leges Criminales.*

— 51. Voluntarius Homicida pœnam capitis incurrit, aut ſi profugiat, amiſſionis Bonorum.

— 52. In ipſo caſuali Homicidio gratia Regis opus eſt.

— 53. Et nec hæc reo ſuffragatur, niſi cum conſanguineis interempti tranſigat.

— 54. Si quis conſanguineum ſuum interimat, ejus portio hæredibus interempti perpetuo cedit.

Leges Judiciales.

11. *De Judicio Palatinali.*

— 35. Palatinus Judicia in campo, & in villis teneat, & eadem in Hyeme non celebret.

12. *De*

12. *De forma Proceſſuali.*

Art. 44. Modus peragendæ Inquiſitionis.
— 45. Modus faciendæ ſuperinde relationis.
— 46. Forma Citationis, & Proclamationis.
— 61. Terminus cauſæ extra Judicium e ſolo Partium conſenſu differri non poteſt.
— 62. Reo pro Inſtrumentorum productione, tres termini, unus ſine: alii cum onere 3 Marcarum concedi debent.
— 63. Interea Partes poſſunt accordare; ſecus etiam Actori pro Inſtrumentorum productione 3 termini, ſed omnes cum onere admitti debent.
— 60. Actor cauſam *ex Jure*, id eſt ad aquiſitionem jurium poſſeſſionariorum *per tres Proceſſus* traducere debet.
— 47. Proceſſus Criminales per Judices ordinarios reviſi ad Archivum concernentis Comitatus remitti debent.

13. *De Executione.*

— 49. Judices non ſpolient poſſeſſiones convicti, ſed earum Partes ad vires Convictivæ exequantur.
— 50. Idem obſervetur in Executione pro Birſagiis.
— 64. Onera in ultimo cauſæ termino deponantur, ſecus ad eorum vires Executio in Bonis fiat.
— 66. Quanti executa Bona redimi poſſint?

14. *De Taxis Judicialibus.*

— 48. Taxa præſtiti Juramenti.
— 74. Diurnum Exmiſſorum e loco credibili pro Judiciario aliquo Actu peragendo.
— 75. Taxa Literarum inde excipiendarum.

Præterea

— 41. Præfiguntur alia Comitia.
— 43. Concluſio Diplomatis.

Secuntur nunc Libertates, & Ordinationes Regno Hungariæ datæ, & conceſſæ ultra Libertates, quas condam Dominus Rex Andreas filius tertii Belæ Regis dedit, & conceſſit prædicto Regno, quas etiam ipſe Dominus Ludovicus Rex confirmavit. (1).

(1) Hæc Rubrica in ipſo Originali habetur.

„Tenor autem dictæ Confirmationis ipſius „Ludovici Regis ſequitur per omnia in hæc „verba:"

„Nos igitur petitione dictorum Baronum, „Procerum, & Nobilium aures exaudibiles Re„gio cum favore inclinantes, conſideratis, & „in memoriam revocatis fidelibus obſequiis, & „ſinceriſſimis complacentiis eorundem, quibus „in cunctis noſtris, & Regni noſtri negotiis, „proſperis pariter, & adverſis, ſpecialiter vero „in ſumpmenda vindicta innoxii ſanguinis, olim „Domini Andreæ Jheruſalem, & Siciliæ Regis „fratris noſtri cariſſimi Beatæ Recordationis, „cujus diræ necis acerbitas fere totius Orbis „fines, ſeu plagas propulſavit, ad dictum Re„gnum Siciliæ Nobiscum tunc proficiſcentes in„opinatis fortunæ caſibus, ex variis perſona„rum periculis, ſumma fidelitate fulciti intre„pide ſe intromittendo, noſtræ majeſtati ſtudue„runt complacere, & ſe reddere utique gra„tioſos, & acceptos, volentes ipſorum gra„tioſe occurrere, & eorum beneplacitum ad-

„implere,

„ implere, & ipſos ad ſimilia fidelitatis opera „ exertare, devota mente prædictas Literas ipſius „ Domini Andreæ Regis Avi, & Prædeceſſoris „ noſtri cariſſimi Aurea ſua Bulla roboratas, „ omni penitus ſuſpicione carentes, de verbo ad „ verbum inſertas acceptan. pacifican. & appro- „ ban. ſimul cum omnibus Libertatibus in eis- „ dem expreſſis, excepto ſolumodo uno Articu- „ lo modo prænotato de eodem Privilegio „ excluſo. Videlicet, quod; Nobiles homi- „ nes ſine hærede decedentes poſſint, & que- „ ant Eccleſiæ, vel aliis, quibus volunt in vita, „ & in morte dare, & legare poſſeſſiones eo- „ rum vendere, vel alienare: imo ad iſta fa- „ cienda nullam penitus habeant facultatem, ſed „ in Fratres proximos, & generationales ipſo- „ rum poſſeſſiones eorundem de Jure, & le- „ gitime pure, & ſimpliciter absque contradi- „ ctione aliquali devolvantur, ut Tenor conti- „ net Privilegii Bullati Domini Andreæ Regis „ ſupradicti, confirmantes easdem Libertates de „ bene placita voluntate Sereniſſimæ Principis „ Dominæ Eliſabeth eadem DEI gratia Reginæ „ Hungariæ Genitricis noſtræ cariſſimæ, ac de „ Conſilio eorundem Baronum noſtrorum, & „ Regiæ Benignitatis ex Clementia innovando „ ipſos in eisdem perennaliter commiſimus frui- „ turos, & gaviſuros:

„ Inſuper pro tranquilliori Statu, & paci- „ fico commodo eorundem Regnicolarum no-

„ ſtrorum de voluntate, ejusdem Genitricis no-
„ ſtræ, & Conſilio eorundem Baronum no-
„ ſtrorum ipſis ex ſolita Libertate hujusmodi
„ Libertates infraſcriptas ſuperaddendo duximus
„ concedendas.“

Art. I. „ Quod ſi Prælati, aliqui Eccleſia-
„ ſtici Viri contra Nobiles Regni noſtri in alie-
„ na in præſentia alicujus Judicis Regni noſtri
„ proceſſerint, & Litem habuerint, tunc pro
„ cauſa, pro qua agitur, Lite pendente, inter-
„ dictum in eos ponere, vel contra ipſos Sen-
„ tentiam Excommunicationis non poſſint pro-
„ mulgare, ſicut hactenus uſi ſunt, & conſveti,
„ absque ſcitu, & notitia Regiæ Majeſtatis. Et
„ ſi iidem Viri Eccleſiaſtici, ſeu Prælati tramite
„ Juris obſervato, in alicujus Regni Judicis
„ præſentia fuerint de Jure convicti, tunc in
„ ejusdem gravaminis pœna, quo eorum adver-
„ ſarios intendebant onerare, ſeu aggravare, in-
„ cidant eo facto“.

Art. II. „ Nec pro funere hominum per
„ aliquem, vel aliquos interemptorum Archi-
„ Diaconi mala conſvetudine, ſicut uſi ſunt, unam
„ Marcam exigere valeant, atque poſſint.“

Art. III. „ Minuti etiam Conventus ab
„ emanatione Literarum ſuarum ſuper perpetua-
„ tione poſſeſſionum conficiendarum ceſſent, &
„ eorum Sigilla omni careant firmitate.“

Art. IV. „ Lucrum vero Cameræ prout
„ a tempore Inclyti Principis Domini Karoli,
„ olim

„ olim Regis Hungariæ Genitoris noſtri cariſſi-
„ mi piæ memoriæ de quolibet integro Fundo
„ Curiæ tres groſſos ſolvebant, ſic & nunc cum
„ tribus groſſis in noſtra Camera cudendis: quo-
„ rum groſſorum unus ſex denarios Cameræ
„ noſtræ in valore, & quantitate ſex Latorum
„ Viennenſium valeat, & ipſorum groſſorum,
„ quatuordecim unum Fertonem faciant, per
„ ſolvantur, ſuper florenos autem denarios vi-
„ delicet Dicarum redemptionem, & victualia
„ recipere non valeant. "

„ *Art. V.* „ Villicos, & Servientes in
„ propriis eorum poſſeſſionibus commorantes,
„ ac ſervos ipſius lucri Cameræ Dicatores di-
„ care, & ſuper ipſos lucrum Cameræ exigere
„ non poſſint, & generaliter dicendo nihil plus,
„ quam tres groſſos repetere valeant, & ex-
„ torquere. "

Art. VI. „ Præterea ab omnibus Jobagio-
„ nibus noſtris aratoribus, & vineas habentes,
„ in quibuslibet liberis villis, quocunque nomi-
„ ne vocitatis, ac Reginalibus conſtitutis, ex-
„ ceptis Civitatibus muratis, nonam partem
„ omnium frugum ſuarum, & vinorum ſuorum
„ exigi faciemus, & Domina Regia exigi fa-
„ ciet, ac prædicti Barones, & Nobiles ſimili-
„ ter, ab omnibus Aratoribus, Jobbagionibus,
„ & vineas haben. in quibuslibet poſſeſſionibus
„ ipſorum exiſten. Nonam partem omnium fru-
„ gum ſuarum, & vinorum ſuorum eorum uſibus

„ exigant,

„ exigant: Prælatique, & Viri Eccleſiaſtici Job-
„ bagiones habentes, primo Decimas, & poſt
„ hæc nonam partem omnium frugum ſuarum,
„ & vinorum ſuorum exigant: Et ſi in Exha-
„ ctione prædicta ſecus fecerint, Nos in talium
„ Rebellium, & præſentem noſtram ſtatutionem
„ alternantium poſſeſſionibus pro uſu noſtro
„ ipſam nonam partem ipſarum frugum, & vini
„ exigi faciemus ſine diminutione, & relaxatione
„ aliquali: Et per hoc honor noſter augeatur,
„ & ipſi Regnicolæ noſtri Nobis fidelius poſſint
„ famulari.“

Art. VII. „ De poſſeſſionibus etiam a No-
„ bis, & noſtris ſucceſſoribus inveniendis, juxta
„ eorum quantitatem: videlicet de poſſeſſione
„ proventus decem Marcarum facien. Vice Can-
„ cellarius noſter unam Marcam, & Scriptor unum
„ Fertonem, & de majoribus poſſeſſionibus pro-
„ ventus viginti Marcarum facientibus duas Mar-
„ cas, & Scriptor poſſit Fertonem recipere, &
„ habere, & ſic conſequenter juxta excreſcentiam
„ poſſeſſionum de novo inveniendarum.“

Art. VIII. „ Tributa etiam injuſta ſuper
„ terris ſiccis, & fluviis ad infra deſcenden. &
„ ſupra euntibus non exigantur, niſi in ponti-
„ bus, & Navigiis ab ultra tranſeuntibus per-
„ ſolvantur. Cum in eisdem Nobiles, & Igno-
„ biles Regni noſtri multum, & nimium perce-
„ pimus aggravari.“

Art.

Art. IX. „ Cæterum ſiquis ordine Judicia-
„ rio in facto potentiali ſubcubitus duelli in pe-
„ dat Calumniæ aſtationis falſi termini, & exhi-
„ bitionis Falſarum Literarum, ac Sententiæ Ca-
„ pitalis pro quocunque facto in præſentia Pa-
„ latini, & Judicis Curiæ noſtræ, aut alterius
„ cujuscunque Judicis præſentia convictus fuerit,
„ Judex illius cauſæ talem convictum recaptivet,
„ & tribus diebus cauſæ reformationis Partis
„ inter Partes fiendæ, & ordinandæ detineat,
„ etſi concordare nequirent, in manus ſui adver-
„ ſarii ad infligendam ipſi poenam juxta Regni
„ conſvetudinem, & Jure debitum aſſignet, etſi
„ tali convicto Pars adverſa mortem, vel aliam
„ pœnam conſvetudine Regni de Jure debendam
„ infligerit, vel fecerit, tunc Judici, & Parti
„ adverſæ Jure Receptionis perempti alicujus
„ pecuniæ, vel gravaminis poſſeſſionis ſuæ erit
„ expeditus."

Art. X. „ Filiique, Fratres, Proximi, Soro-
„ res, & Uxores pro exceſſu talis perempti ho-
„ minis, non debeant aggravari, ſed in domi-
„ bus, poſſeſſionibus, & Bonis ipſorum quieti,
„ & pacifici maneant. Si autem cum Parte ad-
„ verſa homo præmiſſo modo convictus poſſit
„ concordare, Judex non ultra niſi quinquagin-
„ ta Marcas dando ei terminum debitum ad
„ easdem perſolvendas recipere poſſit. Etſi dato
„ ſibi termino ſolvere non curaret, de poſſeſſio-
„ ne ſua expirato termino, ipſe recepto homine

„Regio

„ Regio, teſtimonioque alicujus Capituli credi-
„ bilis, vel Conventus ad portionem, vel por-
„ tiones ipſas quinquaginta Marcas valentem,
„ vel valentes poſſit occupare, tamdiu poſſiden-
„ dam, vel poſſidendas, donec per hos, quo-
„ rum redemptioni eadem, vel eædem magis
„ convenire dinoſcuntur, pro ipſis quinquaginta
„ Marcis redimantur.“

Art. XI. „ Ad eorundem etiam Nobilium
„ petitionem annuimus: Ut univerſi veri Nobi-
„ les infra terminos Regni noſtri conſtituti, tam
„ in Tenutis Ducalibus ſub incluſione termino-
„ rum ipſius Regni noſtri exiſten. ſub una, &
„ eadem Libertate gratulentur.“

Art. XII. „ Lucrum etiam Cameræ no-
„ ſtræ Nobiles inter fluvios Drava, & Zava,
„ ac de Poſſoga, nec non de Valco cum aliis
„ veris Nobilibus Regni noſtri unanimiter ſolvere te-
„ neantur, nec ratione collectæ Mardurinarum
„ Banſolosmagia vocatorum, a modo impoſte-
„ rum non moleſtentur, ſed ab omni exactione
„ qualibet aliarum collectarum hactenus perſolvi
„ conſvetarum exempti penitus, tanquam cæteri
„ Regni noſtri Nobiles, aliarum Partium immu-
„ nes habeantur.“

Art. XIII. „ Si vero aliquæ Auri, & Ar-
„ genti, Cupri, Ferri, vel aliæ Fodinæ de poſ-
„ ſeſſionibus Nobilium invenirentur, absque com-
„ petenti Cumcambio non auferantur, ſed pro
„ talibus poſſeſſionibus mineras auri in ſe ger-

„ minandis

Digitized by Google

„ minandis, ſi Regiæ placuerit voluntati, æqua-
„ les poſſeſſiones conferat. Nobilibus prænota-
„ tis, alioquin ſi ipſas poſſeſſiones Regia Ma-
„ jeſtas pro cambio habere nollet, ex tunc Jus
„ Regale ſeu Urburas Juri Regio pertinen. per-
„ cipi ſuo nomine faciet, easdem poſſeſſiones
„ ipſis Nobilibus cum cæteris quibuslibet
„ ſuis utilitatibus, proventibus, & Juribus relin-
„ quendo, prout idem Dominus Karulus Geni-
„ tor noſter cariſſimus ipſis Regnicolis annuerat,
„ Literarum ſuarum per vigorem."

Art. XIV. „ Si autem alicui poſſeſſionem,
„ vel poſſeſſiones contulerimus, ille poſſeſſionem,
„ vel poſſeſſiones eidem collatas pro ſe recapti-
„ vet, & nomine noſtro, ſed nomine ipſorum
„ proprio cum contradictoribus in ſtatutione
„ dictæ poſſeſſionis apparentibus trahat litem,
„ ita ut nomen noſtrum ipſi litigionariæ quæ-
„ ſtioni non immiſceatur, nec procurat literas
„ ad exhibitionem talium cauſarum a Nobis reci-
„ pere poſſit, ſeu impetrare."

Art. XV. „ Nobiles etiam ad loca Tribu-
„ torum ire non compellantur, ſed per portus,
„ quos voluerint, liberos tranſitu absque aliquali
„ impedimento patiantur."

Art. XVI. „ Nec etiam Jobagiones aliquo-
„ rum Regnicolarum noſtrorum ad Regiam, vel
„ Reginalem Celſitudinem pertinen. vel ad Ec-
„ cleſiarum Prælatos, aut potentes Regni noſtri
„ attinentes absque voluntaria permiſſione Do-

„ minorum

Digitized by Google

„ minorum eorumdem Jobbagionum potenter
„ abducantur.“

Art. XVII. „ Denique iſtam conſvetudi-
„ nem, quod dum Nobiles Regni noſtri ad
„ conducen. uxores, vel alii homines eorum
„ accedunt, & more ſolito cum eorum uxori-
„ bus ad propria redeuntes, in Partibus, tribu-
„ tis unam Marcam exigere duximus caſſand.
„ & annichiland.“

Art. XVIII. „ Nichilominus etiam in Ci-
„ vitatibus,& liberis Villis Regalibus, & Reginalibus,
„ Prælatorum, & Baronum, ac aliorum Nobilium
„ tenutis, poſſeſſionibus, Jobagiones Regnicola-
„ rum noſtrorum propriis pro priſtinis factis
„ non poſſint impediri, prohiberi, aut areſtari
„ in rebus, & perſonis, ſed ſi iidem vulnera,
„ læſiones, mortem, incendia, & alia conſimilia
„ enormia perpetrarent, manifeſte ex tunc, ex
„ parte eorundem Judicium, & Juſtitia im-
„ pendatur, & quilibet in querulantes in pro-
„ priorum Dominorum præſentia Judicium, &
„ Juſtitiam proſequantur congruentem.“

Art. XIX. „ Porro pro exceſſibus Patris
„ filius nec in perſona, nec in poſſeſſionibus,
„ & nec in rebus condempnetur.“

Art. XX. „ Ipſi quoque Capitula, Abba-
„ tes, Conventus, Præpoſiti, & ceteræ poſſeſ-
„ ſionatæ Eccleſiaſtici perſonæ, cum tribus Lite-
„ ris Inquiſitoriis, niſi Regia Majeſtas deſtinatis
„ propriis pro his viris experiatur, & informe-
„ tur

„ tur inter Nobiles, & Eccleſias ſuper poſſeſ-
„ ſionibus, acquirendis poſſeſſionem, nec requi-
„ rere, nec retinere poſſint, nec cum Literis
„ Privilegialibus Regis, vel Reginalibus, aut Ju-
„ dicum Vices gerentibus Regiæ Majeſtatis. "

Art. XXI. „ Homines, aut Capitulorum,
„ ſeu Conventuum, qui ex Mandato Regio pro
„ teſtimonio ducuntur, non poſſunt eſſe alii,
„ niſi qui dignitates habent Eccleſia in eadem,
„ & ſi ipſius Capituli, vel Conventus teſtimo-
„ nium in equo ſuo proprio ductum fuerit, tunc
„ pro die duos groſſos, ſi vero in equo ipſius
„ Nobilis ducetur, tunc per diem unum groſ-
„ ſum ipſe idem Nobilis dare teneatur. "

Art. XXII. „ Homo autem Regius, qui
„ ducitur ad citandum, vel ad Inquiſitionem
„ faciendam, non poſſit eſſe aliunde, niſi de eo-
„ dem Comitatu, vel Diſtrictu, in quo ille,
„ qui citatur, vel contra quem fit Inquiſitio, &
„ Capitulorum teſtimonium, de propinguioribus
„ Capitulis adducatur ad citandum, aut ad in-
„ quirendum. "

Art. XXIII. „ Et Inquiſitiones non poſ-
„ ſint fieri per alium, niſi mediantibus Literis
„ Regalibus, vel Palatini, aut Judicis Curiæ
„ Regiæ, & congregentur Nobiles illius Comi-
„ tatus, vel Diſtrictus in unum, & ab eis in-
„ quiratur manifeſte. "

Art.

Digitized by Google

Art. XXIV. „ Cauſantes etiam in qua-
„ cunque maxima ardua cauſa concordare vo-
„ luerint, Judex prohibere non poſſit.“

Art. XXV. „ Univerſæ etiam cauſæ in
„ facto poſſeſſionum motæ, & movendæ in
„ tertio termino absque dilatione, & proroga-
„ tione terminentur.“

Confirmatio præmiſſorum Decretorum per Wladislaum I. facta.

CONCLUSIO WLADISLAI.

„ *Nos igitur* humillimis, & devotis præ-
„ attactæ Univerſitatis Regnicolarum noſtrorum
„ ſupplicationibus, inſtantiis propulſati, quia ex
„ eorundem aſſertionibus manifeſtis, Conſtitutio-
„ nes, Libertates, & Ordinationes ſuperius ſpe-
„ cificatas veterum provida diſpoſitione conditas
„ ad utilitatem, & bonum ſtatum ipſorum
„ comparari poſſe veroſimiliter cognovimus, li-
„ benter eorum voto admiſimus conceſſimus,
„ præattactasque, ſeu ſupra notatas Conſtitutio-
„ nes, Libertates, & Ordinationes eo ſenſu
„ prout ad utilitatem Reipublicæ plane profi-
„ ciunt, quoad omnes ipſarum continen. clau-
„ ſulas, & Articulos præcipue Conſtitutionem
„ ſupradicti Domini Ludovici Regis, quantum
„ ad Articulos per eum moderatos, & muta-
„ tos, (*a*) acceptamus, approbamus, ratificamus,
„ easdemque nihilominus ex certa noſtra ſerie huic

„ Regno

Digitized by Google

„ Regno noſtro innovan. perpetuo valitur. confir-
„ mamus & decernen. & commiten. per hæc
„ ſcripta: Ut hujusmodi Conſtitutiones, Liberta-
„ tes, & Ordinationes tam per modernos, & fu-
„ turos Prælatos, quorum intereſt, & intererunt,
„ quam etiam univerſos Barones, Judices, Mili-
„ tes, & Proceres a modo impoſterum ſucceſſivis
„ ſemper temporibus univerſos immutabiliter ob-
„ ſerventur, & Executioni debitæ demandentur:
„ quas & Nos per omnia obſervari, & immutabi-
„ liter obſervari debere (*b*) ſtatuimus variatione
„ ſine omni.

„ Quodque ultra hæc præmiſſa ad dictorum
„ Regnicolarum noſtrorum Inſtan. eis nunc ex
„ novo annuimus, & declaramus.

(*a*) Uſque Decretum Ludovici I. nullum exſtat Monumentum, e quo appareat, quod occaſione confirmationis Diætalium per Status & Ordines conditorum Articulorum, aliqui per Regem a Confirmatione excepti fuerint. Primus jure hoc uſus fuiſſe videtur, dum ſtabilitam ſub Andrea II. Legem, Articulum nempe IV. de libera ſuper Bonis ſuis, etiam in caſu *Defectus* diſponendi facultate non acceptavit. Et hunc etiam Wladislaus a Confirmatione ſua excluſit. Verum Andreanus ille Articulus primitivæ in S. Stephani Lib. II. Cap. 36. de Fiſci, in Caſu *Defectus*, ſucceſſione ſtabilitæ Legi contrarius, alioquin nunquam in effectum ivit; vidimus enim in Nota ad Art. 67. quod Comes Martinus facultatem de rebus ſuis teſtandi, jam 1136. a Rege per Privilegium impetrare debuerit. Emericus 1201. hoſpitibus de Pottok eam conceſſit Libertatem, ut *ſi quis ex iisdem Hærede careret, liberam diſponendi habeat facultatem, & ad filias Ne-*

Neptes, *Nepotes*, *ſeu alios quoſcunque duxerit adoptare*, *Bonorum ſuorum univerſitas devolvatur*, prouti id productum in Tabulari Proceſſu Abbatiæ de Abbraham Inſtrumentum oſtendit.

Andreas II. jam 1209. C. Bartholomæo de Veglia confert Terram in Banatu, *tali Libertate*, *ut ſi filio caruerit*, *cuicunque ex Conſangvineis voluerit*, *per ſe poſſit relinquere poſſidendam*, uti apud Katona Tom. IV. pag. 101.

Idem 1215. cuidam Ikonomo facultatem conceſſit, *ut fratrem ſuum Hæredem inſtituere poſſit*, *in Prædio Berem*, uti aliud in fundamentali Proceſſu Percmartonenſi productum Inſtrumentum teſtatur.

Sed hæc Andreanum Articulum præceſſerunt. Supereſt, ut oſtendamus, quod Articuli illius Diſpoſitio inde ab Andrea uſque Ludovicum I. extra uſum fuerit collocata.

Bela IV. de 1263. concedit Nobilibus facultatem, *ut Eccleſiæ Strigonienſi Poſſeſſiones ſuas viventes*, *& morientes ſine Requiſitione Regiæ Majeſtatis ulteriori donare & legare poſſint.* Cujus fidem facit productum a Pray in Hier. Part. I. pag. 131. Eccleſiæ hujus Privilegium.

Ladislaus IV. de 1280. Comiti Mariano *non habenti Hæredes*, *ſicut dixit de Poſſeſſionibus ſuis*, *cuicunque voluerit*, *liberam dat & confert facultatem*, uti id in prolato a Koller Tom. VI. pag. 207. Inſtrumento continetur.

Idem Ladislaus IV. de 1285. confert Villas Regales Sovar &c. Comiti Georgio ea Lege, *ut ſi eum ſine Hæredibus vita decedere contingeret*, *poſſit eas Fratribus ſuis Boxa*, *Thomæ & Simoni donare*, uti id deſcriptum ex Autographo Familiæ Soos Inſtrumentum perhibet.

Denique ipſe Carolus I. de 1327. confert certas Poſſeſſiones Tiburtio, & dat illi facultatem, *has &*

alias

Digitized by Google

alias emptitias & hæreditarias, habitas & habendas in morte vel in vita, vendendi, legandi, donandi, Filio, Filiis, Filiorum, Fratrumque filiis, aut filiabus, aut Eccleſiis ſecundum voluntatem ſuam. Si autem Tiburtius ab Inteſtato moreretur, tunc non aliis, quam filiis vel filiabus Fratrum & Sororum devolvantur: prouti id e producto in Tabulari Abbatiæ de Monte Pannoniæ Inſtrumento deſcripſimus.

Si ſingulo facultas etiam in caſu Defectus diſponendi, de Lege competiiſſet, non fuiſſent certe ita ſoliciti Bonorum Poſſeſſores, ut Jus hoc per Regum Privilegia conſequantur.

(*b*) Clauſula hæc, ut ſe Rex ipſe ad obſervationem conditi Decreti obliget, in ſingula ferme poſterioris Decreti concluſione adhibetur.

(*c*) E verbis: *ad dictorum Regnicolarum noſtrorum Inſtantiam* jam non obſcure elicitur, quod ſubſequi etiam Sex Articuli per Status Wladislao propoſiti, & per hunc confirmati fuerint.

Major eſt circa intellectum Confirmationis Ludovici I. §. 13. difficultas, ibi enim Rex ita loquitur: *de voluntate ejusdem Genitricis noſtræ, & Conſilio eorundem Baronum noſtrorum, ipſis ex ſolita Libertate hujusmodi Libertates inſcriptas ſuper addendum duximus*, & concedendum, & tunc XXV. novos Articulos ſubjicit. E quo aliqui inferunt, quod ævo illo Rex pro arbitrio Leges dictare potuerit. Verum aut me omnia fallunt, aut barbara illa clauſula: *ipſis ex ſolita Libertate hujusmodi Libertates - - - - - - duximus concedendum*, id importat, quod ſequentes Articuli per Regem propoſiti, & per Status *pro ſolita iis libertate* acceptati ſint. Si enim Ludovicus, Leges illas e proprio tantum arbitrio pertuliſſet, in concluſione eorum clauſulam illam certe non addidiſſet, *& ut præſentis noſtræ - - - ſeries nullo unquam tempore per Nos, vel noſtros Succeſſores in irritum revo-*

cari poſſit. Rex enim, qui Leges arbitrarie condit, nunquam ſe ad earum obſervationem obſtringit, quia eodem arbitrio illas dum collibuit, revocare poteſt.

Quod autem in II. Periodo non tantum Status, ſed & Princeps *jure proponendi* gaviſi fuerint, docet provocatum, ſed nunc primum e Scriniis protractum, licet necdum Typo vulgatum Sigismundi ſic dictum *Regeſtrum* de modo Inſtructionis. Id enim nil niſi factas Statibus a Rege hoc circa modum Inſurrectionis Propoſitiones continet.

ARTICULUS I.

Articuli ſub Wladislao de novo ſanciti.

Nobiles a Decimis eximuntur.

„Ut nullus Virorum Nobilium Regni hujus „ poſſeſſiones haben. vel non haben. Decimas „ dare teneatur: prout etiam itidem in Decreto „ ſupranotati Alberti Regis perhibetur contineri.

„ Sed quilibet talium Nobilium, dum eis per „ Majeſtatem Regiam præcipitur contra æmulos „ hujus Regni dimicando, hujusmodi Decimarum „ debitum Sanguinis ſui effuſione, & Juri def„ fenſionem recompenſare teneatur.

Quod olim Nobiles a propriis etiam Tenutis Decimam Clericalem dependerint, me complura vetuſta Monumenta convincunt, S. Stephani Lex, utpote Lib. II. Cap. 52. ita quidem conceptum eſt, ut exinde elici non poſſit, an illud etiam ad Nobiles extendi debeat? Poſteriora tamen Monumenta ſatis evincunt, quomodo Legem hanc ſubſequus uſus explicuerit. Jam in Renovatione Privilegiorum Eccleſiæ Pechvaradien-

ſis

Digitized by Google

ſis in ſerie Epiſcoporum Veſzprimienſium pag. 60. producta, Geiſa II. 1158. ita loquitur. *Inſuper & Decimas Hoſpitum, aliorumque Nobilium, ſed & Ignobilium.* In Privilegio a Bela III. de 1190. Eccleſiæ Quinqueeccleſienſi conceſſo, & a Koller Tom. I. pag. 292. prolato diſerte dicitur: *Quicunque in Diæceſi Quinqueeccleſienſi fuerint, cujusque faſtigii, Baro, Nobilis, Serviens, - - - - de omnibus Bonis eorum juſtas Decimas ſolvant.* Confirmatur id e poſteriori etiam ejusdem Privilegii clauſula, ubi dicitur: *Servi autem Nobilium prorſus omnes præter illos ſolum, qui in aratris ſuorum Dominorum obſequuntur* cum de illis eorum Domini Decimam integre perſolvant; *Emericus* de 1198. agnoſcit, *quod Sanctiſſimus Rex Stephanus, & S. Ladislaus ordinaverunt, ut de omnibus Proventibus Regalibus nunc habitis, & quoquo modo habendis, & ampliandis Rex Hungariæ - - - - Decimam ſolvere deberet*, uti id in producto in Proceſſu Nobilium & Cleri Scepuſienſis Inſtrumento continetur.

— Andreas II. in Literis ſuis ad Pontificem de 1214. datis, & a Koller Tom. I. pag. 348. vulgatis agnoſcit, *quod Decima hæc plane a procuſa de novo Moneta Archiepiſcopo Strig. competat.*

Si Rex ipſe ab omnibus Proventibus ſuis, ſi ab ipſa plane Moneta Decimam dependebat, quis ſibi perſvadeat? ut Nobiles Tenuta ſua ab hac præſtatione immunia conſervare potuerint, præſertim cum Lex S. Stephani nullum hac in re inter diverſas Civium conditiones, diſcrimen conſtituat.

Quod in Croatia Nobiles præſtationi huic adhuc 1353. obnoxii fuerint, docet emanatum e Generali Regni Croatiæ eodem Anno, Tininii celebrata Congregatione, Nicolai totius Sclavoniæ Bani Diploma in Collectione Heveneſſiana deſcriptum, ubi dicitur. „ Nobiles viri Comites Frangepani in propriis, &

 „ omnium

Digitized by Google

„ omnium Nobilium in dicto Regno Perſonis retule-
„ runt, quod - - - - Decimas - - - - Eccleſiæ Tini-
„ nienſi modo infraſcripto dare tenerentur. - - - - -
„ Item Nobiles quinque Jobagiones habentes, una cum
„ Jobagionibus ſuis, cum Decimis conſvetis teneren-
„ tur Domino Epiſcopo ante dicto. "

E Tenore Diplomatis hujus patet, quod in Croatia ille uſus ſubinde invectus fuerit, ut ii tantum Nobiles Decimæ obnoxii ſint, *qui quinque* Jobagionibus plures non poſſidebant. In Hungaria ſeu jam tunc, ſeu tardius tantisper invaluit, ut Nobiles *poſſeſſionati* univerſim a Decimis eximantur, & ſoli tantum *inpoſſeſſionati* eidem ſubjaceant, ſed & hi per Articulum XXVIII. 1439. ſub Alberto a Decima exemti fuerunt; dicitur enim illic: *Nobiles tam Jobagiones habentes, quam non habentes Decimas dare non teneantur.* Et hæc Lex præſenti quoque Decreto & Articulo confirmatur, una & ratio Ordinationis hujus ea aſſignatur, quia Nobiles Decimas per Inſurrectionem redimunt. Quamquam ratio hæc vel ex eo ſubſiſtere non videatur, quia Inſurrectionis officio ipſi etiam Eccleſiaſtici obſtringuntur.

Atque adeo apparet, quod immunitas Nobilium a Decimis non per *primitiva* Regni Inſtituta ſtabilita, ſed poſteriori uſu ſenſim invecta fuerit, donec tandem ſub Alberto poſitiva Regni Lege firmata eſt.

In Scepuſio, non obſtante hac Lege, uſus Decimas etiam a Nobilibus exigendi porro etiam perduravit. Produxit enim Clerus ejus, in vertente hac de re Proceſſu, Mandatum ejusdem Regis Alberti, de eodem Anno 1439. quod ita habet: „ Albertus Comi-
„ ti, vel Vice-Comiti Comitatus Scepuſienſis - - - -
„ Quomodo nonnulli Eccleſiaſtici, & Laici, Nobiles
„ & Ignobiles - - - - certis Reditibus - - - - Eccle-
„ ſiæ B. Martini de prædictæ Scepus obligati, juxta
„ antiqua Scripta, & Regeſtra ſolvere recuſantes - - -

- -

Digitized by Google

„ - - Itaque veſtræ Fidelitati præcipimus, quatenus „ - - - - tales contumaces - - - - ad eorum Redditurum debitam ſolutionem adſtringatis. Datum Vratislaviæ 1439."

Verum hujus quoque Comitatus Nobilitas, per ſolennem illum Tabularem Proceſſum, ab onere hoc abſoluta, & reliquæ Regni Nobilitati exæquata fuit.

ARTICULUS II.

Bona Pignoratitia per Notam Infidelitatis Pignoratarii non amittuntur.

„Statuimus præterea, & præſenti Decreto „ ſtabilimus, ut ſi aliquem ex Baronibus, aut „ Nobilibus hujus Regni noſtri Hungariæ poſſeſ- „ ſiones, & Bona aliorum Baronum, ſeu Nobi- „ lium, aut etiam Eccleſiarum, pro pignore, „ vel qualitercunque occupata detinen. & poſſi- „ den. tempore per ſucceſſum Infidelitatis no- „ tam contra Coronam ejusdem Regni incurrere „ contigerit, ex tunc illi, quos perpetuitas hu- „ jusmodi poſſeſſionum & Bonorum impignora- „ torum, vel occupatorum concernit, fideles „ exiſtendo, propter delictum ejusdem Infidelis „ hujusmodi Jure perpetuitatis eorum non pri- „ ventur, ſed ſemper talismodi Jus perpetuitatis „ ipſorum ſalvum permaneat, idemque, dum „ eis placuerit, proſequi valeant, atque poſſint, „ *conſvetudine horum in contrarium hucusque „ tenpta, non obſtante.*

„ Quam, ſed & ſingula præteritis hactenus
„ temporibus ſecundum eandem conſvetudinem,
„ & in præmiſſorum contrarium, acta, facta, ju-
„ dicataque, atque geſta revocamus, & revoca-
„ ta eſſe committimus per hæc ſcripta.

Patet hic, quod antea ea omnino iniqua viguerit conſvetudo, quod Notorius Bona plane *aliena* amiſerit, Pignoratitia enim reſpectu ipſius erant omnino aliena, quia ad hunc temporaneus tantum *uſus fructus*; ad Donatarium vero *Proprietas* pertinebat. Et ideo Articulo hoc, latæ etiam de præterito Sententiæ juſte prorſus revocantur.

ARTICULUS III.

Qualiter Clerici Ruſticos Judicio convenire debeant?

„ Cæterum decernimus: Ut dum, & quan-
„ docunque per affutura tempora aliquem Ruſti-
„ cum, ſeu Jobagionem Baronis vel Nobilis cum
„ Præsbytero, ſeu Clerico quocunque rixare,
„ vel contundere, aut inter eos vituperia, &
„ minas ſimpliciter, vel etiam ſubſecutis verbe-
„ ribus in Thabernis, vel aliis Locis ſuſpectis,
„ ſive dampnorum illatione, vel in factis profa-
„ nis ſuboriri contigerit, extunc talis Præsby-
„ ter, vel Clericus ſeu Jobagionem in Sedem
„ Spiritualem non aliter, niſi prius petita a Domi-
„ no talis Ruſtici citare, & in Cauſam convenire
„ poſſit, ſed petita prius juſtitia hujusmodi, ſi
„ tandem de Judicio Domini ejusdem Ruſtici con-
„ tentari noluerit, vel ſi ipſe Dominus talis Ru-

„ ſtici

„ ſtici ſibi juſtitiam facere recuſaverit, ipſum Ru-
„ ſticum in præſentiam Epiſcopi, vel Vicarii Dio-
„ ceſiani liberam citandi habeat facultatem.

Privilegium Fori pro Eccleſiaſticis jam S. Stephani Lib. II. Cap. 3. ſtabilitum fuit, licet enim §. Capitis hujus 2. tantum dicatur, *ut nemo Clericum in Publico, niſi in Eccleſia examinare præſummat*, cum tamen §. 1. Laici plane a perhibendo contra Clericos Teſtimonio arceantur §. 2. nil niſi *Privilegium Fori* denotare poteſt. in S. Ladislai Libro II. Cap. 13. illud jam diſerte ſtabilitur, dum conſtituitur, *ut furta Clericorum tantum per Epiſcopos judicentur.* Verum in ſenſu Legum harum, poterat Privilegium hoc unice ad *Perſonalia* reſtringi. Tandem S. Ladis. Lib. III. Cap. 25. illud etiam ad *Realia* extendit, dum conſtituit, *quod Judex Sigillum ſuper Præsbyteros, & Eccleſiaſticos mittere*, id eſt eos citare, non poſſit. Quamprimum enim eos citare non poterat, non potuit utique eos etiam in *Realibus* judicare. Et hoc eſt, quod poſtea frequentibus inter utrumque Statum diſſidiis anſam dedit, donec Eccleſiaſtici quoad *Realia* Nobilibus exæquati, & eisdem Foris ſubjecti ſunt.

Immunitas hæc Eccleſiaſticorum principio ſtatim eo utique ſano ſenſu accipi debuiſſet, quod tunc tantum locum habeat, dum Clericus *paſſive*, id eſt, ut Incattus ſtare debuit, cœpit tamen ſubinde, contra naturale Juris Principium; *quod Actor Forum Rei ſequatur*, eo etiam extendi, ut Eccleſiaſtici dum etiam *active* procedebant, Laicos ad Forum Eccleſiaſticum trahere poſſint, ita, ut ejus contrarium ſub Colomano Libr. I. Cap. 5. diſerte conſtitui debuerit, nimirum quod Clericus Laicum coram ſeculari Judice debeat convenire.

Ipſæ

Ipſæ *reales* Eccleſiaſticorum Cauſæ, etiamſi *paſſive* in iis ſtare debuerunt, erecto eorum ſub Nomine Synodi I. Inſtantiæ Nobilium Foro, per Caput 8. ejusdem Libr. I. ſubjiciebantur. Verum cum Judicium hoc teſte Capite 2. & 24. ex Epiſcopis, & Comitibus conſtiterit, poterat qua Forum *mixtum* conſiderari.

Quod autem Status Eccleſiaſticus in *Perſonalibus* Privilegium Fori porro etiam retinuerit, ipſius hujus libri Caput 5. & 14. ſatis oſtendunt.

Conatus tamen ejus, ut *activæ* etiam Eccleſiaſticorum contra Laicos Cauſæ ad Forum Eccleſiaſticum pertrahi poſſint, veſtigia, poſtea etiam comperiuntur, veluti in provocato jam ſæpius Quinqueeccleſienſi Privilegio, quod Bela III. 1190. elargitus eſt, in quo ille, qui ſuper Populos Eccleſiæ hujus condeſcenderit, Baro, pœna 10. Marcarum auri puniendus, & pœna hæc: *vel in noſtri Culminis auditorio* (ſunt verba Privilegii) *vel coram Vener. Patre Strigon. Eccleſiæ Archiepiſcopo, prout maluerit Prælatus Quinqueeccleſienſis* exigenda decernitur. Hic enim *activa* Epiſcopi hujus contra Secularem Baronem Cauſa ad Forum Eccleſiaſticum diſerte inviatur.

Ipſe, quem commentamur Articulus fidem facit, quod ante illum *injuriatus* Eccleſiaſticus Jobagionem alicujus Secularis coram Sede Spirituali convenire potuerit. Imo ipſa hac Lege id tantum providetur, quod debeat prius Judicium Domini experiri; nam ſi Eccleſiaſticus hoc contentus non fuit, poterat eundem porro etiam ad Forum Spirituale evocare. Tanta nimirum his adhuc temporibus vis fuit, Eccleſiaſticæ Poteſtatis.

AR-

ARTICULUS IV.

Bullæ Pontificiæ ſine Placeto Regio nullum Vigorem habeant.

„Poſtremo per Nos, ac univerſalitatem præ-
„ tactorum Regnicolarum noſtrorum concluſum
„ vetuſta conſvetudine exigen. declaramus. Ut
„ nullus omnino hominum Indigenarum, vel Fo-
„ renſium cujus ——— ſine licentia noſtra,
„ aut Succeſſorum noſtrorum Regum Hungariæ
„ aliquas Bullas, vel ſcript. Papales, vel Conci-
„ lii, aut Delegatorum ab eis ſive factum Bene-
„ ficiorum, ſive pœnarum aut Litium quarum-
„ cunque exprimant, ad hoc Regnum noſtrum,
„ & intra ejus Limites importare, aut ſe de quo-
„ cunque Beneficio vigore earundem intromit-
„ tere, vel etiam quemcunque Regnicolarum no-
„ ſtrorum citare, ſeu extra Regnum in Cauſam
„ attrahere præſummat.

Articulus hic conditus eſt in ſequelam editi a Sigismundo 1404. ſeu Decreti, ſeu Edicti (neque enim hic idoneus eſt id diſcutiendi locus) quod in Veſtigiis Comitiorum pag. 199. ex Prajo recitatur.

Cæterum Articulus hic tria Objecta continet 1. Ne Bullæ Pontificiæ ſine *Placeto Regio* in Regno publicari poſſint. 2. Ne quis aliquod Beneficium Eccleſiaſticum Hungariæ a Pontifice impetrare auſit. 3. Ne quis alium, præteritis domeſticis 1. Inſtantiæ Eccleſiaſticis Foris immediate Romam evocare præſummat: Quoad omnia tria ad *vetuſtam conſvetudinem* provocatur. Conſvetudo tamen hæc uſque ad jam provocatum Sigismundi Decretum, quod poſt concluſum Conſtantienſe

tienſe Concilium emanavit, *conſtans* minime fuit. In hoc primum Concilio, arrogata, virtute falſarum Decretalium quoad tria hæc objecta Aulæ Romanæ Jura ad vivum reſecari cœperunt.

In Particulari relate ad primum objectum; Quæſtioni huic: an Bullæ Pontificiæ ſine conſenſu Regis publicari poſſint? ante Gregorium VII. vix locus fuit. Antea enim Aula Romana ſub prætextu *Spiritualis*; *Temporalem* ſuam poteſtatem per Bullas ejusmodi ex tendere in Hungaria non quærebat. Sub hoc Pontifice & ejus Succeſſoribus Pontificiis Reſcriptis, ſine diſcrimine paſſim deferebatur, nullum enim adhuc impedita per Regem publicationis Bullæ alicujus Pontificiæ exemplum, minus publicam aliquam ejusmodi Conſtitutionem hactenus deprehendimus. Non multo poſt advertit Curia Romana per dexteros *Nuncios*, longe plura, quam per Bullas, perfici poſſe. Itaque tunc jam alter Quæſtionis ſtatus enatus fuit, nimirum: an non debeat Nuncius, omnia, quæ habuit Mandata, prævie, quam admittatur pandere? Princeps vero ea ſolum agenda ipſi admittere potuerit, quæ ſuis, *Ordinariorumque* Juribus haud præjudicare videbantur? Verum tempora illa tanta caligo oppreſſit, ut difficultatem hanc vel obvertere nulli Regum noſtrorum, uſque Sigismundum inciderit. Notum eſt, ad quam duras conditiones Gregorius IX. per Jacobum Præneſtinum Nuncium ſuum, Andream II. 1233. adegerit. Non enim prius a lato per Archiepiſcopum Arigonienſem Interdicto abſolutus fuit Andreas Rex, quam poſt conceſſos Eccleſiis, cum detrimento Proventuum Regalium, omnigenos, quoad uſum *Salis* favores, & dilataram Fori ſpiritualis Jurisdictionem. Parumque aberat, quin Status Eccleſiaſticus, hac occaſione reipſa pervicerit, ut de ipſis Eccleſiaſticorum Bonis, non niſi coram Foro Spirituali cognoſci poſſit. De hoc enim Puncto id tantum ſibi Rex reſervavit, ut Pontificem

cem

cem ultro informet, quod hoc ipſis Eccleſiis noxium futurum ſit, uti e prolato per Prajum in Hier. Part. II. pag. 57. Inſtrumento apparet.

Quanta Patronatui Regum Hungariæ contraria per Firmanum Nicolai III. Nuncium in Concilio Budenſi acta ſint, jam Adamus Koller in opere de Jure Patronatus Regum Hungariæ obſervavit. Ladislaus tamen IV, vix *indirecto* modo, nempe impediendo victualium Budam importationem, ad diſſolutionem Conventus hujus agere auſus eſt. Hujus quoque Legati miſſio, correctionem diſſolutorum Ladislai IV. morum, & reſtaurationem Diſciplinæ Eccleſiaſticæ præſeferebat, ſed hæc quoque in obligationem dependendarum perpetuo Eccleſiæ Budenſi 100. Marcarum Argenti deſiit, uti id ex Inſtrumento, quod Katona Tom. VII. pag. 735. e Rainaldo protulit, conficitur.

Supremum omnibus his cumulum addidit Clementis V. Legatus Frater Gentilis. Hic enim non tantum Comitia convocandi, ſed ipſam plane Legislationem uſurpavit. Titulo enim Concilii circa ſumma Legislationis objecta, utpote: *de Statu* Regis, de Immunitate Regis, de Corona Regis, de Bonis Regalibus, & Reginalibus, Leges, cum ſolis Epiſcopis condere pertentavit, quas tamen Hungaria nunquam agnovit. Volebat Aula Romana per Legationem hanc, ad uſum Reges Hungariæ nominandi ſe collocare, verum id haud ſucceſſit. Extorſerat tamen Frater Gentilis, ut electus per Nationem Rex, a Pontifice adminus *confirmari* debeat, ſed ne id quidem unquam poſtea in uſum deductum fuit, uti id ex Inſtrumento Electionis Caroli I. & actis celebratæ per eundem Legatum Budæ Synodi eluceſcit.

Relate ad II. Ante Colomanum ignota fuere Hungariæ relate ad Beneficia Eccleſiaſtica *Electionis*, *Poſtulationis*, & *Proviſionis* nomina: In ipſa adhuc Slavonia S. Ladislaus Zagrabiæ & Epiſcopatum erexit,

&

& Epiſcopum nominavit. In Dalmatia, dum Colomanus ea potitus eſt, uſus *Electionis* Epiſcoporum adhuc vigebat, quem ille, ſicut & reliqua Populi hujus Jura confirmavit. Jam etiam Pontifices, in hac, velnti Italiæ viciniori Regione, ad uſum vacantia Beneficia per occaſionem conferendi ſe collocarent. Et hinc factum eſt, ut Curia Romana hanc ſeu *Electionis*, ſeu *Proviſionis* uſum, ad reliquam etiam Hungariam ſenſim extendere, inde a Gregorio VII. continuo adlaboravit. Nec defuit conatibus ſucceſſus, plures enim Epiſcopos ſubinde a Pontificibus nominatos alios a Capitulis Hungaricis electos fuiſſe, comperimus. Obnitebantur quidem Reges Hungariæ, aliquando, huic Juris ſui Patronatus violationi, uti complures eorum de hoc Argumento ad Pontifices ſcriptæ, & a Scriptoribus prolatæ Epiſtolæ teſtantur. Verum interceſſioni huic Pontifices vix aliquando detulerunt. Coacta ſub Ladislao IV. per Firmanum Nicolai III. Nuncium Synodus Budenſis ad propagandum *Electionis* & *Proviſionis* uſum non parum contulit. Frater Gentilis in illa, de qua jam ſermo fuit, æque Budenſi Synodo: eo ſpectaſſe videtur, ut uſum hunc in Hungaria efficiat univerſalem, adeo minutim omnem *Electionis*, *Poſtulationis*, & *Proviſionis* formam in Actis illis deſcribi curavit. Sicut tamen in principali *Legationis* ſuæ ſcopo, nimirum, ut Aulam Romanam ad uſus Reges Hungariæ nominandi collocet, ſpe ſua lapſum fuiſſe vidimus, ita nec iſthoc ejus Conſilium optatum ſucceſſum habuit. Nam plane Carolus I. & Ludovicus I. competens Regibus Hungariæ, quoad conferenda Beneficia Eccleſiaſtica Jus Patronatus, præ Anteceſſoribus ſuis magis maſcule exercuerunt. Non multo poſt Conſtantienſe Concilium celebratum eſt, & jam provocata Sigismundi hac de re Ordinatio 1440. emanavit,

Sub

Sub Mathia tamen I. Curia Romana novum Collationem Beneficiorum Eccleſiaſticorum ad ſe pertrahendi periculum fecit. Verum determinata Regis hujus Declaratio, quod Hungari ante Crucem ſuam triplicaturi, quam hoc paſſuri ſint, eam a propoſito hoc revocavit, prouti id e data per hunc ad Pontificem Litera apparet.

Relate ad III. Inter media, extendendæ Curiæ Romanæ Jurisdictionis, cœperat id quoque uſurpari, ut cuivis in remotiſſimis licet Regionibus habitanti Chriſtiano liberum ſit, Cauſam ſuam Romæ in prima Inſtantia per formam *Præventionis* promovere; Ut moleſtiæ evitentur, quas Partibus longinquitas Fori attuliſſet, ſolebant deinde Pontifices cognitionem ejusmodi Cauſæ locali alicui Eccleſiaſtico, aut Monacho committere. Niſi abuſui huic Reges temporali ſua poteſtate obviaſſent, ceſſaſſet ſenſim omnis domeſticorum 1. Inſtantiæ Fororum Eccleſiaſticorum activitas; & vero poſt Gregorii VII. tempora uſque Sigiſmundum majores Eccleſiaſticæ Cauſæ per Delegatos ejusmodi Pontificios judicabantur. Hic per ſuam de 1440. Ordinationem id vetuit, quæ præſenti Articulo renovatur: ſub Mathia I. 1471. Art. XIX. & 1486. Art. XLV. Lex hæc denuo renovatur, in quorum primo ad Libertatem inde a S. Stephano vigentem provocatur. Verum tam hujus, quam & priorum duorum Objectorum intuitu intermedium uſum ſæpe fluctuaſſe; e ſuperioribus ſatis apparet.

ARTICULUS V.

Pœna in eos, qui earum Executionem procurare attentaverit.

„ Si quis autem hujusmodi Bullas vel Re-
„ ſcripta importare, vel importatas Executioni
„ Nobis

Digitized by Google

„ Nobis inconſultis demandare præſum ———
„ perinde obſervata privatur.

Quæ Pœna in Violatores præcedentis Legis ſtatuta fuerit? propter hiatum Articuli hujus certo definiri non poteſt. Ex ultimis tamen ejus, quæ legi poſſunt verbis, Beneficii privationem ſtatutam fuiſſe, tuto exiſtimare licet. Cum pœna hæc tantum Eccleſiaſticos afficere potuerit, non improbabile videtur. Quod contra Laicos aut pœna Criminis læſæ Majeſtatis, uti in præcedenti Sigismundi Ordinatione de 1440. aut ſimplicis ſupplicii, uti poſtea ſub Mathia I. 1471. Art. XIX. in eraſis præcedentibus lineis fuerit conſtituta.

ARTICULUS VI.

Appellata tamen, ad Curiam Romanam ex omni Foro Spirituali admittitur.

„ Illud tamen quibuslibet indulgemus, ut in
„ Lite ſeu Cauſa quacunque Forum Spirituale
„ concernenti in hoc Regno noſtro, & in præ-
„ ſentia Judicum Ordinariorum ejusdem mota,
„ & ventilata, finita hujusmodi Lite, ſeu Cauſa
„ liberam ad Curiam Apoſtolicam, vel Conci-
„ lium appellandi habeant facultatem.

Huic Legi conformis eſt jam provocati 1471. Art. XIX. §. 1.

CONCLUSIO.

„ Ut autem præmiſſarum Conſtitutionum, &
„ Confirmationis ſeries robur obtineat perpetuæ
„ firmi-

„ firmitatis; præſentes conceſſimus Literas noſtras „ privilegiales.

„ In cujus rei memoriam, firmitatemque per„ petuam præſentes conceſſimus Literas Sigillo „ noſtro ——— utimur appenſione munitas.

„ Datum in Alba Regali in Feſto Beati Eliæ „ Prophetæ Anno Domini Milleſimo Quadringen„ teſimo Quadrageſimo."

(L.S.P.)

Ex Archivo Regni

Vidimus jam Articulo 42. Decreti Andreæ III. R. ſtatutum fuiſſe: *Ut omnes Prælati, quos legitimum impedimentum non detinuerit, nec non & omnes Barones, & Nobiles univerſi ad quindenas B. Georgii M. juxta Danubium convenire teneantur.* Habemus itaque Veſtigium Comitiorum ad diem 8. Maii Anni 1299. diætaliter indictorum, an tamen eodem termino celebrata ſint, non ſatis clare ex illis monumentis definiri poteſt, quæ hanc in rem hactenus obtinere potuimus. Mihi quidem veriſimile videtur, ipſo hoc termino Comitia hæc celebrata, ſed paulo diutius protracta, quam paſſim exiſtimemus ea tempeſtate in more fuiſſe, quod ut exiſtimem geminorum Diplomatum contextu inducor. Primum eſt illud ipſum, cujus fragmentum in Veſtigiis pag. 152. produxeram; cum autem illud integrum quantum eſt, ad Acta eorum Comitiorum pertineat, multumque ad eorum hiſtoriam illuſtran-

dam adferat, neque argumenta ex eo ducta ſufficientem vim habere videantur, niſi totum relegatur, & combinetur, & objectum oppido momentoſum concernat, licet a pluribus jam vulgatum ſit, oportebat me hoc loco contextum illius integrum per extenſum Lectoribus proponere; qui ita habet:

Adpellatio Andreæ III. Regis, & cæterorum in Campo Rákos Congregatorum a Gregorio Electo Strigonienſi ad Sedem Apoſtolicam Anno 1299.

„Nos Frater Jacobus Præpoſitus, & Conventus S. „Stephani Ordinis Præmonſtratenſis de Promontorio „Waradienſi, univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, ad „quos præſentes litteræ pervenerint, ſignificamus, „memoriæ commendantes. Quod cum nos Præpoſitus cum majore parte conventus noſtri *ad generalem* „*Regni Congregationem in locum Rakus vocatum pro* „*ſtatu bono Regni reformando, & Eccleſiæ noſtræ* „*negotiis acceſſiſſemus*: Venerabilis Pater E. &c. cum „ſufficienti procuratorio nobis præſentato, & perlecto „Anno Domini *M. CC. nonageſimo nono, menſe Julii* „in Octaua Apoſtolorum Petri & Pauli, contra diſcretum virum G. Electum Eccleſiæ Strigonienſis in „ſcriptis coram nobis publice Sedem Apoſtolicam „appellavit, & appellationem *mandato, & Nomine* „*Domini Andreæ DEI Gratia Illuſtris Regis Hungariæ, & Domini Joannis Archi-Epiſcopi Eccle-* „*ſiæ Colocenſis, & Capituli ejusdem & omnium alio-* „*rum Epiſcoporum & Capitulorum Cathedralium,* „*utriuſque Provinciæ Strigonienſis, & Colocenſis, Ba-* „*ronum atque Nobilium Regni Hungariæ factam* publicavit in hunc modum. In Nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti Amen. Coram vobis Venerabilibus

„&

„ & religioſis Viris fratre Jacobo Præpoſito, & Con-
„ ventu S. Stephani Protomartyris de promonthorio
„ Varadienſi. Ego Emericus miſeratione Divina Epi-
„ ſcopus Varadienſis Procurator. *Nomine & Mandato*
„ *Domini Andreæ Illuſtris Regis Hungariæ, Domini*
„ *Johannis DEI Gratia Archiepiſcopi Colocenſis, &*
„ *Capituli ejusdem, & omnium aliorum Prælatorum &*
„ *Capitulorum Cathedralium Eccleſiarum utriusque*
„ *provinciæ ſcilicet Strigonienſis, & Colocenſis, nec*
„ *non Baronum omnium, ac univerſorum Nobilium*
„ *totius Regni Hungariæ* Sedem Apoſtolicam appello
„ in gravaminibus, & cauſis veris & neceſſariis in-
„ ferius denotatis, Apoſtolos peto, & inſtanter peto.
„ *Cum enim hoc anno ad Congregationem Regni Ge-*
„ *neralem prædictus Dominus noſter Rex Andreas, &*
„ *Dominus Joannes Archiepiſcopus Colocenſis & Epi-*
„ *ſcopi utriusque provinciæ ſcilicet Strigonienſis, &*
„ *Colocenſis, nec non Barones ac Nobiles Regni Hun-*
„ *gariæ, ſecundum ſeriem conſtitutionis anno præteri-*
„ *to promulgatæ editam pro reformatione pacis, &*
„ *Status Regni, ac recuperatione immunitatis Eccleſia-*
„ *ſticarum libertatum in locum Rakus vocatum prope*
„ *Budam Civitatem ſitum, regni ſcilicet medium fuiſ-*
„ *ſent congregati*, ſpecialiter inter cætera agentes, &
„ procurantes Eccleſiæ Strigonienſis pacem, & Electi
„ ejusdem Eccleſiæ ſtatum quietum, in quibus ſe præ-
„ fatus Electus, & Eccleſiæ Strigonienſis per procu-
„ ratores ſuos proponi faciebat eſſe turbatos & læſos,
„ conquerendo contra Dominum Andream Regem præ-
„ fatum, & alios turbatores Eccleſiæ Strigonienſis
„ prædictæ, & Dominus Andreas DEI Gratia Illuſtris
„ Rex Hungariæ, ſi in aliquo ipſum & Eccleſiam ſuam
„ læſerat, quod non credebat, Prælatorum & aliorum
„ proborum virorum per Hungariam arbitrio ſe ſub
„ magna obligatione committebat, Magiſter G. . . .
„ . . . prædictus Electus, qui ſuis literis ad eos de-
„ ſtinatis ſe adminiſtratorem Strigonienſis & Albenſis

P 2 „ Ec-

Digitized by Google

„ Eccleſiarum, & nuncium Sedis Apoſtolicæ nunciavit, in quibus nec jurisdictionis, nec auctoritatis ſuæ copiam, nec qualitatem ſui Officii, ſi quam habet præfatis Regni Prælatis deſtinavit, prædictos Regni Prælatos, nullo juris ordine obſervato, nulla juſta cauſa aſſignata, nulloque termino præfixo fecit Weſprimium accerſiri in medium infidelium & perturbatorum pacis Regni, ac locum periculoſum & omnino ſuſpectum. Et cum ipſi Prælati ſint maternorum uberum filii, videlicet Sacro Sanctæ Romanæ Eccleſiæ deſiderantes, & præſtolantes cum gaudio ſub hoc impacati temporis diſcrimine conſolari & juvari ab eo, tanquam Nuncio Sanctæ Matris diſcretum Virum Paulum Præpoſitum Eccleſiæ Strigonienſis, & Nobilem Virum Comitem Henricum *communicato Conſilio cum Rege, & Regnicolis* ad eundem Electum deſtinarunt, ut ipſum Electum *adveniendum in Congregationem præſcriptam* honore & reverentia, quibus decet inducerent, & rogarent, ut una cum ipſo pari voto, & communi conſenſu habito tractatu diligenti commune bonum pro pacifico Statu Regni, & Eccleſiarum, *quod anno præterito per eosdem Prælatos, & univerſos Regnicolas inchoatum fuerat*, divino adjutorio felicem perduceret ad effectum, & nihilominus de jurisdictione, & poteſtate, ac officio ſuo, ſi quæ a Sede Apoſtolica habet, eos per ſuas litteras ſeu commiſſiones Apoſtolicas edoceret. Qui quidem G. Electus ſic reverenter & inſtanter requiſitus, & rogatus, *nec in ipſam congregationem, in qua plurima bona de ſtatu totius regni pacifico, & Eccleſiarum ordinare potuiſſet, venire voluit*, nec ſupradictis ad ipſum Electum accedere paratis locum tutum & ſecurum aſſignavit, nec etiam jurisdictionis ſuæ copiam; ſicut ſibi de jure competebat, curavit exhibere, quin potius graviſſimas, & formidabiles comminationes inculcavit, videlicet quod niſi Prælati

„ præ-

„ prædicti ejus voluntati, & beneplacito parerent, ex-
„ communicationis Sententia eos innodaret, & non
„ ſolum ſpiritualiter, ſed & temporaliter mulctaret,
„ & puniret; cum tamen omnimoda ſecuritate *ex par-*
„ *te Regni*, *& ſuorum Baronum*, *& per eosdem Præ-*
„ *latos* fideliter procurata, ſecure & libere, & ſine
„ aliqua eſitacione in perſona propria & ſuorum, ſal-
„ vis omnibus bonis & rebus ſuis *venire in prædictam*
„ *congregationem* vel in aliquem locum ſecurum, &
„ honeſtum, ſi voluiſſet, potuiſſet. Se receptans apud
„ infideles regni præciſos, & excommunicatos a Ca-
„ none & ab Eccleſia propter nefandiſſima & execra-
„ bilia ſcelera, quæ in effractionibus Eccleſiarum Dei,
„ oppreſſionibus pauperum, cædibus clericorum &
„ laycorum Chriſti Sanguine redemptorum, & infini-
„ tis ac horribilibus deſtructionibus, ſpoliationibus, &
„ vaſtationibus fere a temporibus quatuor Regum
„ Regni Hungariæ miſerabiliter perpetrarunt, eosdem
„ peſtilentes, & omni ſupplicio dignos confortans in
„ ſua pertinacia, & malitia antiquata, abſolvens etiam
„ eos paſſim, qui ratione præmiſſarum iniquitatum, ac
„ aliorum infinitorum, nec dicendorum flagitiorum, a
„ Canone, & a ſuis Dyœceſanis Sententiam excommu-
„ nicationis incurrerunt, irrequiſito excommunicatore,
„ nulla penitus facta ſatisfactione præmiſſa, in ſalu-
„ tis ſuæ diſpendium contra Canonicas Sanctiones,
„ & ut illud noviſſimum minime omittam, in gravamen
„ etiam Regni ac Regis, nec non omnium Prælatorum,
„ periculum, & deſtructionem omnium de regno, ac
„ *diſſolutionem prædictæ congregationis*, ex qua ſalus
„ totius Regni, & pax opulentiſſima eliciebatur ani-
„ mos prædictorum flagitioſorum, & dampnatorum,
„ quantum in ipſo fuit, provocavit, propter quod ter-
„ ribilem feritatem Tartaricæ Nationis, adhuc Deo pro-
„ pitio quieſcentem, non ſolum Regnum Hungariæ, ſed
„ & Orbis occidentalis veriſimiliter, & ſine dubio
„ poterit formidare. Ex his itaque gravaminibus, quæ

Digitized by Google

„ præmiſſa ſunt, & multis conjecturis veriſimilibus, „ quibus prædictus G. Electus deprehenditur non ſolum eſſe ſuſpectus, ſed & manifeſtus in gravaminibus illatis, & inferendis *in Regem, Prælatos univerſos & Capitula eorundem, nec non omnes Barones ac Regnicolas* ſenciens prægravari, & prægravatos eſſe, vice ac *nomine præfati Domini Regis, ac Prælatorum, omniumque Baronum, & univerſorum Nobilium, dicti Regni* coram vobis diſcretis Viris Fratre Jacobo præpoſito, & aliis fratribus de Conventu S. Stephani vicem totius Conventus habentibus Sedem Apoſtolicam appello in his ſcriptis, Apoſtolos peto, ac inſtanter, inſtantius, ac inſtantiſſime peto, offerens, me omnia præmiſſa probaturum vel ea ſaltem ex omnibus, quæ probata ad fundandam intentionem præfatorum *Domini Regis, Prælatorum, nec non Nobilium regni* ſufficere videbuntur, ponens ipſum Dominum *Andream Regem Hungariæ, Prælatos, ac Capitula prædicta, Barones, nec non totum regnum ſuper* (ſub) protectione Apoſtolica ſpeciali, præſentem, inquam appellationem publico coram vobis, quia præſentiam ipſius Electi in longinguis, videlicet in quoddam Caſtro nefandiſſimo apud Sanctam Crucem in partibus ultra Dravanis multis milliaribus procul modo agentem, adire minime potuiſſem. Cujus rei Veritas in perſonis prædictorum diſcretorum virorum, ſcilicet Pauli Præpoſiti Colocenſis, & Comitis Henrici plurimorum patuit nocioni, qui ad præfatum Electum miſſi, ut præmittitur, cum decenti, & armato comitatu inſultus prædonum non ſolum formidabiles, ſed & periculoſos in eundo, & redeundo vix evadere potuerunt. Quam quidem appellationem in ſcriptis, coram idoneis Teſtibus rogatis per Nos miſſis, Procuratoribus ſeu Vicariis prædicti G. Electi apud Strigonium prædictus Emericus dari fecit & & offerri.

Ex

Digitized by Google

Ex Collect. R. P. Xiſti Schier.

Inter Coll. MSS. Diplom. D. Cornides T. II. p. 472.

Pray Hierarchiæ P. II. p. 166. -- Katona Hiſt. Crit. T. VII. p. 1219.

Dolendum eſt, in nulla Copia hujus Inſtrumenti menſem & diem expreſſos occurrere: nam illa data, quæ initio ſtatim referuntur A. D. 1299. *menſe Julii in Octava Apoſtolorum Petri & Pauli* ſunt Rei geſtæ, incertum tamen an etiam confecti Inſtrumenti, quidquid de conſvetudine alias in ſimilibus apud Notarios Publicos dici poſſit. Ceterum non appellationem ſolum interpoſitam, ſed hoc ipſum Inſtrumentum etiam durantibus adhuc Comitiis in ipſo eorum loco confectum & extradatum fuiſſe, luculenter Clauſulæ illæ demonſtrant: *Quod cum nos Præpoſitus cum majore parte Conventus noſtri ad generalem Regni Congregationem - - - - - acceſſiſſemus. Item: Coram vobis diſcretis Viris Fr. Jacobo Præpoſito, & aliis Fratribus de Conventu S. Stephani, vicem totius Conventus habentibus.* Prima enim indicat, Conventus Varadienſis majorem partem cum Præpoſito ad Comitia acceſſiſſe, altera hanc partem vicem totius Conventus habuiſſe, adeoque non Varadini, ſed extra Conventum, adeoque Peſtini ſub Comitiis appellationem illam factam, & ut in fine diſerte exprimitur Strigonii Vicariis Gregorii exhibitam, Inſtrumentum autem

ſuper

ſuper eo, velut Teſtimoniales futura jurium pro cautela, itidem Peſtini in Comitiis confectum fuiſſe; niſi quis in defectu Sigilli Conventualis ſcrupulum haberet, quod tamen ſecum habere debuerint, tum ut Teſtes Strigonium mitterent, tum ut Apoſtolos, ac ipſum hoc Inſtrumentum expedirent. Hinc igitur conficitur, adminus in Octava Apoſtolorum Petri & Pauli, ſeu die 6. Julii Comitia adhuc Peſtini duraſſe, quod a quindena B. Georgii M. ſeu die 8. May termino indictorum Comitiorum non plane duos menſes efficeret.

Ceterum ex iſto Inſtrumento de Comitiis plura diſcimus, & quidem 1) Quod cum Præpoſito Conventus S. Stephani Ord. Præmonſtratenſis de Promontorio Varadienſi major pars, nempe Fratrum, ad generalem Regni Congregationem, & quidem non præciſe propter hunc Actum excipiendæ Apellationis, ſed pro Statu bono Regni reformando, & Eccleſiæ ſuæ negotiis acceſſerit. Si hujus Conventus major pars ſine promovendorum publicorum, & privatorum negotiorum ad Comitia accedere potuit, non video, cur non eodem jure alii quoque Conventus ſimiliter in iis comparere potuerint, adeoque jam Periodo I. plures, & quibus ſubſequis temporibus id integrum non erat, ad Comitia non veniebant. 2) Jam tum privata etiam negotia in Comitiis promovebantur. 3) Jam tum Capitula Cathedralia, & a potiori, ut reor, præ Conventibus Monachorum, etiam Canonicorum Regularium, in Comitiis gene-

ne-

Digitized by Google

neralibus locum habuerunt. 4) Diſertiſſime hic commemoratur præmiſſum Andreæ III. Decretum Anni 1298. verbis illis: *ſecundum ſeriem Conſtitutionis anno præterito promulgatæ editam*, ſimulque illud promulgatum fuiſſe, adeoque in legem tranſiviſſe docetur. 5) Præcipuum objectum in his Comitiis pertractatum fuiſſe, hanc cum Gregorio controverſiam. 6) Comitia hæc in continuationem illorum anni ſuperioris coacta fuiſſe, non ſolum Diætalis eorum, quam Art. 42. vidimus indictio, ſed illa etiam Inſtrumenti hujus Clauſula: *quod anno præterito per eosdem Prælatos, & univerſos Regnicolas inchoatum fuerat*, clare demonſtrant. 7) Eadem tamen infectis rebus diſſoluta fuiſſe, ſuſpicari liceret ex his Inſtrumenti Clauſulis: *In qua* (Congregatione) *plurima bona de ſtatu totius Regni pacifico, & Eccleſiarum ordinare potuiſſet.* Item clarius: *In - - - - periculum & deſtructionem omnium de Regno, ac diſſolutionem prædictæ Congregationis*, & quæ ſequuntur.

Aliud Veſtigium horum Comitiorum exhibet ſequens Diploma, quod quamvis unicam Clauſulam huc pertinentem habeat, cum tamen adhuc paucis notum ſit, & referat nomina Prælatorum & Baronum, qui hoc anno a Conſiliis Regis Andreæ fuerunt, hoc loco bona Lectorum venia integrum referendum eſſe duxi.

Præ-

Prælatorum, & Baronum Regni Literæ, quibus atteſtantur Andream III. Regem Hung. in Congregatione Generali Peſtini celebrata ſe præſentibus viſis Privilegialibus Ladislai IV. Literis Simoni & Michaeli Comitibus de Aragonia (deinde de Nagy Marton) terram eorum hereditariam Rechtukeur vocatam, & in Sopronienſi Comitatu exiſtentem, quam ab eis auferre volebat, auctoritate patentium Literarum ſuarum reliquiſſe, & reddidiſſe jure perpetuo poſſidendam. Dat. Budæ feria 6. prox. poſt feſtum B. Margarethæ A. 1299.

„ Nos Joannes DEI Gratia Archiepiſcopus Colocenſis Aulæ Domini Regis Cancellarius, Andreas „ Agrienſis, Petrus Tranſylvanus, Theodorus Jaurien„ſis, Benedictus Veſzprimienſis, Michael Zagrabien„ſis, Hab Vacienſis, Antonius Chenadienſis Aulæ Do„mini Regis Vice-Cancellarius, Emericus Varadien„ſis, Thomas Boſnenſis, & Nicolaus Sirmienſis Ec„cleſiarum Epiſcopi; Dominicus Magiſter Tavarnico„rum Domini Regis Comes Symighienſis & de Neu„grad, Moys Magiſter Tavarnicorum Dominæ Regi„næ, Omodæus Palatinus, Magiſter Stephanus, filius „ Erney Bani Judex Curiæ Domini Regis, Magiſter „ Demetrius Comes Poſonien. & de Zolum, Thomas „ Comes Nitrienſis & Borſienſis: Memoriæ commen„damus ſignificantes univerſis, quibus expedit præ„ſentium per tenorem, quod Nobiles Viri Symon & „ Michael Comites nobis præſentibus *in Generali Par„lamento, ſeu Congregatione Domini Regis in Peſt „celebrata* ad Dominum Andream Illuſtrem Regem „ Hungariæ accedentes, exhibuerunt ſibi Privilegium „ Domini Ladislai Inclyti Regis Hungariæ fratris ſui, „ confirmans Privilegia Domini Andreæ quondam Re„gis Hungariæ Avi ſui, in quo idem Dominus Rex

„ una

„ una nobiſcum vidit contineri, quod Terra Rethu-
„ keur in Comitatu Supruniensi exiſtens Comiti Si-
„ moni Patri eorumdem Symonis, & Michaelis per
„ Dominum Andream Regem prædictum Avum ſuum
„ pro meritoriis Servitiis ejusdem tradita fuiſſet, ſeu
„ collata; & quamquam ſuper eadem terra Rethukeur
„ inter ipſum Comitem, & Thehanum Judæum, qui
„ magnam Partem ipſius Terræ Rethukeur dicebatur
„ occupaſſe, olim tempore ejusdem Andreæ Regis
„ contentio fuiſſet exorta, tamen idem Comes Symon
„ ordine judiciario obtinuit ipſam terram, ſicut in eo-
„ dem Privilegio Regis Ladislai Dominus noſter Rex
„ una nobiſcum vidit contineri, & licet idem Domi-
„ nus Rex Andreas nunc regnans ab ipſis Symone &
„ Michaele Comitibus eamdem Terram alienare vo-
„ luiſſet, tamen viſo tenore Privilegii Regis Ladislai
„ confirmatorii Privilegia Regis Andreæ Avi ſui, eam-
„ dem Terram Rethukeur cum omnibus Pertinentiis
„ ſuis, teloneo ſcilicet, ſeu tributo, Cibrionibus, &
„ aliis utilitatibus univerſis, prout per Dominum An-
„ dream Regem Avum ſuum Comiti Symoni de Ar-
„ ragonia venienti Patri dictorum Symonis & Michae-
„ lis Comitum tradita fuerat, ſeu collata, ipſis Sy-
„ moni & Michaeli Comitibus Dominus Andreas illu-
„ ſtris Rex Hungariæ noſtro conſenſu & conſilio in-
„ terveniente, cum Poſſeſſiones ab antiquo collatæ
„ pro hereditatibus habeantur, his literis patentibus
„ mediantibus relinquendam duxit, & reddendam jure
„ perpetuo pacifice poſſidendam. In cujus rei me-
„ moriam, perpetuamque firmitatem iidem Nobiles
„ Viri Symon & Michael Comites noſtra Sigilla præ-
„ ſenti ſcripto apponi petierunt & appendi. Datum
„ Budæ feria Sexta proxima poſt feſtum Beatæ Virgi-
„ nis Margharethæ Anno Domini Milleſimo Ducen-
„ teſimo nonageſimo nono. Sed quia temporibus
„ emanationis Literarum præſentium Magiſter Paulus
„ Comes Supruniensis, Jauriensis, & Muſunienſis præ-
„ ſens

„ ſens non erat, de conſenſu ejusdem dicti Symon „ & Michael Comites certi non erant, nihilominus „ tamen ipſo Magiſtro Paulo ad Curiam Domini Re- „ gis accedente & conſenſum præbente in hac parte „ Sigillum ipſius præſentibus apponi petierunt.

Ex Originali membrana Tabularii Sanctioris Auguſtæ domus, in Collect. Diplom. Com. Franc. Széchenyi Tom. III. N. Andreæ Reg. 29. Sigilla 18. pendentia, quorum primum ab Orig. avulſum eſt.

Cum hoc Diploma poſt 13. Julii editum ſit, & in eo Generalis Congregationis tamquam jam præteritæ mentio habeatur, videntur Comitia, de quibus hactenus egi, proxime ante feſtum B. Margarithæ V. aut concluſa, aut diſſoluta fuiſſe.

Anno 1299. actorum Comitiorum in eo quoque Diplomate diſertum exſtat Veſtigium, quod Andreas III. in controverſia de limitibus Dioeceſeon Agrienſis, & Tranſylvanienſis interlocutorie edidit, & Katona Hiſt. Crit. Tom. VII. p. 1226. protulit, in quo ſequentia leguntur:

„ Si aliquid juris crederet illic ſe habere, hoc „ coram Metropolitano præfati Epiſcopi Tranſylvanien- „ ſis *tempore Congregationis Regni noſtri Generalis* „ præſentibus Prælatis, & Regni noſtri Nobilibus; „ quibus de negotiis conſtat, prædicto exequeretur.“

In Veſtigiis Comitiorum pag. 152. Comitia iſta pro primis, quæ in Campo Rákos celebrata ſunt, reputantur. Id etiamnum verum eſt, licet ex Contextu Decreti Andreæ III. non nemo exiſtimare poſſit, jam Anno ſuperiore 1298. prima

ibi

ibi celebtata fuiſſe; Peſtini celebrata eſſe certum eſt, ſed cum ipſe locus apud Eccleſiam Fratrum minorum acta fuiſſe diſerte memoretur, neque Campi Rákos mentio habeatur, huc illa trahi non poſſunt, velut togata non armata, licet in tanta confluentis populi multitudine facile largiar, magnam partem in campis Peſtienſibus ſub tentoriis hoſpitari debuiſſe, quod etiam deinceps, dum in Campo Rákos Comitia celebrari dicebantur, eveniſſe non dubito, cum tamen Potiores in ipſa urbe Peſtienſi, ſubinde in Budenſi quoque conſilia miſcebant.

SUP-



SUPPLEMENTA
AD
VESTIGIA COMITIORUM.

PERIODO II.
REGUM STIRPIS
MIXTÆ.

Hungari pactorum illorum cum Almo initorum, quæ in Veſt. p. 2. ex Anonymo retuli, & præſertim primi Status Juramenti, ut quamdiu vita duraret, tam ipſis, quam etiam Poſteris ſuis ſemper Ducem haberent de progenie Almi Ducis, adeo tenaciter ſemper obſervantes erant, ut non ſolum ſuperſtite Maſculo Sexu Stirpis Arpadianæ, ex ea Reges ſuos legerent, ſed eo etiam in Andrea III. vel, ut alii falſo prætendebant, in Ladislao IV. extincto, foeminei Sexus ejusdem Stirpis

pis

Digitized by Google

pis in deligendis Regibus rationem haberent. Eluceſcit hæc pactorum ſemel initorum apud Hungaros ſancta obſervantia e plurimis Diplomatum, Scriptorumque cum veterum, tum recentiorum locis, ac ipſa Regum Genealogia adeo evidenter, ut mirum ſit, fuiſſe aliquos, qui nuper adhuc aſſerere non dubitarunt, fuiſſe, eſſeque adhucdum apud Hungaros, qui Jus electionis a primordiis Regni ad Annum usque 1687. & 1723. conſtanter apud Populum fuiſſe, pertinaciſſime defendunt, pauciores cenſeri, quibus hæreditario Jure Arpadi Poſteros ſibi invicem ſucceſſiſſe viſum eſt. Vereor, ut in hanc Sententiam vel unus probæ notæ ſcriptor produci poſſit. Id verum eſt, hoc argumentum nondum in genuina luce poſitum, peculiarem Diſſertationem poſtulare.

Poſt obitum Andreæ III. cum Stirps Arpadiana in ſexu Virili penitus exſtincta fuiſſet, tres erant præcipui rami, per ſexum fæmineum ex eadem Stirpe deſcendentes, qui ad Coronam Hungaricam partim hoc ſanguinis Jure, partim Procerum, iis ſtudentium favore ſuffulti, aſpirabant. *Carolus* Robertus filius Caroli Martelli, filii Mariæ, filiæ Stephani V. *Wenceslaus* Bohemus, filius Wenceslai, filii Cunegundis, filiæ Annæ, filiæ Belæ IV. item: filius Wenceslai, filii Ottocari II. filii Wenceslai, filii Conſtantiæ, filiæ Belæ III. Sororis Andreæ II. demum *Otto* Bavarus filius Eliſabeth, filiæ Belæ IV. Regum Hungariæ.

Cl.

Cl. St. Katona Hiſtoriæ Crit. Tom. VIII. pag. 1. de jure prætendentium iſtorum ſequentia ſcribit:

„Quamvis exſtincta Virili Stirpe Regum ex
„ Arpadiana domo, Hungari hæreditarium ſucce-
„ dendi jus in fæminis non agnoverint, libertate
„ tamen eligendi Reges ita deinceps uſi ſunt, ut
„ præcipuam Sanguinis Arpadiani per ſequiorem
„ Sexum propagati, rationem habendam eſſe, ſem-
„ per exiſtimaverint. Neque vero ſemper eosdem
„ Arpadiano Sanguini genere materno propinquio-
„ res exterarum Familiarum Principes remotiori-
„ bus antetuliſſe, prima ſtatim electio libera Re-
„ gis oſtendit. Nullus enim genere materno pro-
„ pius Arpadianam Stirpem contigit Ottone Ba-
„ varo, (qui Matrem Eliſabetham Belæ IV. filiam
„ habuit,) Hungari tamen iſto primum neglecto,
„ quum alii Carolum Robertum Mariæ Hungaræ
„ Stephani V. filiæ Nepotem admiſiſſent, plures
„ in Wenceslaum Bohemum, Annæ Hungaræ Be-
„ læ IV. filiæ peræque Nepotem vota ſua tranſtu-
„ lerunt.“

Et pag. 91.

„Quum Otto his progenitoribus ortus, tanta
„ neceſſitudine Sanguinis Arpadianam Stirpem con-
„ tigerit, ut ille duntaxat ex Aemulis Avum Hun-
„ gariæ Regem habuerit; illum Hungari Regem
„ eligere debuiſſent, ſi genere materno propin-
„ quiores Arpadiano Sanguini Principes remotiori-
„ bus anteferendos agnoviſſent. Quum igitur hac
„ lege nunquam ſe teneri cenſuerint, ad tuendam
„ electionis libertatem plerique vota ſua primum
„ in Wenceslaum ſeniorem, qui non Avum, ſed
„ Proavum eundem Belam IV. habuit, contulerunt,
„ eoque recuſante tandem in ejusdem filium con-
„ ſenſerunt. Poſtquam iſte quoque ſuis in Hun-
„ gariam juribus a morte Patris Bohemiam, et Po-

„ loniam

„ loniam adeptus, renunciaſſet, ne ſi Carolus e
„ Pontificis declaratione Rex admitteretur, gra-
„ viſſimum electionis juri præjudicium crearetur,
„ multi Proceres Ottonem Bavarum Regem deſi-
„ gnarunt.

Ego vero exiſtimo ſecundum principia Juris Publici, & conſuetudinem apud nos obtinentem, Carolo proximum ſucceſſionis jus per Sexum fæmineum competiiſſe; nam licet Otto propius contigerit Belam IV. Wenceslaus plane Belam III. adeoque iſte per propinquiorem ſtipiti ramum propagatus fuerit, Carolus tamen proximus fuit Stephano V. ultimo inter eos regnanti, quo adhuc proximius jus habiturus erat, ſi quis a Ladislao IV. aut Andrea III. per Sexum fæmineum deſcendiſſet, talis ordo ſuccedendi linealis Auguſtæ Domus Auſtriacæ in Hungaria ſtabilitus eſt Art. 2. §. 5. 6. & 7. Anni 1723. qui ſecundum calculum Cl. Katona plane inverſus eſſe debuiſſet,

SUB CAROLO I. REGE.

„ In Imperio *Andreæ* III. quidam Nobiles
„ Regni, Johannes ſcilicet, & Henricus Banus,
„ filii Henrici, ac Ugemus (Ugrinus) filius Pouch
„ de Wylak, aliique quam plures in præjudicium
„ Regis Andreæ a Papa Bonifacio VIII. Regem
„ petierunt; quorum inſtantiam Papa admittens,
„ quemdam puerum XI. Annorum nomine Ca-
„ rolum Anno Domini MCCXCIX. vivente ad-
„ huc Andrea Rege in Hungariam deſtinavit.
„ Cujus Caroli generatio, & origo tali modo ha-

Q be-

„ betur: Rex Stephanus V. filius Belæ IV. Re-
„ gis Hungariæ inter alias filias habuit unam no-
„ mine Mariam vocatam, quam Carolo Claudo,
„ filio Caroli M. (I.) qui ex Donatione Eccleſiæ
„ fuit Rex Siciliæ, tradiderat in uxorem; qui Rex
„ Carolus Claudus ex illa filia Stephani Regis ge-
„ nuit Carolum Martellum nomine, Carolus vero
„ Martellus ex filia Imperatoris Rodolphi Clemen-
„ tia nomine genuit filium, quem primo in terra
„ ſua vocaverunt Carobertum, quaſi Carolum Ro-
„ bertum, in Hungaria autem ablato Roberto,
„ ipſum Hungari Carolum vocaverunt. Ut autem
„ iſte Carolus regnare valeret, & contra Andream
„ Regem poteſtatem accipere, Papa Legatos unum,
„ & alium de latere ſuo, contra Regem Andream
„ pro Carolo deſtinavit, qui nihil agere valentes,
„ ad propria redierunt.

„Interim Anno Domini MCCCI. in feſto S.
„ Felicis Idem Rex Andreas in Caſtro Budenſi re-
„ quievit in Domino. Poſtea mortuo Rege An-
„ drea Barones Regni eodem Anno in duas par-
„ tes celerius dividuntur, ita, quod Mathæus, O-
„ modæus, & Ugrinus potentiſſimi Principes in
„ Regno, ac alii Nobiles quamplures, Carolo
„ puero adhæſerunt, & eum Regem nominabant
„ verbo, ſed non facto.

„Dominicus vero filius Stephani dicti Porch,
„ Magiſter Thavarnicorum quondam Regis An-
„ dreæ, Demetrius filius Nicolai, Henricus filius
„ Henrici, Viri valde Magnifici, cum Joanne Ar-
„ chi-Epiſcopo Colocenſi, & Andrea Epiſcopo
„ Agrienſi, Emerico Epiſcopo Varadienſi, Haab
„ Epiſcopo Vacienſi, Anthonio Epiſcopo Chana-
„ dienſi, Nicolao Epiſcopo Boznenſi, & Jacobo
„ Epiſcopo Scepuſienſi, cui usque vitam fuerat
„ conceſſus Epiſcopatus, in Menſe Julio verſus
„ Bohe-

„ Bohemiam proceſſerunt ad Regem Wenceslaum,
„ ut Regni ſuſciperet gubernacula Hungarorum,
„ ne Regni liberi libertatem amitterent in ſuſce-
„ ptione per Eccleſiam dati Regis. Ad ipſum au-
„ tem Regem Bohemiæ ob hanc rationem poſue-
„ runt greſſus ſuos, quia Rex Otthocarus, qui per
„ Regem Ladislaum fuerat interfectus, habuit in
„ Uxorem filiam Dominæ Annæ, filiæ Belæ Regis
„ IV. qui ex ea genuit filium nomine Wenceslaum,
„ qui regnavit in Bohemia Patre mortuo multis
„ Annis. Qui Wenceslaus venire noluit, ſed fi-
„ lium ſuum ex filia Imperatoris Rudolphi pro-
„ creatum, & genitum nomine ſimiliter Wences-
„ laum in quadam Villa Godin vocata, circa Mo-
„ ravam ex parte Bohemiæ, quo præfati Nobiles,
„ & Epiſcopi convenerant, in Regem Hungaris
„ tradidit naturalem. Et ipſi confectis Inſtrumen-
„ tis Literarum, & roborato Fidei Sacramento u-
„ nanimiter ſuſceperunt. Abhinc *Te Deum lau-*
„ *damus* altiſſime proclamantes, ad Albam Civi-
„ tatem Regiam devenerunt. Ubi Joannes Archi-
„ Epiſcopus Colocenſis cum Epiſcopis aliis ſuperius
„ nominatis honorifice eum coronarunt; Sedes
„ namque tunc Archi-Epiſcopatus Strigonienſis
„ vacabat. Inde Budam venerunt.

Joannes de Thurócz Chron. Part. II. Cap. LXXXII. — LXXXIV. Idem narrat Dlugoſſus L. IX.

„ Contigit autem Anno eodem 1301. Andream
„ Hungariæ Regem 14. die Menſis Januarii in
„ Caſtro Budenſi excedere ex hac vita. Qui cum
„ nullum Hæredem in maſculo, aut fæminino Se-
„ xu reliquiſſet, inter Prælatos, & Barones Hun-
„ gariæ, tractatu de ſurrogando altero Rege, ce-
„ lebrato, gravis diſſenſio exorta eſt. Et aliis

„ quidem placebat Wenceslaum Poloniæ, & Bo-
„ hemiæ Regem, quod Avia ſua, Soror Regis
„ Hungariæ Andreæ (II.) exſtiterat: aliis Carolum
„ Martelli Regem Siciliæ - - - quod is Regem
„ Hungariæ Andream ſtrictiori affinitate, velut
„ Nepos ſuus Germanus ex ſorore Maria genitus
„ contingebat, in Hungariæ Regimen aſſumi.

Anonymi Chronicon Bohemicum, quod Chronico Pulkavæ quaſi compendio refertur, ejusdem Wenceslai electionem, & Coronationem ſequentibus narrat:

„ Anno D. 1301. Andreas Rex Hung. deceſ-
„ ſit, poſt ſe Liberis de corpore ſuo non relictis:
„ & quod Wenceslaus Bohemiæ Rex, dicto Regi
„ Andreæ affinitate junctus erat, ex eo, quod Proa-
„ via ſua Soror ejusdem Regis Andreæ (II.) ex-
„ ſtiterat, Prælati, Principes, & Barones Regni
„ Hungariæ ſolennes Nuncios ſuos miſerunt ad
„ Wenceslaum Regem Bohemiæ, ſignificando ſibi,
„ quod ipſum concorditer ſuum in Regem elege-
„ rint, ſupplicaruntque ſibi, ut ſe de Regno Hun-
„ gariæ intromitteret, & tanquam Rex electus con-
„ corditer poſſeſſionem ejus acciperet. Rex vero
„ Wenceslaus hoc audito, & Conſilio deſuper ha-
„ bito, dedit eis in Regem unicum filium ſuum
„ Wenceslaum, quem cum Gutta Regina genue-
„ rat, Juvenem XII. Annorum, quem ſecum acci-
„ pientes læti ducunt Hungariam, qui ſtatim, dum
„ ibi advenit, cum gaudio multo ſuſcipitur, Rex
„ Hungarorum efficitur, & juxta morem Regum
„ Hungariæ conſecratur, & etiam coronatur in
„ Civitate Budæ, & quaſi totius Hungariæ Regni
„ pacifica poſſeſſione potitur.

Budæ

Budæ Comitia Electoralia, Albæ Inauguralia Wenceslai celebrata eſſe, tum conſuetudo ipſa, tum Dlugoſſus ſequentibus verbis docet, quibus ſimul cauſam tradit, cur Wenceslaus Pater filio itidem Wenceslao Regnum ſibi delatum ceſſerit.

„ Wenceslaus Rex ſenem ſe, & morti proxi-
„ mum attendens, omniaque filio, quam ſibi ma-
„ lens, Wenceslaum filium unicum ex Britta prio-
„ re Sponſa genitum, in duodecimo anno conſti-
„ tutum, Hungariæ Legatis, id nomine aliorum,
„ & petentibus, & approbantibus, in Hungariam,
„ ſtipatum inſigni Militum robore transmittit, qui
„ a Prælatis, & Baronibus Hungariæ, partem ſuam
„ ſequentibus magna hilaritate exceptus, in Albam
„ Regalem deductus, & illic ex more per Colo-
„ cenſem Archiepiſcopum - - - coronatur.

Mathæi Palatini de genere Chák in Hiſtoria vulgo Trenchinienſis dicti, quem nec Thuroczius P. II. C. LXXXIV. ſuperius relato, nec Dlugoſſus inter Wenceslai Fautores numerant, quive deinceps Caroli I. acerrimus Adverſarius erat, opera Wenceslaium in Hungariam inductum eſſe, patet ex Diplomate ipſius Wenceslai (qui forte, ut ſibi Hungarorum animos eo etiam conciliaret, Ladislai quoque nomen adoptaverat) quo eidem Mathæo de Chák Caſtrum, & Comitatum Trenchinienſem jure hæreditario in perpetuum poſſidendum, contra Andreæ II. Decreti 1222. Art. 16. contulerat ex Coll. Dipl. MSS. C. Franciſci Széchényi T. I. N. 67. edito a Steph. Katona Hiſt. Crit. T. VIII. p. 29. ex MSS. Cornideſianis, ubi

ſimul & electionis ſui, & Coronationis Albæ Regali peractæ ſequenti clauſula meminit:

„ Nos in recompenſationem ejusdem Fidelitatis, & obſequiorum, ac ſpecialiter pro eo, „ quod idem Mathæus Palatinus dum adhuc eſſemus in Bohemia primus, & præcipuus inter „ omnes Regni Hungariæ Nobiles, ſuo Conſilio, „ & auxilio Nos promovit, & ſollicite procuravit, ut eligeremur in Regem Hungariæ, Nosque „ ſuis providis, & fidelibus perſuaſionibus, ad dignitatem Regii culminis invitavit, ac in ipſum „ Regnum Ungariæ manu ſua, ac amicorum ſuorum potentia introduxit. Ubi poſtquam in Alba „ Regali ipſo Mathæo maxime procurante, ſacro „ ſanctum, & Inclytum ſuſcepimus Diadema infra „ eiusdem Noſtræ Coronationis ſolennia honorifice, & decenter ante alios, & præ aliis ſua Nobis exhibuit obſequia, & oſtendit.

Quo præciſe Menſe, & die Wenceslaus Albæ coronatus ſit, nec Hiſtorici prodiderunt, nec e Diplomatibus hactenus erutum eſt; die 12ma Auguſti nondum fuiſſe Coronationem peractam, patet e Diplomate Wenceslai Patris, quo Magiſtro Kakas de genere Ratolth Villam Varkun ad Titiam exiſtentem confert, ex MSS. Wagner apud Katona Hiſt. Crit. T. VIII. p. 10. in quo coronationis filii ſui tamquam adhuc futuræ ita mentionem facit.

„ Promittentes, ut cum idem dilectus filius Noſter in Regem Ungariæ coronatus fuerit, hujusmodi collationem Noſtram, & ſuam, ſuo Privilegio confirmabit. - - - Dat. in Kochin, A. D. „ MCCCI. II. Id. Aug.

At

At vero longe ante diem 18. Octobris ejuſdem Anni, & probabiliter Menſe Septembri coronatum fuiſſe oportet, cum Bonifacius VIII. PP. in Literis ad Nicolaum Oſtienſem Epiſcopum in Hungariam Legatum Laterani XVI. Kal. Nov. datis ex Raynaldo ad A. 1301. apud Katona Hiſt. Crit. T. VIII. p. 12. jam peractæ Coronationis meminerit, adeoque ea ſaltem tanto tempore præcedere debuerit datum harum Literarum, ut Pontifici innoteſcere, hic vero de nova Legato Inſtructione præſcribenda conſilia inire potuerit.

„ Verum poſt tuum diſceſſum a Nobis (ſcribit Pontifex Legato) ad notitiam Noſtram fide
„ digna relatio, ſed nimis amara perduxit, quod
„ V. Fr. noſter Colocenſis Archiepiſcopus - - - -
„ ſtipatus nonnullis Epiſcopis, & Eccleſiarum Prælatis, ac Baronibus dicti Regni - - - dilectum
„ filium Wenceslaum natum cariſſimi in Chriſto
„ filii Noſtri Wenceslai Bohemiæ Regis illuſtris,
„ in Regem ejusdem Regni Ungariæ de facto, cum
„ de jure non poſſet, coronare præſumpſit - - - .
„ Nec attendit dictus Archiepiſcopus, quod nunquam ad ſe, vel Prædeceſſores ſuos, Colocenſes Archiepiſcopos, Regum Ungariæ Coronatio,
„ de jure, vel conſuetudine pertinuerat, nec aliquatenus pertinebat, ſed hujusmodi Reges ſolent per Strigonienſem Archiepiſcopum, qui eſt
„ pro tempore, coronari, ut non proſequamur ad
„ præſens, quomodo nec ex ſucceſſione, ſeu jure
„ aliquo, quod occurrat, Regnum ipſum debebatur Wenceslao nato prædicto, ſuper quibus in
„ dubio ſaltem Nos, vel te, qui gerebas in illis
„ partibus Vices Noſtras, conſulere debuiſſet - - -
„ maxime cum Magnificus Vir Carolus, Nepos

„ Ca-

„ Cariſſimi in Chriſto filii Noſtri Caroli Siciliæ Re-
„ gis illuſtris, per dilectum filium Strigonienſem
„ electum, & Adminiſtratorem autoritate Noſtra
„ in Spiritualibus, & temporalibus Strigonienſis
„ Eccleſiæ conſtitutum, & in ejusdem Regni Un-
„ gariæ Regem fuiſſet antea coronatus.

Eadem ingeminat idem Bonifacius in Literis Laterani XIV. Nov. ad Wenceslaum Bohemiæ Regem datis, ex eodem apud eundem l. c. p. 16.

„ Quod dilectus filius Wenceslaus natus tuus
„ in Regem Ungariæ ſit aſſumptus; & a Colocen-
„ ſi Archiepiſcopo, & nonnullis ſibi complicibus
„ paſſus eum fueris coronari. Utinam diſcuſſiſſes,
„ ex quo capite, ex quo jure, qua ſucceſſione,
„ quo titulo præfatus natus tuus ad ipſius Regni
„ regimen ſit aſſumptus, & quomodo Coronam ab
„ eo recipere debuit, qui auctoritatem Reges Un-
„ gariæ coronandi non habebat, de conſuetudine,
„ vel de jure.

In aliis Literis ad eundem Wenceslaum datis, quibus eum ad discuſſionem hujus Litis evocat, aperte profitetur, quod

„ A tempore obitus claræ memoriæ Ladislai
„ Regis Ungariæ, ac deinde dum Andreas in eo-
„ dem Regno ſe pro Rege gerebat, cariſſima in
„ Chriſto filia Maria Regina Siciliæ illuſtris ad ſe,
„ ac dilectum filium Nobilem Virum Carolum Ne-
„ potem ejus, præfatum Regnum aſſeruerit, & ad-
„ huc aſſerat pertinere de jure.

Non obſcure hic Pontifex prodit, Andream III. ſe pro legitimo Rege nequaquam agnoſcere, quaſi vero ab ejus arbitrio dependiſſet, quis pro legitimo Rege alicujus independentis, & potentis,

ple-

Digitized by Google

plenaque libertate fruentis Gentis habendus ſit, præſertim cum Pontifex ignorare non potuerit, paulo ante, Anno videlicet 1298. in publico Regni Conventu ſolenni Decreto Art. 1. ſtatutum eſſe.

„ Ut Andream ex Regali ſtirpe deſcendentem „ revereamur tanquam Dominum Regni Naturalem.

Neſcio ſane quibus rationibus Pontifex adductus Andreæ III. Andreæ II. ex Stephano filio Poſthumo Nepoti, & unico ſtirpis Arpadianæ ſuperſtiti Maſculo jus ſucceſſionis ita controvertere potuerit, ut illi Carolum per ſexum fæmineum duntaxat ſtirpi Arpadianæ tertio, vel quarto gradu vicinum anteferendum judicaret. Sed pejus adhuc Capitulum Strigonienſe de Jure ſucceſſionis Andreæ III. ſenſit in Literis apud Pray Hierarch. Eccl. P. II. p. 171. & inde Katona Hiſt. Crit. T. VIII. p. 8. & 75.

„ Cum Regnum Succeſſione Regia per Lineam „ Maſculinam poſt mortem Regis Ladislai bonæ „ memoriæ fuiſſet deſtitutum, & quidam inique „ agentes Wenceslaum filium Regis Bohemiæ Wen„ ceslai Juvenculum introduxiſſent in Regnum ad „ præjudicium, & ſcandalum Excellentiſſimi Prin„ cipis D. Caroli illuſtris Regis, pro quo jam du„ dum SS. Pater Bonifacius VIII. SS. Romanæ Ec„ cleſiæ ſummus Pontifex ordine Judiciario de „ Conſilio Fratrum ſuorum V. V. PP. Cardinalium, „ ut ipſe Carolus tanquam verus Hæres ſuccede„ ret in Regnum Hungariæ legitimis ex cauſis de„ derat, & protulerat Sententiam definitivam. - - „ Dat. in Feſto OO. SS. A. D. 1304.

Non

Digitized by Google

Non ſatis ſibi ſenſus Capituli Strigonienſis conſtat; inprimis enim totum Decennium, quo Andreas III. ab obitu Ladislai IV. regnavit, ita diſſimulat, quaſi eo ne quidem exiſtente ſtatim Carolus ſucceſſiſſet, aut ſuccedere debuiſſet, deinde queritur hic, quod licet Pontifex pro Carolo Sententiam tulerit, Wenceslaus tamen *tactus dolore Cordis . . . intraverit Regnum Hungariæ, ut filium ſuum violenter in Regem Hungariæ faceret coronari;* cum tamen, ut vidimus jam Menſe circiter Septembri Anni 1301. Wenceslaus coronatus fuerit, Pontifex autem nonniſi Anno 1303. II. Kal. Jun. Anagniæ Sententiam pro Carolo contra Wenceslaum tulerit, quam Katona Hiſt. Crit. Tom. VIII. p. 39. ex Coll. Bullarii Coquelini refert, in qua ſequentia Noſtram ad rem deſervientia occurrunt.

„ Maria Regina Siciliæ in eodem Regno Un-
„ gariæ tamquam Hæres proximior habere ſe jus
„ aſſerebat, & aſſerit, & dilectus filius Vir Caro-
„ lus Nepos ejus Regnum ipſum in parte non mo-
„ dica ex perſona jam dictæ ſuæ paternæ Aviæ
„ poſſidebat, & poſſidet, de quo etiam in Stri-
„ gonienſi Eccleſia juxta ritum antiquum Ungariæ
„ per perſonam idoneam regale ſuſceperat Diade-
„ ma. - -. Quia etiam quondam Carolus ipſius
„ Reginæ primogenitus dicti Caroli Genitor habi-
„ tus eſt (regnante Andrea III.) quaſi communi-
„ ter, & præcipue per Romanam Eccleſiam pro
„ Hungariæ Rege, dum vixit, nec ex parte dicto-
„ rum Bohemiæ Regis, & filii de Jure competen-
„ te ipſis in Ungariæ Regno prædicto allegatum
„ eſt aliquid, vel aſſertum, niſi ſola electio, quæ
„ de

Digitized by Google

„ de ipſo filio Regis facta proponitur, quæ pro-
„ cul dubio diverſis ex cauſis, prout rationum
„ prima facies indicat, minus legitima, imo pror-
„ ſus inutilis eſſe videtur, eo maxime, quod ſicut
„ ſcripti Canonis ſeries aperiet, *Regnum ipſum*
„ *Ungariæ ſucceſſionis jure provenit*, *electionis*
„ *arbitrio non defertur*.

Eodem Anno 1303. hanc ſententiam Executioni mandaturi quidam Epiſcopi, videntur in favorem Caroli uspiam Conventum celebraſſe, uti e ſequentibus eorundem ad Tranſylvanos datis Literis, quarum Originale membranaceum habetur in Tabulario Regni Tranſylvaniæ Alba-Carolinenſi N. 4. editis e MSS. Cornideſianis apud Katona H. C. T. VIII. p. 59.

„Gregorius Divina, & Apoſtolica Gratia Strigo-
„ nienſis, et Albenſis Eccleſiæ Electus, & Stephanus
„ per eandem, Colocenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, nec
„ non cæteri Epiſcopi omnes in regno Hungariæ exi-
„ ſtentes, univerſis Nobilibus in partibus Tranſylvanis e-
„ xiſtentibus, & Sacerdotibus eorundem, ſinceram in
„ Domino caritatem; Latere Vos non credimus, qua-
„ liter poſt mortem Regis Andreæ, & antea Regnum
„ Hungariæ incepit fluctuare, quod poſt mortem ipſius
„ Regis Andreæ claruit manifeſtius, quod Baronibus
„ inter ſe diſſentientibus, diverſis inducti voluntatibus,
„ diverſos Duces ad Regimen Regni Hungariæ addu-
„ xerunt, & qualiter una pars, vel reliqua, Ducem pro
„ ſe introductum coronari fecerint, nec hoc Vos ſcire
„ dubitamus, per quas Coronationes qualis diſſenſio in-
„ ter Regnicolas creverit, ſimiliter ſcire Vos non igno-
„ ramus, ſi Divina Clementia, quæ in ſingulis quibus-
„ que rebus, ſicut miſericorditer, ſic & pie diſponere
„ conſuevit ex nimia pietatis munificentia in hoc Re-

gnum

Digitized by Google

„ gnum Rectore deſtitutum, oculos ſuæ pietatis conver-
„ tens Domini Bonifacii S. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
„ ſummi Pontificis cor illuſtravit, & illuſtrati cordis
„ oculos aperuit, qui diligenti ductus ſollicitudine,
„ miſeriæ hujus Regni compatiens, unius cujusque Du-
„ cis coronatione intellecta, alteram, quæ per Præla-
„ tum Eccleſiæ Strigonienſis in Perſona D. Regis Ka-
„ ruli facta fuerat, tanquam ab eo factam, qui hujus-
„ modi jus habuit coronandi, & non alius præter eum,
„ approbavit, & approbando confirmavit, alteram ve-
„ ro omnino annullavit, deditque Nobis in Mandatis,
„ ut Nos in vnum venientes, hujusmodi approbatio-
„ nem, & approbationis confirmationem per Eccleſiam
„ Romanam factam, toti Regno publicaremus, & ommes
„ Regnicolas ad hoc induceremus, ut eidem D. Regi
„ Karulo tamquam Domino Regni, & rite coronato
„ obedirent, debitæ fidelitatis ſervitia illi, & non al-
„ teri impendendo. Contrarium vero facientes per Ex-
„ communicationem, & Interdictum ad illi obedien-
„ dum arctaremus; Nos ideoque prout ex obedientia,
„ qua Sanctæ Romanæ Eccleſiæ tenemur, ad Locum
„ per Dominum Cardinalem pro hujusmodi publica-
„ tione facienda, deputatum convenimus, & invocata
„ Spiritus Sancti gratia, habitoque Tractatu cum Ba-
„ ronibus, & multis Regni Nobilibus ipſum Dominum
„ Regem Karulum Dominum Regni pari voluntate no-
„ minavimus, in eos nihilominus, qui a fide eidem
„ Regi Karulo præſtita ſe retraxerint, ſententiam Ex-
„ communicationis, ut in - - - - Spales in univerſi-
„ tates autem, ut eſt Veſtra, ac etiam, & in Civita-
„ tes in liberas Villas, quæ contrariam partem tenen-
„ do, eidem Regi Karulo, recepta certitudine per No-
„ ſtram, vel aliorum veridicam relationem de hujus-
„ modi publicatione per Nos facta, nollent obedire,
„ ſententiam interdicti promulgavimus, Univerſitatem
„ ideoque Veſtram auctoritate præſentium exortamur,
„ ut remotis omnibus dubietatibus, quæ hactenus Vos

„ inu-

„ inutiliter detinuerunt, corde fideli Domino Veſtro „ Regi Karulo obedire debeatis, ne propter Veſtram „ inobedientiam Interdictum, quod auctoritate Domini „ Legati, & Noſtra propter hoc eſt promulgatum, in- „ curratis. — Alioquin Vobis Sacerdotibus firmiter da- „ mus in Mandatis, ut hujusmodi Interdictum per Nos „ promulgatum propter Plebejanorum Veſtrorum ino- „ bedientiam firmiter debeatis obſervare, niſi concor- „ diter eundem Regem Karulum Regem Hungariæ rite „ coronatum ſuum proclamaverint eſſe Dominum, & „ poſt hæc ſtatim per idoneos Nuncios eorum in præ- „ ſentia latorum præſentium ad hoc deſtinatos, eun- „ dem Dominum Noſtrum, & Veſtrum, ut Dominum „ ſuum naturalem cum omni obedientia fecerint viſi- „ tari, Jura Regalia hactenus ſibi denegata, illi ad ple- „ num adminiſtrando, præſentes autem Literas Veſtræ „ Univerſitati ſub Sigillis Domini Gregorii Strigonien- „ ſis Electi, & Domini Stephani Archiepiſcopi Colo- „ cenſis, qui de Curia Romana recenter eſt reverſus, „ duximus transmittendas.

Extrinſecus manu, atramentoque recentiori ſequentia erant adſcripta a tergo Verba: Eſztergami Érſek Levele, hogy Kátolyt válaſzák Királynak a Magyarok; mert a Pápa is azt valaſztotta.

Exſcripſi e membrana authentica, adſervata in Regio Tabulario Alba-Carolinenſi. Et Nro 4. Alba-Carolinæ die 2. Auguſti 1775. D. Cornides.

Bonifacius tam in Literis ad Oſtienſem XVI. Kal. Nov. 1301. datis, quam in Sententia II. Kal. Jun. 1303. lata meminit Caroli per idoneam Perſonam nempe Adminiſtratorem Archiepiſcopatus Strigonienſis coronati, ſed Coronatio hæc nec in Comitiis, neque ordinaria Corona, neque ut videtur,

detur, intra Limites Regni peracta fuerit, licet neſcio, quo ſenſu Pontifex in Sententia prætendat Carolum *in Strigonienſi Eccleſia Regali ſuſcepiſſe Diadema*, quam Carolus adhuc nunquam viderat, quaſi Gregorius etiam extra Regni Limites conſtitutus, ſolus Strigonienſem Eccleſiam effeciſſet. Atqui perſona hæc idonea ille ipſe factioſus, nec unquam confirmatus, ut Katona Hiſt. Crit. T. VIII. p. 7. agnoſcit, Gregorius eſt, qui jam ſub Andrea III. in Comitiis expreſſa Lege pro legitimo Hærede, & Rege Hungariæ agnito, tum Regi ipſi, tum cæteris Prælatis, ac Baronihus, & omnibus Statibus, & OO. in Comitiis congregatis, adeoque toti Regno moleſtiſſima negotia faceſſivit, ut ex Inſtrumento Appellationis contra eundem ſuperius ad Annum 1299. producto patet, ex quo etiam eluceſcit, cur Capitulum Strigonienſe Andream in Inſtrumento paulo ante provocato, ne quidem in ſerie Regum cenſeat.

Anno 1304. Menſe Auguſto Poſonii Conventum aliquem Procerum Carolo præſente habitum fuiſſe, colligi poſſe videtur e geminis Inſtrumentis Prælatorum, & Procerum, ac ipſius Caroli ſuper foedere cum Rudolpho Auſtriæ Duce inito, quæ Katona Hiſt. Crit. T. VIII. p. 77. & 79. protulit.

Anno 1306. Regnicolas Comitia egiſſe, ac in illis etiam in publicum aliquid conſtituiſſe, diſcimus ex Ant. Szereday Epiſcopis Tranſylv. pag. 60. Ibi Joannes Prior, & Conventus Prædicatorum

Digitized by Google

rum Albæ in Tranſylvania tranſumit Petri Epiſcopi Tranſylv. Inſtrumentum Appellationis ad Papam contra Vincentium Archiepiſcopum Colocenſem Albæ Anno 1306. datum, in quo ſequentia leguntur:

„ Contra ordinationem omnium Baronum, & „ Nobilium de Regno Hungariæ, ut usque ad Octavas B. Georgii M. proxime venturas, nullæ Novitates, nullique Proceſſus fierent contra Barones, vel Nobiles in Regno Hungariæ exiſtentes.

Hæc Baronum, & Nobilium conſtitutio ſive ordinatio Anno 1306. aut hunc præcedente facta cum pluribus Legislationis Hung. monumentis in tenebris adhuc deliteſcit.

Anno 1307. Carolum per Proceres, & Prælatos Regni Hungariæ in Congregatione Generali conſtitutos condito publico Inſtrumento pro vero Hungariæ Rege agnitum fuiſſe patet ex eodem in Veſt. Comitior. p. 157. producto. Inter optimates ibidem commemoratos non occurrit Henricus filius Henrici Bani, qui ſe quidem eidem Regi cum Univerſitate ejusdem Regni Epiſcoporum, Baronum atque Nobilium, ſed in præſentia V. Patris D. Gentilis Card. A. S. Legati juramentum exhibuiſſe profitetur. Cum autem Gentilem Cardinalem Katona Hiſt. Crit. T. VIII. evincat ante finem Menſis Septembris Anni 1308. Budam vix veniſſe, exemplar autem Literarum ejusdem M. Henrici, quibus Carolum pro Rege recognoſcit ex Codice MS. Kollariano, quo Decreta quædam, & Diplomata Reg. Hung. continentur p. 271. a

me

me fideliter deſumptum pridie Non. Jun. ejusdem Anni 1308. referat, & tamen ante Coronationem emanatum eſſe ex contextu appareat, haud video, quomodo profiteri poſſit: *in præſentia D. Gentilis olim ſponte ſuſcepimus.* Profero itaque hoc Inſtrumentum per extenſum Lectoribus interim rationes temporum relinquens, dum plura Comitiorum acta detegamus.

„Magiſter Henricus filius Henrici Bani ad perpe„tuam rei memoriam. Fidei virtus eſt, quæ & re„gnantis Imperium dirigit, & obedientiam nobilitat „ſubjectorum, ut tanto quisque reddatur clarior, quan„to in ipſius obſequium fidei ſtuduerit perſeveranter „exerceri, Hoc igitur bonum ex animo aſſequi cu„pientes, licet Excellentiſſimo Domino noſtro Domi„no Carolo illuſtri Regi Ungariæ, quem ad ipſius Re„gni jura cum Univerſitate ejusdem Regni Epiſcopo„rum, Baronum, atque Nobilium in præſentia Vene„rabilis Patris Domini Gentilis, DEI Gratia tituli S. „Martini in montibus Presbyteri Cardinalis, Apoſto„licæ Sedis Legati, olim ſponte ſuſcepimus fidelitatis „exhibuerimus Juramentum, quod & Deo auctore in„violabiliter obſervamus ob ſolemnitatem tam votivæ „Coronationis præfati Domini Noſtri Regis, idem fi„delitatis Eulogium devoto animo innovantes, pro No„bis, Noſtrisque Hæredibus, itemque Nobilibus quo„modolibet ſub Noſtro regimine conſtitutis, nec non „pro Magiſtro Nicolao filio Magiſtri Gregorii Nepote „Noſtro, cunctisque ad ipſum pertinentibus in dictam „Domini Noſtri Coronationem fiendam auctoritate „præfati Domini Legati cum Corona, quam ipſe no„vam benedici faciet, eo, quod antiqua Regni Co„rona haberi non poteſt, locoque ſi forte ratione præ„via propter viarum diſcrimina, vel aliam cauſam in

„Albam,

„ Albam, vbi ex more hujusmodi Coronatio fieri con-
„ ſuevit, accedere minime videretur, ac tempore, qui-
„ bus ipſe decreverit, alacri animo conſentimus, etiam-
„ ſi propter cauſas aliquas Nos adeſſe perſonaliter non
„ contingat, & eidem Domino Noſtro Regi promitti-
„ mus in omnibus ſecundum jura Regni Ungariæ fi-
„ deliter obedire, vocati ad ipſum accedere, quo mi-
„ ſerit pergere, ac ad edomandos Rebelles pro no-
„ ſtræ facultatis modo ad ipſius imperium fideliter de-
„ certare, ſuper quibus in manibus præfati Domini
„ Legati in præſentia Venerabilium Patrum Domino-
„ rum Thomæ Strigonienſis, & Vincentii Colocenſis
„ Archiepiſcoporum, Fratris Auguſtini Zagrabienſis,
„ Gregorii Bosnenſis Epiſcoporum, & Nicholai po-
„ ſtulati Eccleſiæ Jaurienſis, itemque frequentia mul-
„ torum Nobilium, qui tunc Nobiſcum aderant, tam
„ pro Nobis, noſtrisque Hæredibus, ac ad Nos per-
„ tinentibus, quam pro Magiſtro Nicolao nepote no-
„ ſtro, ac ad ipſum ſpectantibus ſicut ſuperius eſt ex-
„ preſſum, Juramentum corporale præſtamus obligan-
„ tes, & ſponte ſuſcipientes, ut qui prædicta ſervare
„ non curauerit animo pertinaci, reatum incurrat, et-
„ iam pœnas omnes per præfatum Dominum Legatum
„ contra Rebelles hujusmodi promulgatas hactenus,
„ vel impoſterum promulgandas, & eas etiam, quas
„ infligere Leges Decreti pro læſæ Majeſtatis crimine
„ decreverunt. In quorum omnium perpetuam firmi-
„ tatem præſentes Literas noſtro Sigillo voluimus in-
„ ſigniri. Actum in Teten Veſprimienſis Diœceſis pri-
„ die Nonas Junii, Anno Domini M. CCC. VIII. &c.

Ad acta Comitiorum Rákoſienſium, ut vide-
tur, Anni 1308. pertinet etiam Auguſtini Gazo-
thi oratio in Comitiis Regni Hung. in Campo Rá-
kos ad Danubii ripas de eligendo Rege Carolo
Roberto habita, quæ commemoratur a Tomko

Epiſcopo Bosnenſi in vita Gazothi apud Sigism. Ferrarium vid. Alexii Horányi Mem. Hung. ſed eam Xyſtus Schier, & cum eo Steph. Katona Hiſt. Crit. T. VIII. p. 183. explodunt, & ad commenta ſequioris eloquentiæ Tomkonis referunt.

Coronatio Caroli Anno 1309. peracta, tum quod confecta nova, & inſolita Corona pro hoc actu adhibita, tum quod vetus conſueta interdicto Eccleſiaſtico ſubjecta fuerit, tum denique quod Gentilis inſolentius, quam quod generoſa Natio libertatibus ſuis mordicus inhærens, ab homine extero nuper Monacho ferre poſſet, Hungaris Leges præſcriberet, & ni obedirent, pænas intentaret, nullam in ſolio firmitatem pollicebatur; cum tamen Regno decumanis calamitatibus afflicto, pax pernoceſſaria eſſet, Thomas Archiepiſcopus ad Ladislaum Vaywodam Tranſylvaniæ, qui genuinam Coronam hactenus detinebat, profectus, effecit, ut hic ſolenni Inſtrumento ſub fidejuſſione Omodæi Palatini, & M. Dominici condito promitteret, ſe non ſolum Carolum pro legitimo Rege recognoſcere, ſed etiam Coronam reſtituere velle. Inſtrumentum hoc, quod ex Cod. MS. olim Kollariano, Decreta quædam, & Diplomata Reg. Hung. continente p. 275. deſumſi, licet Katona Hiſt. Crit. T. VIII. p. 203. ex Fridwalſzky Miner. Trans. p. 107. jam ediderit, hoc loco inſerendum eſſe exiſtimavi.

„Nos Ladislaus Waywoda Tranſylvanus, & Co„mes, de Zonuk præſentium per tenorem ſignifica„mus, quibus expedit univerſis, quod ab hac hora, „&

„ & die magna Dominum Carolum Dei Gratia Regem
„ Hungariæ recognoſcimus, & recipimus in Dominum
„ noſtrum naturalem, & legitimum, & eidem fideli-
„ ter aſſumimus tanquam Domino noſtro naturali
„ ſerviturum in perſona propria, & propinquis noſtris
„ univerſis, qui noſtrum Conſilium voluerint accepta-
„ re, & aſſiſtere eidem in omnibus, auxilio, conſilio,
„ & potentia, quam habebimus, & habemus, & tacto
„ vivificæ Dominicæ Crucis Signo in manibus Venera-
„ bilis Patris Domini Thomæ Archiepiſcopi Strigonien-
„ ſis, promittimus fide data, quod quandocunque Do-
„ minus noſter Rex ad partes illas venire voluerit,
„ ubi Nos erimus cum omni honore, & reverentia,
„ ſicut decet Dominum noſtrum recipiemus in omni
„ ſecuritate, eidem fideliter ſerviemus. Coronam et-
„ iam Regni ſui ad diem aſſignatum ad octavas Sancti
„ Johannis Baptiſtæ eidem reportabimus, vel ſi idem
„ Dominus Noſter ante prædictum Terminum quando-
„ cunque verſus partes Tranſylvanas venerit, eidem
„ exhibebimus, & reſtituemus, ita tamen, quod ipſo
„ die petitiones noſtras porrigemus, & petemus per
„ regalem munificentiam Nos diligi, & remunerari ſic-
„ ut decet per Regiam Majeſtatem. Item promiſimus
„ eidem reſtituere, & remittere argenti fodinam de
„ Rodna, Comitatum de - - - Comitatum de Leybu-
„ no, Comitatum Siculorum, Villas Decs, Clus, &
„ Zeheli cum Officio Cameræ, quod in eisdem Villis
„ haberi conſuevit. Ad quæ firmiter per prædictum
„ Ladislaum Waywodam tenenda, & attendenda Nos
„ Omodæus Palatinus, Magiſter Dominicus ſub pœna
„ perjurii obligamus ſub vivicæ Crucis ſigno Domini
„ una cum prædicto Ladislao Waywoda Venerabili Pa-
„ tri Domino Thomæ Dei Gratia Archiepiſcopo Stri-
„ gonienſi, ac Religioſo Viro Fratri Dyoniſio Lectori
„ de Ordine Fratrum Minorum Venerabilis Patris, &
„ Domini Fratris Gentilis Dei Gratia tituli Sancti Mar-
„ tini in Montibus Presbyteri Cardinalis, Apoſtolicæ

 „ Sedis

„ Sedis Legati Pænitentiario, & Capellano corporaliter præſtito Juramento. In cujus rei Teſtimonium, „ & perpetuam firmitatem noſtro, ac dictorum Omodæi Palatini, & Magiſtri Dominici Sigillis præſentes „ Literas fecimus communiri. Datum in Segnedino „ feria quarta proxima poſt Dominicam Judica. Anno „ Domini M. CCC. X.

Gentilis tamen interdictum non prius ſuſtulit, quam Corona per Ladislaum reſtitueretur, ut ex ejusdem Literis ad Epiſcopum Tranſylvanienſem de Interdicto, Corona Hungarica, & ſolutione pecuniaria Poſonii VI. Non. Maji 1310. datis patet, quæ inter MSS. Wagneriana Tom. IX. pag. 35. exſtant, & ex Magaz. Hung. ad A. 1781. P. I. p. 133. apud Katona Hiſt. Crit. T. VIII. p. 205. vulgatæ ſunt.

Carolus I. Rex in collationalibus ſuper Oppido Comarum pro eodem Thoma Archiepiſcopo datis in Lypna in Feſto ad Vincula S. Petri, A. D. 1315. ex MSS. Heven. Tom. R. p. 205. apud Pray Hyer. E. P. 1. p. 106. Koller H. E. Q. E. T. II. p. 315. Katona Hiſt. Crit. T. VIII. p. 297. editis tam conatus Thomæ Archiepiſcopi, quam Hiſtoriam difficultatum in adipiſcendo Regno, & duplicis ſui Coronationis compendio ſequentibus complexus eſt.

„ Cum in minoribus miniſtraret, incipiens „ primo tempore noſtræ pueritiæ in Apulia Nobis „ exiſtentibus tam apud Sedem Apoſtolicam, quam „ apud Barones Regni Hungariæ, procurans de „ noſtro introitu in Regnum Hungariæ plurima „ ſervitia fecit, & demum a toto eo tempore,

„ quo

Digitized by Google

„ quo in Regnum noſtrum Hungariæ jure geni-
„ turæ Nobis debitum introivimus, quando fere
„ omnes Barones Regni, vel major pars Nos pro
„ Domino Naturali recognoſcere renuebant, tum
„ in Legationibus, tum in aliis ſervitiis, & nego-
„ tiis noſtris procedendo, ſe, ſua, ac ſuorum
„ fortunæ caſibus exponendo - - - & conſequen-
„ ter, dum in apice ſuæ dignitatis exſtitit aſſum-
„ ptus, eo ferventius, quo devotius, quam præ-
„ ſens in promotione noſtri Regiminis idem V. P.
„ exſtitit ſollicitus, Barones, & Potentiores æmu-
„ los noſtros nunc lenibus inductionibus, & fi-
„ delibus perſuaſionibus, nunc Conſiliis, & ad-
„ monitionibus paternalibus, & Eccleſiaſticis ſum-
„ mæ inſtantiæ opere laborando, & cum per hanc
„ viam procedendo ipſos contumaces invenerit,
„ non ſe poſſe ſic proficere apud ipſos crederet
„ eo, quod his ſua pertinacia obſtinatos ad viam
„ veritatis revocare nequiret, gladium Eccleſiaſti-
„ cum exſerens, de clave Chriſti, clavem ferien-
„ do Eccleſiaſticam præparans, modo per ſe,
„ modo per ſuos ſuffraganeos, & alios Eccleſia-
„ rum Prœlatos, ſuos Subditos ipſos noſtros æmu-
„ los, & Rebelles percellere niſus exſtitit, & ipſo-
„ rum feritatem cenſura eccleſiaſtica innodare.
„ Qui quidem æmuli noſtri eo prætextu pejus
„ priore fauces ſuæ aſperitatis contra ipſum D.
„ Archiepiſcopum, & ſuam Eccleſiam adeo in-
„ hiaſſent, quod per damna, rerum ſpolia, &
„ combuſtiones, Oppidorum deſtructiones, & di-
„ rutiones Caſtrorum ſuorum, intolerabiles perſe-
„ cutiones perſonarum, & mortes hominum, ac
„ alias depopulationes, & deſolationes Poſſeſſio-
„ num, execrationes, & profanationes Eccleſia-
„ rum jurisdictoni ſuæ ſubjectarum afflictionem af-
„ flictioni immaniter addendo, ipſam S. Eccle-
„ ſiam Strigonienſem, Matrem videlicet Eccleſia-

Digitized by Google

„ rum aliarum Hungaricarum ad extremæ exinani-
„ tionis, & quaſi irreparabilis deſolationis oppro-
„ brium deduxerunt; Ipſe autem D. Archiepiſco-
„ pus ſic conſtanter, & perſeveranter in promo-
„ tione noſtri Regiminis perduravit, quod ipſum
„ non rerum damna, non caſus Poſſeſſionum, non
„ depopulationes Villarum, profanationes Eccle-
„ ſiarum, nec mortis minæ, non excidia Homi-
„ num, aut ſanguinum effuſiones, vel membro-
„ rum mutilationes, non aliorum periculorum ter-
„ rores, quæ in quemlibet conſtantem virum poſ-
„ ſent cadere, ab hujusmodi bonæ operationis
„ propoſito ipſum potuerunt revocare. Tandem
„ cum poſt hæc ſudoribus tantis ſui laboris in fa-
„ cto noſtri Regiminis proficere incepiſſet, facta
„ convocatione univerſorum Prælatorum ſuorum
„ ſuffraganeorum, ac aliorum, & Baronum Regni
„ noſtri fidelium, primo videlicet tempore D.
„ Gentilis tit. S. Martini in Montibus Presb. Card.
„ A. S. L. de latere miſſi, quia Corona S. Re-
„ gis Stephani Progenitoris noſtri, qua de more
„ Gentis Hungariæ Reges Hung. ſolent coronari,
„ per infideles, & illicitos detentores rapta de-
„ tinebatur, nova Corona ſpecialiter pro Nobis
„ fabricata, per eundem D. Legatum benedicta,
„ & auctoriſata per ipſum D. Thomam Archiepi-
„ ſcopum juxta conſvetudinem Regni noſtri ap-
„ probatam, & conſtitutionem ab ipſo D. Lega-
„ to, tunc de novo editam, quæ habet, ut non
„ niſi honorem noſtræ Coronationis Nos, & no-
„ ſtri Succeſſores per ipſum Archiepiſcopum ſu-
„ meremus, quemadmodum cæteri Reges noſtri
„ Anteceſſores habuerunt, ſolium regale conſcen-
„ dentes, ipſo novo Diademate exſtitimus corona-
„ ti. Et licet hujusmodi Coronationis modus
„ ſufficiens exſtitiſſet, ut opinioni tamen Gentis
„ Hungaricæ ſatisfieret, & ut ſcandalum de me-
„ dio

Digitized by Google

„ dio vulgi tolleretur, recuperata, & rehabita
„ per ſolitam curam ejusdem D. Thomæ Archi-
„ epiſcopi, ipſa Sacra Corona ab illicitis deten-
„ toribus rurſum in debito loco, videlicet in Al-
„ ba-Regali, ubi ſolitum eſt ab antiquo Reges
„ Hungariæ coronari, facta convocatione univer-
„ ſorum Prælatorum, & Baronum Regni noſtri
„ fidelium, obſervataque ſolennitate conſueta, &
„ a Progenitoribus noſtris conſtituta, ſolium no-
„ ſtri Regiminis conſcendimus, & de manibus e-
„ jusdem D. Thomæ Archiepiſcopi Diademate
„ regio, videlicet eadem S. Corona de novo ex-
„ ſtitimus coronati. Et quia bona conſvetudo
„ & approbata, & Juri conſona, rationique con-
„ ſentanea habet, ut Reges tempore ſuæ coro-
„ nationis, & inthronizationis in recognitionem
„ divini miniſterii Eccleſiæ Strigonienſi, a cujus
„ Antiſtite Diadema ſuæ coronationis, & munus
„ ſuæ inunctionis aſſumunt, manum regiæ mu-
„ nificentiæ illico aperiant, & oblationem dona-
„ tivorum manu regia largiantur.

Non eſt tamen Hungaria omni fructu harum converſionum penitus fruſtrata, nam ſub iſto Carolo, ac deinde Ludovico I. illius filio ita effloruit, ut inter potentiſſima Regna emineret. Inſolens etiam Gentilis Cardinalis, ac temeraria independenti, & alienum jugum ferre inſuetæ Genti Leges imponendi audacia Hungaros ita excitavit, ut deinceps influxum Aulæ Romanæ in interiora Reip. negotia vigili oculo obſervarent, neque facile paterentur, ſibi aliquid gravius imponi, licet ex obſervantia erga Sedem Apoſtolicam permulta diſſimularent, quemadmodum hæc ex Decreto ſub Sigismundo Rege Anno 1404. contra

Bul-

Digitized by Google

Bullatos edito Veſt. Comit. p. 199. ex Reſcripto Statuum in cauſa Præpoſituræ Demeſienſis Anno 1450. Veſt. Comit. p. 274. aliisque Actis, præſertim ſub Mathia Corvino, & Legibus deinceps conditis, quibus ſemet & populus, & Reges Hungariæ poteſtati tutelari Aulæ Romanæ ſenſim, ſed viriliter ſubtraxerunt, luculente patent. Certe ab illo inde tempore, ex quo S. Sedis Apoſtolicæ Legati, & Nuncii in Hungaria non reſident, pauciores illa ſemper ex Italis Prælatos habuit, plures domeſtici admoti ſunt, qui & in Legislatione meliores partes tuebantur, & magnis impendiis plurima ſalutaria Inſtituta, uti ſunt Scholarum, Seminariorum, Convictuum, Xenodochiorum, aliarumque piarum rerum Fundationes pro bono publico induxerunt, cum illi majorem proventuum partem ſuis extra Regnum ſuppeditarent, aut in alios utilitati Reip. minime deſervientes fines converterent.

Anno 1312. Comitia celebranda fuiſſe innuitur in quodam Inſtrumento compoſitionis inter Cives de Caſſa, & relictam Omodæi Palatini, ejusque filios coram D. Rege factæ ſequenti clauſula:

„Qui obſides per ipſos Cives de Caſſa detinebuntur usque feſtum Paſchatis nunc venturi, „videlicet, usque *tempus Congregationis D. Regis, & Regni*, & in ipſa Congregatione idem „D. Rex cum Prælatis Eccleſiarum, & cum fidelibus Baronibus Regni ſui habito Conſilio deliberabit, ſi prædicti obſides debeant ulterius detineri, vel remitti; ſi vero non contingat fieri

„Re-

„ Regni Congregationem Generalem, extunc D.
„ Rex advocabit Prælatos & Barones fideles, &
„ Nobiles Regni æquitatem ſervantes ad terminum
„ ſupradictum, & habito conſilio eorumdem, re-
„ mittentur, vel detinebuntur obſides ſupradicti
„ - - - Dat. Feria 6. poſt Octavas B. Michaelis
„ Archangeli in Autumno A. D. 1311."

Edidit hoc Inſtrumentum e MSS. Cornideſianis Steph. Katona Hiſt. Crit. T. VIII. p. 214. Cum ab Octavis B. Michaelis Anni 1311. ad Paſcha Anni 1312. longius temporis intervallum intercedat, quam illud, quo Comitia prævie indici ſolebant, multum de eo meditabar, an non hic ſolum Judicia Octavalia in Paſchate 1312. celebranda intelligi poſſint, verum per *Congregationem Regni Generalem* non niſi Comitia intelligenda eſſe, id etiam ſuadet, quod dicatur, ſi hanc fieri non contingeret, Regem convocatis Prælatis, Baronibus, & Nobilibus judicium nihilominus facturum eſſe, quibus convocatis nihil obſtitiſſet, quominus etiam Judicia Octavalia celebrarentur. An autem Comitia hæc termino indicato re ipſa celebrata ſint, nondum affirmare poſſum.

Anno 1317. aliquam Congregationem Comitatuum Trans-Tybiſcanorum Generalem celebratam fuiſſe, eruitur ex quadam Caroli I. Regis confirmatione Literarum Senyeianarum, quam e MSS. Cornideſianis edidit Steph. Katona Hiſt. Crit. T. VIII. p. 338. ubi habetur:

„In Congregatione quinque Provinciarum,
„ per ipſum (M. Dauſa Comitem Biharien. & de
„ Za-

„ Zabolch) in Scalath de noſtro mandato in Octa-
„ vis B. Jacobi Apoſt. facta emanatas. - - - præ-
„ ſentibus V. P. Emerico D. G. Eccleſiæ Varad.
„ Epiſcopo, Capitulo ejusdem loci, ac univerſis
„ Nobilibus Comitatuum, videlicet de Bihar, de
„ Zabolch, de Zathmar, de Zonuk, & de Kras-
„ na, in eadem Congregatione Generali conve-
„ nientibus. - - Dat. A. D. 1317. VIII. Kal. Nov.

Anni 1318. Comitia indicentis Caroli Regis Diploma in Veſt. Com. p. 181. commemoratum, per Ant. Szereday in Epiſc. Tranſylv. p. 67. ex Capit. Eccl. Albenſis in Tranſylv. Faſc. 2. N. 5. deſumtum & vulgatum hic integrum referendum duxi, quia ſunt Regales inter hactenus mihi notas antiquiſſimæ.

„ Carolus Dei Gratia Rex Hungariæ, Fidelibus ſuis
„ univerſis Nobilibus, & aliis cujuslibet dignitatis, &
„ ſtatus, aut conditionis hominibus, in Regno ſuo
„ conſtitutis, quibus præſentes oſtenduntur, ſalutem &
„ gratiam. Cum Nos matura conſideratione cum Præ-
„ latis & Baronibus Regni noſtri *Generalis Congre-*
„ *gationis Noſtræ in Rákos futuræ*, Octavum diem
„ B. Joannis Baptiſtæ proxime venturum, pro termino
„ duxerimus aſſignandum, *omnes*, & ſingulos, *qui ſe*
„ *Regni noſtri membra exiſtimant*, ad præfatum lo-
„ cum ac diem, auctoritate regia præcipimus con-
„ venire. Nos enim omnibus, & ſingulis ad eandem
„ Congregationem convenientibus, Fide Noſtra Re-
„ gia ſub excommunicationis poena, per eosdem Præ-
„ latos lata, cui Nos, ſi ſecus fecerimus, ſponte ſub-
„ jicimus, pronunciamus, quod ad eandem Congre-
„ gationem venire, ibidemque conſiſtere, atque ad
„ propria remeare valeant, libere, & ſecure, nullum
„ per Nos, ſeu noſtros damnum, injuriam, aut jactu-
„ ram aliquatenus accepturi, Nos enim fide noſtra
„ re-

Digitized by Google

„ regia mediante, ſub eadem excommunicatione aſſum-
„ pſimus Eccleſiarum Dei, noſtra, ac Regalia Regni
„ noſtri Nobilium, ac ceterorum Jura diligenter per-
„ quirere, ac ea, pro poſſe noſtro, fideliter inviola-
„ biliter obſervare. Datum in Temesvár, Feria tertia,
„ proxime poſt Dominicam invocavit. Anno Domini
„ 1318.

In aliis autem ejusdem Regis cum iisdem Literis Colocenſis ad Tranſylvanienſes miſſis, ſequens eſt Clauſula:

„ Ubi autem legitima contradictio apparuerit, Par-
„ tibus ad comparendum coram Nobis, Prælatis, Re-
„ gnique Nobilibus - - - propriisque Status, diem &
„ locum Congregationis futuræ peremptorium terminum
„ aſſignantes. - - Dat. in Temesvár Feria 4. prox. poſt
„ Dominicam Invocavit. A. 1318.“

Anno 1327. videntur Comitia celebrata fuiſſe. Didici primo ex Analect. Dipl. MSS. Caroli Fejérváry T. II. N. 66. in Archivo Familiæ de Berzevicze exſtare *Caroli I. Decretum cum Regni Statibus concluſum, ut in quorumcunque Regnicolarum bonis auri, & argenti fodinæ reperirentur, tales terræ pro Poſſeſſoribus maneant, imo inſuper tertiam partem Regalium fodinarum Domini terreſtres percipiant.* Ita quidem Rubrica hujus Inſtrumenti in Elencho l. c. reperibili ſonat. Quæſivi id deinceps a pluribus ejusdem Familiæ viris, an ita ſe haberet, a quibus intellexi Originale ipſum in Archivo conſervari, ſpemque accepi copiæ illius obtinendæ, quam cum hactenus non ſim nactus, ſpero me alio tempore producere poſſe.

Anno

Digitized by Google

Anno 1330. ſub Carolo I. ſi non Comitia Generalia, ſaltem frequentem aliquem concurſum Regnicolarum, cui immane, ac deteſtandum facinus Feliciani de genere Zaah occaſionem præbuerit, fuiſſe innuit ipſe Carolus in iis Diplomatibus, quibus bona facinoroſi, fidelibus ſuis ſubinde contulit. In Donationalibus pro Joanne, qui Felicianum in flagranti ſcelere confodit, apud Belium Not. Hung. Tom. III. p. 476. & Katona Hiſt. Crit. T. IX. p. 85. ſequentibus Conventus illius mentionem facit.

„Cumque Nos a *prænotati Regni univerſæ Nobilitatis communitate*, Baronum, Procerum ac „Prælatorum Deputatis conformitate de tam deteſtabili, & inaudibili crimine læſæ Majeſtatis, in ſententiam perferendam, æternoque duraturam congregata, ſupra prætacti horrendi ſceleris, & violentiæ „manualis injectionis nefandiſſimum, & inaudibile facinus impune non tranſire, ſatisfactionis congruentiam impleri poſtulaſſemus; iidem Barones, Proceres, Primates & *univerſa Communitas Nobilium „Regni*, matura & provida deliberatione decernentes, commiſerunt, ſententionatosque dederunt - - - „ut in Literis, dictam Sententiam ſeriatim exprimentibus, plenius, & lucidius continetur.“ Literæ autem illæ ſequentes ſunt:

Proſcriptio Feliciani de genere Zah.

Pannonici Regni univerſæ Nobilitatis communitas Baronum, & Procerum ac Primatum idemptitatis conformitas de deteſtabili & inaudibili crimine læſæ Majeſtatis in Sententiam proferendam, æternumque duraturam Congregatio: Univerſorum notitiæ, præſentium videlicet

delicet & futurorum, ac poſterorum præſenti pagina declarant, ac præſentis decreti inſinuatione manifeſtant eo modo, ut dum primitus miſerabile Regnum Ungariæ ſui veri Rectoris tramite prorſus deſtitutum, infinitarumque tribulationum & anguſtiarum fluctuationibus exagitatum, jam ad tyrannidem principali deſiderantium potentia & inſultu a ſui veri Gubernatoris clypeo liberatum & protectum inter circumjacentia Regna quaſi Regnorum Regina præſidente Domino noſtro Carolo glorioſiſſimo Rege Ungariæ foecundiore pacis, & diu deſideratæ tranquillitatis pulchritudine jubileis organis lætabundum gratularetur, in ſuoque bono ſtatu congauderet; Ecce hujusmodi pacis ſtabilitati Felicianus filius Zah de genere Zah, cujus parentis nominis vocabuli interpretatio incentive dolorem ſignificare videtur, inundans fomes infamiæ, perfida ſordes generationis Regnicolarum, plebis abjectio, coeleſtis Curiæ abhominatio, viæ virtutis funeſtus gladius, & pudor orbis, quaſi ex abyſſi puteo erumpens, qui a primævis ſuis annis usque ad gradus ſenectutis ſuæ deteſtabili cogitatu in multorum hominum conſanguineorum, & comprovincialium ſuorum interemptione & conventione, (fors cruentatione) in contumeliamque divini nominis, & perniciem, ac pernicioſum ſcandalum Regnicolarum multiplicare non ſivit dies ſuos ipſius contagioſæ diffamationis probroſa ſeditio, dum in regiæ Aula Majeſtatis ipſum Dominum noſtrum Regem cum Excellentiſſima Domina noſtra Regina Elizabet filia Sereniſſimi Principis Domini Wladislai Inclyti Regis Poloniæ, ac Ducibus Laios & Andre prolibus ſuis tertia feria proxima poſt Octavas Feſti Dominicæ Reſurrectionis comitaretur, inſatiabilem ſuæ cupiditatis inſaniam ſacri cruoris effuſione cupiens ſatiare, licet ab eo tempore, quo a caterva Mathæi quondam de Trincinio notorii infidelis Regni ſequeſtratus collateralium Infidelium regiæ Majeſtatis adhærens applauſit, non ſolum dignitatum ac beneficiorum honore eundem di-

Digitized by Google

ſti Domini Noſtri Regis benignitas inſignivit, verum etiam ab omnibus maleficiorum generibus contra ipſum via & omni veritatis tramite redundare volentes ex ſpeciali favorabilitatis prærogativa protegendo defenſavit. Quid plura? quanto eum regalis Celſitudo dignitatum titulis gratuito favore complectebatur, tanto ad arciora (fors atrociora) & ſeveræ crudelitatis inſana maleficiorum genera incitabat, quanto dilectionis favor terrenæ felicitatis bravio ſibi applaudebat, tanto innoxiorum cruentationibus, dirisque excidiis congaudebat. Quæ regiæ libertatis (fors liberalitatis) mansvetudo, cujus proprium eſt ex ſuſcepti ſui regiminis officio exceſſus cujuslibet vindicare, tanta ſufferre non valens, dignitatum privatione edomare intendebat, nec tamen juxta exceſſus ſui qualitatem poena debita ſententiæ capitalis, quam non ſemel, ſed ſi poſſibile foret, virum maleficum, & cunctorum malorum generibus pleniſſime imbutum reviviſcere, & denuo mori poſſe, centeſimo numero ſupplicium diræ necis ſupportare meruiſſet, vindicavit. Quorum omnium beneficiorum immemor, ſed ſolummodo dignitatis ſuæ ablationem omnibus præmiſſis beneficiis præponderans, vulpinæ doloſitatis aſtutia domum regiam ingrediens, auſu temerario Domini ſui naturalis & Reginæ velut canis inſania infectus morſu celeri, vibrato & evaginato gladio cruore ſe deterſit, per quod prædictus Dominus noſter Rex manu dextera grave vulnus ſuſcepit, prædicta vero Domina Noſtra Regina perpetuæ, proh dolor! privationis manus dextræ maculam deflet & deplorat. Cujus inquam Feliciani contagioſa & crudelis impietatis veſanies non ſolum divinæ Majeſtati, ſed & coeli Civibus, ac hominibus cunctis odioſa, dextra Domini, qui perpetua mundum ratione gubernat, faciente virtutem, frondoſæ vitis ſtirpem, & Regiæ propaginis originem exterminare penitus cupiens, & animo deſiderante ac anhelante ſupplicium mox meruit diræ necis ſupportare. Nam ibidem armorum inaudibili plaga una cum filio

Digitized by Google

ſilio ſuo doloroſæ doctrinæ ſuæ nequitia educato præmiſſi nefandiſſimi & deteſtabilis criminis perpetrati principe interempto per canes, quorum veſania fuerat infectus, mutabilitati rationabilitatis in canum furoris rabiem converſus, ad plenum exterminio devoratus extitit; ipſius quippe regalis benignitatis pia patientia cunctis Nobilibus nobis & Baronibus ac Primatibus Regni ſui, cujus inquam potentiæ divina favente clementia, Regum, & Principum circumjacentium Regnorum genua curvabantur, ſuperborum elata corda & cornua dejiciebantur, non ſolum ſuas, ſed & aliorum injurias juxta exigentias demeritorum vindicantis gladii de jure ſuſcepti regiminis geſtans ulciſcendi facultatem in prædicti morbidi & impudici canis generationes, conſanguineos & proximos, & qualibet affinitate ſibi connexos manus non injiciens ultionis injuriarum ſuarum vindicativas ipſius deteſtabilis criminis læſæ Majeſtatis injuriam producens expoſuit, dexteramque manum ſuam diro vulnere, in contrarium præmiſſorum beneficiorum eidem Feliciano per ipſum Dominum Regem impenſorum læſam, ac ſua, & ipſi Dominæ noſtræ Reginæ, nec non duorum filiorum ſuorum præſcriptorum veſtimenta, ſacri cruoris effuſione fere in toto juxta aquæ inundationem indebitæ ſimul cum quaternis digitis ipſius Dominæ noſtræ Reginæ, & capillis dictorum filiorum duorum per enſem dicti Feliciani inciſis in medio noſtri propria aſtans in perſona demonſtravit, & tam horrendi ſceleris, & violentæ manualis injectionis nefandiſſimum, & inaudibile facinus impune non transire ſatisfactionis congruentiam præſtari ſibi poſtulavit juris moderamine mediante. Verum quia prænominatus Felicianus ſingulari ferocitate ultra morem humanæ conditionis pejora ſemper præteritis flagitia coacervando, multorum, & innumerabilium hominum & comparium ſuorum hereticæ pravitatis enormitate imbutus, innocentum ſanguinum effuſione inſatiabilis voraginis ſitim extinguere non valens, non ſolum ſe, ſed omnes

Hun-

Hungariæ Regni cohabitatores decolorare per veri & naturalis Domini ſui cruentationis aſperſionem, niſi divini conſilii providens altitudo de ſua benigniſſima providentia & miſericordiæ habenas ſuæ periculoſæ peſtilitatis, præſumptionis & perverſæ cogitationis reſtrænans, ac in altiſſimis habitans, humiliaque tantum proſpiciens commodius præordinaſſet, intendebat. Igitur Nobiles Regni cum Baronibus & Proceribus, videlicet Joanne Drugeth Palatino Judice Comanorum Comite Simigienſi, Tolnenſi, Bachienſi, Albenſi, Zemlinienſi, & de Ungh, Thoma Vaywoda Tranſylvano Comite Orodienſi, Chongradienſi, & de Zounuk. Bano totius Sclavoniæ, Joanne Bano de Machow Comite de Barania, & de Budrug; Demetrio Magiſtro Thavernicorum Regalium & Comite Trincinienſi, Paulo filio Simonis Judice Curiæ regalis pietatis, Deſew Judice Curiæ Dominæ Reginæ, Magiſtro Wilhelmo Comite Scepuſienſi, Jaurienſi & de Zarand, Joanne filio Babonioh, Magiſtro Thavernicorum Dominæ Reginæ, Magiſtro Wilhelmo Comite Ujvarienſi, Sirmienſi, & Borſodienſi, Dauch Comite de Turocz, Zoliom & de Arva, Joanne Rectore Caſtri Novi Montis Peſthienſis, Comite Muſinienſi; Dionyſio Magiſtro Dapiferorum Domini Regis, Nicolao dicto Trentul, Comite Poſonienſi; Nicolao filio Stephani Comite Zaladienſi, Laczk Comite Siculorum, ſecundo Magiſtro Agazonum Regalium; Poſa de Zech Comite de Haran, Ladislao & Eghardo Comitibus Bozinienſi, Dionyſio de Futegh Biharienſi, Deſeo fratre Dama Comite de Bereg, Stephano filio Dionyſii Comite Vasvarienſi, Dominico Comite filio Oſth Comite Veſprimienſi; Emerico de Beche Comite Barſienſi, & aliis quamplurimis Honores & Dignitates Regni tenentibus, ac jam nominati Barones Nobiſcum æqua proportione; quorum Sigillorum impoſitionibus approbantes perpetuo præſentes roboramus, ne præmiſſæ diffamationis nota aliqualis Regnum ſuum & nos denigret, & ne prædicti Domini noſtri naturalis cruen-

tationis

tationis nefandiſſimæ ſeveritatis crimen totum Regnum ſuum decoloret, & ne præcellen. fidelitatis prærogativam Ungaricæ Nationis deteſtabilis ignominioſitatis macula deformet, ne ipſius Infeliciani beſtialitas, inſaniæ rubigo infectivas ſinceræ fidelitatis favore præfulgenti rubiginet, ne alicujus temporis in eventu alii ſimili importunitatis contumelia in ſuum Dominum naturalem ſacri Chriſmatis unctione manibus quorumlibet correct.vis ſequeſtrati, manus violenter extendant injectivas, ſed hujus ſententiæ editio perpetua tranſeat cunctis in exemplum in ipſius Feliciani flagitioſum, & contumelioſum facinus ac nefandiſſimum crimen exſtirpandum, & exterminandum plurimorum dierum providæ deliberationis maturiori conſilo, & tractatu unanimiter confugien. & conformiter, in eum, filios & filias, generationem, neptes & nepotes, aut qualicunque affinitatis gradu annexos talis ſententiæ vigore flagran., præſcriptive plectentes duximus condemnan., quod primo, & principaliter univerſæ generationis ſuæ homines usque ad tertiæ lineæ generationis gradum ſibi annexi diræ necis ſupplicio condemnentur, filii vero, & filiæ carnalium Sororum præſcripti Feliciani ac filiarum ſuarum ipſam capitalis Sententiæ vindictam ſupportabunt. Fratres quoque, & proximi maritorum filiarum jam dicti Feliciani extra Curiam Regiam perpetuo excluſi in eorum proprietatibus pacifice maneant & indemnes, nec Regiæ Majeſtati, aut Baronibus ſuis adhæren. Regiam Curiam ullo unquam tempore audeant ſubintrare. Si qui vero horum hujus deteſtabilis criminis conſcii reperti fuerint evidenter comproban. ſupplicio mortis puniantur, poſſeſſionibus, & Bonis juxta Regiæ Majeſtatis voluntatem priventur univerſis. Ceteri autem ejusdem generationis Zah ultra tertiam lineam oriundi perpetuæ ſervituti juxta Regiæ Majeſtatis diſpoſitionem redigantur, Poſſeſſionibus omnium hominum prædicta ratione capitali ſententia condemnatorum, & in perpetuam ſervitutem redactorum Regiis manibus

perpetuo devolutis. Neptes & nepotes dictarum ſuarum Sororum carnalium hujusmodi condemnationis macula expertes fieri volumus eo inſtan. præſertim, quia innumerabiles Dominæ præfatæ nefariæ generationis legitimæ matrimonialis copulationis foederatione alienis Generationibus ſunt conjunctæ, ne per hoc ſtatus diſturbetur, maritos dictarum Dominarum & easdem, ac filios & filias, nec non heredes eorumdem nullo modo præmiſſis condemnationibus applican. innodamus, nempe ut ipſius generationis homines ubique in Regno exquiri & inveſtigari ſubtiliori via valeant, inter terminos hujus Regni in quolibet Comitatu per Comitem comprovincialem, & Judices Nobilium ac Nobiles cujuslibet Provinciæ generalis Congregatio proclamata celebretur, & ſi qui non damnati Feliciani præmiſſi Generationis homines in primo, ſecundo, vel tertio gradu diligenter inveſtigando reperti fuerint, per Comprovinciales Domino Regi, & Curiæ Regiæ transmittantur præſcripta poena condemnandi, Bonaque, & poſſeſſiones ejusdem univerſæ ſimiliter Regalis clementiæ manibus perpetua ſtabilitate applicentur. Alii autem a Conſanguinitate dicti Feliciani ultra tertium gradum, ſi qui fuerint ſciſcitati, nominibus eorum & poſſeſſionibus, ac facultatibus per ipſos Comites, Judices & Comprovinciales Nobiles ad fidelitatem Regiæ Coronæ & Regno debitam inſcriptis præputen., & juxta Regni Nobilium ac Baronum deliberationem in regiam perpetuitatem perpetuo redigantur. Univerſos etiam cujuscunque conditionis, ſexus, ſtatus & ætatis homines præmiſſi deteſtabilis facinoris auxiliatores, conſiliarios, fautores, aut alio quovis modo participes veraciter exquiſitos capitalis Sententiæ vindicta punien. Bonis & Poſſeſſionibus ipſorum, ut prætactum eſt, univerſis privandos applicamus, & ad ſubtiliorem adhuc inveſtigationem præmiſſorum Conſiliariorum & auxiliatorum Regiæ Majeſtatis providentia, & ſui Barones ac alii elaborent, & re-

pertis

Digitized by Google

pertis ac requiſitis ex certo documento præmiſſi criminis participibus nominibus illorum in ſcriptis poſitis in Regni præſentiam capti adducantur, præmiſſis poenis & poſſeſſionum privationibus condemnandi, Relatoribus præmiſſorum nefariorum ſub taciturnitatis velamine conſervatis: Præcavendo autem in poſterum, ne regiæ Majeſtatis Diadema, & Regni ſtatus tam inaudibili offenſa injurietur, & hoc ſacræ regiæ Coronæ ac Regni vacillationis ſuccreſcat derogamen, perſonas facinoroſas publicæ diffamationis nota decoloratas Dominorum ſuorum notorios infideles compertim offenſores vel occiſores, ſceleroſa crimina impiæ vel diræ crudelitatis ſeveritate inſatiabiliter & inhumaniter perpetratores, confractores, & Eccleſiarum conſternatores, publicos ſpoliatores, innocentum ſanguinum effuſores a regiæ Majeſtatis Curia ſequeſtran. & excluden.; regiæ providentiæ ſuademus conſulentes judiciarii rigoris moderamine præmiſſorum ſceleroſorum facinorum crimina contra offenſam patien. juxta exceſſus ſui qualitatem duntaxat judicialiter convincantur. Illi autem regiæ adminiſtrationis curiam ſubſerviant, & commorentur, quos fidei puritatis, & ſinceræ fidelitatis conſtantia, moroſæ, & modeſtæ virtutis honeſtas recommendat. Datum in Wiſſegrad XXII. die Feſti B. Georgii Martyris, Anno Dominicæ Incarnationis M. CCC. XXX. Regni autem ipſius Domini noſtri Regis Anno ſimiliter XXX. *E Cod. MSS. C. Fr. Szécheny Czenk. die 27. Maji 1796. M. G. Kovachich* mp. pag. 61.

Anno 1332. Budæ celebratum eſſe Generalem Regni Conventum evincitur Inſtrumento quodam Chanadini Archiepiſcopi Strigonienſis contra conjecturam in Veſt. Comitiorum p. 182. in quo ſequens occurrit clauſula:

„ Apud Budam in Congregatione Regni, in præ-
„ ſentia omnium Prælatorum, & Nobilium nobis aſſi-

„ dentibus. - - - Dat. Budæ in Feſto Purificationis „ Virginis glorioſæ A. D. M. CCC. XXX ſecundo.“

Anno 1334. Benedictus XII. PP. edidit Conſtitutionem ſuper eo quod Archidiaconi aliquas pecunias pro terragio mortuorum recipere non poſſint, eamque pro Executione Archiepiſcopo Strigonienſi miſit, in qua res ita exponitur:

„ Nuper ſiquidem ex inſinuatione Kariſſimi in Chri„ ſto filii noſtri Karoli Regis Hung. illuſtris ad Apo„ ſtolatus noſtri pervenit auditum, quod in Regno ſuo „ Hungariæ quædam abuſio deteſtabilis inolevit, vide„ licet, quod cum contingit, aliquem, quocunque mo„ do interfici hominem, ipſe interfectus, etiamſi teſta„ tus decedat, ad eccleſiaſticam nullatenus admittitur „ ſepulturam, niſi pro eo ultra omnia funeralia, & alia „ in talibus alicubi conſueta, communiter una marca „ argenti, ſeu marca uſualis monetæ illius Eccleſiæ Ar„ chidiacono, vel Vices gerenti ejus, in cujus Archi„ diaconatu idem interfectus ſepeliri debet, pro Eccle„ ſiaſtica ſepultura plenarie perſolvatur Quod ſi bo„ na interfecti, vel interfectoris ad hoc non ſuppetant, „ & propterea reſtet dictæ marcæ ſolutio facienda, per „ Archidiaconum, vel ipſius vices gerentem præfatos „ omnes de Parochia Eccleſiæ, ubi talis interfectus ſe„ peliri debet, ſupponantur eccleſiaſtico Interdicto, do„ nec de hujusmodi marca dicto Archidiacono, vel ſuo „ Vices gerenti prædicto exſtiterit ſatisfactum. Quare no„ bis idem Rex humiliter ſupplicavit, ut de tollenda „ prorſus abuſione præfata, & injuſta exactione dictæ „ marcæ pro hujusmodi ſepultura effectualiter prohiben„ da providere de circumſpecta Sedis Apoſtolicæ Cle„ mentia dignaremur. Nos igitur - - - - Fraternitati „ Tuæ per Apoſtolica Scripta commendamus & man„ damus, quatenus, ſi præmiſſa inveneris ita eſſe, cum „ prætacta conſuetudo evidenter appareat exorbitare a

„ juris

„ juris tramite, imo ab honeſtatis debito, diſcrepare,
„ præfatam conſuetudinem, tamquam iniquam, & labem Simoniacam continentem, dummodo aliud Canonicum non obſtet, autoritate Apoſtolica potenter deteſteris, & tollas - - - contradictores per Cenſuram eccleſiaſticam, ſublato appellationis obſtaculo, compeſcendo, non obſtantibus abuſu longævo conſuetudinis antedictæ, ſeu præſcriptione, quæ poſſent forſan in contrarium cavilloſe ab aliquibus allegari.
„ - - - Dat. apud Pontem Borgiæ Avenionis Dioeceſis Idib. Aug. Pontificatus noſtri Anno primo.

Inſtrumentum hoc edidit integrum Car. Wagner Diplom. Saroſien. p. 468. Koller Hiſt. Epiſc. Quinque Eccl. T. III. p. 90. Katona Hiſt. Crit. T. IX. p. 58. qui illud refert ad Annum 1335. Ego illud reſervo ad ſubſidia pro Hiſt. Legislationis Hung. Caput, ubi Monumenta, ad quæ in Legibus Comitialibus fit provocatio, referam.

Hæc equidem extra Semitam Veſtigiorum, ſed cum ad Legislationem pertineant, & in Decreto 1486. Art 63. totidem fere verbis provocentur, referenda hic eſſe putavi, ut appareat, quomodo legum origines e diplomatibus illuſtrari, una tamen inveterati abuſus etiam legum rigore vix tolli poſſint, & ſæpe nonniſi violento ictu exſcindi debeant. Diu adhuc iſte abuſus in Hungaria, repetitis etiam conſtitutionum civilium & eccleſiaſticarum legibus interdictus viguit. Ludovicus I. Decr. Anni 1351. Art. 2. eundem prohibuit, ſed cum nullam poenæ civilis ſanctionem legi adjecerit, effectu deſtituta manſit. Sub Sigismundo Rege querela hæc coram Sede Apoſtolica

recruduit, & ideo Anno 1415. Joannes XXIII. PP. edita conſtitutione exactionem unius marcæ denariorum ab eccleſiaſtica quomodocunque interfectorum ſepultura, per Archidiaconos, vel eorum Vicarios in Hungaria abuſive practicatam, ſub poena dupli abrogavit, jus tamen exigendi attactam marcam ab ipſis homicidis penes Archidiaconos ultro quoque in ſalvo reliquit. Tantas vires abuſus longi temporis ſumere poſſunt, ut illis ipſa legislativa poteſtas aliquid cedere ſubinde cogatur; hic enim rigor conſtitutionis Benedicti XII. in eo emollitus eſt, quod loco poenæ excommunicationis, poena dupli ſolum transgreſſoribus dictetur, & jus exigendi marcam contra homicidas directum in ſalvo relinquatur. Albertus Rex malo adhuc perduranti rurſus Anno 1439. Art. 39. legem civilem oppoſuit, ſed ſine ſanctione poenali, atque adeo effectu, Mathias Rex Anno 1458. Art. 39. & 1486. Art. 63. provocando ad Conſtitutionem Benedicti XII. totidem fere verbis concepta Lege civili abuſum iſtum ſub poena amiſſionis beneficiorum interdixit, & motivum perdurantis abuſus diſertis verbis, Archidiaconorum, Vice-Archidiaconorum, & Plebanorum *inſatiabilitatem* eſſe, pronunciavit. Sed nec inveterata, licet utriusque poteſtatis auctoritate damnata, conſuetudo ſublata eſt. Wladislaus II. Anno 1492. Art. 29. & A. 1495. Art. 6 provocando ad præcedentes conſtitutiones a me indicatas iterum id ipſum ſub eadem poena interdixit, in ſalvo tamen relicto jure marcam ab interfectoribus deſumendi.

Tem-

Tempore Caroli I. celebratæ alicujus Congregationis generalis, cujus Annum definire non poſſum, meminit Ludovicus I. in literis ad Nicolaum Palatinum datis, ne a Nobilibus Comitatus de Sáros, collectam victualium exigeret. Ex Wagner Diplom. Sároſſ. P. I. apud Katona Hiſt. Crit. T. X. p. 12.

„Quod ipſi olim tempore D. Caroli - - - -
„ *tempore Congregationis ejus generalis.* - - -
„ Dat. Budæ Sabbato prox. ante feſtum Aſſumptio-
„ nis Virginis glorioſæ. A. D. 1351.“

SUB LUDOVICO I. REGE.

Anno 1342. Coronationis Ludovici I. ſolemnitas in Diplomate Comitis Pauli, ut videtur, de Nagy Marton, Judicis Curiæ Regiæ A. 1343. datis in Coll. Diplom. MS. Car. Fejérváry T. III. N. 420. & inter MS. Wagneriana & ex his apud Katona Hiſt. Crit. T. IX. p. 279. ita deſcribitur:

„Ludovicus Rex, *in Patrimonium Regni*
„ *Hungarici jure & ordine genituræ ſibi debi-*
„ *tum ſuccedens* unanimi Prælatorum, Baronum,
„ & Nobilium Regni ſui voto, & intentione in
„ Alba Regali ſuo loco cathedrali die Dominico
„ proximo ante feſtum B. Jacobi Apoſtoli Anno
„ Domini M CCC XLII. præterito, Salvatoris Cle-
„ mentia, Corona Beatiſſimo Stephano, primo
„ Regi Hungarorum divinitus data, ſolenniter, &
„ honorifice fuit coronatus, nobis, prout ſui Patris
„ ſic & ſuo tempore honore Judicatus Curiæ Re-
„ giæ præfulgentibus.“

Idem

Digitized by Google

Idem C. Paulus in quibusdam Adjudicatoriis eadem narrat, ſed paulo plura adjuncta ſequentibus refert:

„Quod cum glorioſus Princeps Dominus Ca-
„ rolus Sceptra regiminis hujus Regni in memo-
„ ria felici importans, cujus Solium, Thronum &
„ Coronam prædictus Dominus Ludovicus primo-
„ genitus ſuus ad gubernandum dictum Hungari-
„ cæ Nationis Regnum hereditarium jure genitu-
„ ræ ſibi ſucceſſum, de Prælatorum, Baronum,
„ Procerum & Nobilium Regni unanimi, & con-
„ cordi voto ſublimatus, & Corona Beatiſſimo
„ Stephano primo Regi Hungarorum divinitus con-
„ donata in Alba Regali, in loco ſuo kathedrali
„ die Dominico proximo ante Feſtum B. Iacobi
„ Apoſtoli nunc proxime præteritum ſolempniter
„ coronatus eſt. - - - Datum in Wyſſegrad duo-
„ decima die Quindenarum B. Regis Stephani præ-
„ dictarum A. D. 1342.

Ludovicus igitur hac ſecunda Periodo Patri ſuo jam *ordine genituræ* ſucceſſit, & tamen *ſolenniter coronatus fuit*, unde patet vanitas eorum ſententiæ, qui ætate noſtra ideo coronationem Regum noſtrorum intermittendam eſſe contenderunt, quia Regnum alioquin hæreditarium eſſet.

De Anno 1351. exſtat in Cimelio Székelyiano Bibliothecæ Epiſcopalis Quinque Eccleſienſis T. II. p. 43. N. 78. Ludovici Regis curioſum Mandatum Conventui Jaſzovienſi miſſum, ut literas Regis ei exhibendas univerſis Nobilibus Comitatus de Sarus, Nicolao Palatino, & D. Nicolao-Epiſcopo Agrienſi, ac Comitibus Cameræ de

Symul-

Symulnuch (hodie Szoniolnok) exhibeat, & quidquid iidem, vel eorum ſinguli, & quilibet, viſis ipſis literis fecerit, vel reſponderit, Regi ſuo modo fideliter reſcribat. A. 1351. Simile quid habetur ibid. p. 147. N. 104. nempe Literæ ejusdem Ludovici ſcriptæ Magiſtro Petro filio Pauli filii Hem Caſtellano de Orſva, ut quidquid in iis partibus actum fuerit, eo facto Regi notificet. Sine die & Conſule. Hæc ideo referenda erant, ut cum iis, quæ ad Annum 1405. de Sigismundi Decreto relaturus ſum, combinari poſſint.

Comitiorum Anno 1351. a ſe celebratorum, conditique in iisdem Decreti mentionem facit Ludovicus I. Rex H. in quodam diplomate, quo Monialibus de Vetere Buda confert tributum in Villa Reginali S. Jacobi A. 1352. V. Kal. Dec. quod inter Székelyiana Tom. III. N. 408. continetur, & ſuppeditat iterum Exemplum derogationis legi in caſu particulari per Regem factæ:

„ Quod licet nupernis temporibus in Congre-
„ gatione per noſtram Serenitatem univerſis Inco-
„ lis Regni noſtri celebrata dicti Incolæ Regni
„ noſtri a Nobis inſtanter petierint, ut univerſa
„ tributa in ſiccis terris & fluviis hactenus exigi
„ ſolita amplius non exigerentur, & ſuper hoc
„ Literas noſtras Privilegiales receperint, tamen
„ - - - memorata libertate dictis Regnicolis data
„ (cui præſentium ſerie in hac parte derogamus)
„ non obſtante. “

Anno 1352. Feſtum S. Stephani Albæ ſolenniſatum eſſe, patet ex iis, quæ in Nota ad Art. I. Andreæ II. de A. 1222. protuli.

Eodem

Eodem Anno Ludovicus Rex præſcribens Normam, ac modum Decimas Epiſcopis, Capitulo & Eccleſiæ ſolvendi, *revocat hac in parte Decretum in Congregatiane Regni, ſuperinde editum.* Diploma ipſum edidit Ant. Szereday in Notit. Capituli Alben. in Tranſylv. p. 43. ex ejusdem Archivo Faſc. VII. N. 28. ex quo ego illud vel ideo huc transferendum putavi, quia ſub Ludovico II. ſimile aliquid accidiſſe relaturus ſum pro exemplo, quod Reges Hungariæ nonnunquam Articulis Comitialibus, præſertim circa res Eccleſiaſticas per Diplomata derogaverint.

„ Ludovicus Rex Hungariæ &c. Fidelibus ſuis uni-
„ verſis Nobilibus & aliis cujusvis ſtatus - - homini-
„ bus in partibus Tranſylvanis, in Dioeceſi Albenſis
„ Tranſylvani Epiſcopi conſtitutis - - ſalutem & gra-
„ tiam. *Licet pridem in Congregatione noſtra Budæ,*
„ ubi noſtra reſidet Curia, *celebrata*, conſvetam *ſolu-*
„ *tionem Decimarum* ad inſtantiam veſtram, & alio-
„ rum Rognicolarum noſtrorum immutandam, & *cum*
„ *frugibus, ſeu in ſpecie* (Vide Ludovici I. Additio-
„ nes 1351. A. 6.) easdem veſtris Dioeceſanis Epi-
„ ſcopis ac Eccleſiis, quibus ipſæ Decimæ debebantur,
„ *ſolvi mandaverimus,* attamen quia ex hoc tam Noſtræ,
„ quam etiam veſtrarum animarum grave detrimentum,
„ & jacturam cognovimus imminere, propter quod et-
„ iam per Dominum Supremum Pontificem Nobis ex-
„ ſtitit imperatum, ideo *prædictam diſpoſitionem, &*
„ *ordinationem in hac parte revocamus*, & volumus,
„ ut ſicut temporibus Progenitorum noſtrorum & no-
„ ſtris usque modo prædicta ſolutio Decimarum fiebat,
„ vel ſolita erat, fieri in pecunia, ſic & hoc anno per
„ vos, & alios noſtros Regnicolas perſolvatur; cum
„ hac tamen moderatione, ut ubi duodecim Wyen vel

„ de-

Digitized by Google

„ decem, pro Capetia exigebantur, non plures, quam
„ octo, & ubi pauciores vel octo exigebantur, & ſol-
„ vebantur, eo modo prout ſolitum erat exigatur &
„ ſolvatur dummodo nummus ipſorum octo Wyen nul-
„ latenus excedat, aliis autem annis ſolvantur prout
„ Decimæ & exigantur, ſicut deliberavimus, ut animæ
„ veſtræ ſaluti videatur expediens. Decimæ vero Agno-
„ rum, Hædorum & Apum more ſolito perſolvantur.
„ Quare fidelitati veſtræ firmiter percipiendo manda-
„ mus, quatenus Decimas ipſas dicto veſtro Dioece-
„ ſano Epiſcopo & ſuo Capitulo vel eorum Decimato-
„ ribus - - - tempore conſveto, ſecundum modera-
„ tionem ſupradictam, absque contradictione aliquali
„ perſolvatis, & perſolvi faciatis. - - - Et hoc volu-
„ mus in Foris & Locis publicis, in dictis partibus
„ Tranſylvaniæ ubique palam facere proclamari. Da-
„ tum Budæ in Vig. B. Matthæi Apoſtoli & Evang.
„ A. D. 1352.

In Veſtigiis Comitiorum ad A. 1353. pag. 189. error videtur eſſe in ultima periodo prioris §. & fors legendum: *Quinque Jobagiones non habentes*, ſecus idem bis continuative ſtatuitur.

Quod Status & Ordines ad publica & extera quoque negotia etiam tempore Ludovici I. Regis efficaciter concurrerint, patet ex Tabulis Pactorum inter Carolum I. Hungariæ & Caſimirum Poloniæ Reges de ſucceſſione filiorum illius in Regno Poloniæ, ſi Caſimirus ſine maſculo herede decederet, quæ legati Ludovici I. confirmant. Apud Dogiel Cod. Dipl. R. Polon. T. I. p. 38. & inde apud Katona Hiſt. Crit. T. X. p. 108. verba Inſtrumenti ſunt.

„ Quo-

„Quoniam eſt moris, conſuetudinis, atque „ conſonum rationi, ut quidquid regia Majeſtas „ *de conſilio & beneplacito Prælatorum, Baro-* „ *num, Procerum, & Nobilium Regni ſui de-* „ *creverit*, faciendum, ſive ſtatuendum, & matu- „ ra deliberatione præhabita agit, ordinat, & diſ- „ ponit, in his præſertim, quæ ad utilitatem, „ honorem & commodum ſuum, ſuique Regni „ venire poſſunt, non immerito ſic ordinata, acta, „ & diſpoſita ab omnibus Regnicolis debent ap- „ probari, & inviolabiliter obſervari. Dat. — in „ Zadoch (Zaloch) in Vigilia SS. Philippi & Ja- „ cobi Apoſt. A. D. 1355."

Reges noſtros fontes eſſe Nobilitatis uti ceterarum Prærogativarum, jam Werböczius P. I. Tit. 3. §. 6. profeſſus eſt. Vidi aliquando Inſtrumentum Ludovici I. antiquiſſimum ex iis, quæ mihi nota ſunt, ubi expreſſa Nobilitationis per donationem Jurium poſſeſſionariorum factæ mentio habetur.

„More, & ad inſtar Nobilium Regni noſtri „ primorum & principalium, in quorum nume- „ ro, caterva & conſortio ipſum in filios filiorum „ ejusdem, & heredum per heredes ex munificen- „ tia regali & gratia ſpeciali, dono præclaræ No- „ bilitatis prærogativo decorantes, & ditantes ag- „ gregamus, & dignum computamus, dedimus - „ - - - eisdem in indicium Nobilitatis eorumdem „ manifeſtam & perpetuam hereditatem - - - vo- „ lentes, ut a modo - - - ex noſtro dono ea No- „ bilitatis prærogativa & privilegio mero, & ſin- „ cero - - - - perpetuis temporibus potiantur, „ qua ceteri Regni Nobiles principales, atque „ primi a temporibus Sanctorum & aliorum Præ- „ deceſſorum noſtrorum Regum Hungariæ illu-

„ ſtrium

Digitized by Google

„ ſtrium, piarum recordationum conſveti ſunt gau-
„ dere. Dat. A. D. 1357. IV. Kal. Febr.

Eluceſcit ex iſto loco non ſolum effectus, ſed etiam diverſæ olim Nobilitatis Claſſes, quas fortaſſe luculentius Amicus meus, Vir illuſtris, in ea lucubratione, quam de diverſo hominum, præſertim conditionatorum Statu apparat e Diplomatibus illuſtrabit, & ſine qua multarum veterum Legum vim perſpicere non poſſumus.

Memorabilem Capituli Albenſis Relationem 1359. Ludovico Regi erga mandatum ejusdem factam de eo legiſſe memini, quod in *Legenda S. Regis Stephani* id, in quot nimirum locis per Regnum Nobiles Jobagiones Caſtri Oraco reſidere debeant, & quali libertate perfruantur, invenire, & per conſequens deſideratam informationem ſubmittere non poſſit, ſiquidem dictam Legendam ex interiore ſua Sacriſtia Carolus olim Rex exceperit, & Wiſſegradum deportari fecerit.

Legendæ nomen apud Hiſtoricos vile quidem eſt, exiſtimo tamen ex hac S. Regis Stephani Legenda, ſi non periit, ſed aliquando detegeretur, non fabulis mixtas narrationes, ſed multam de ſtatu Regni publico primæ ætatis notitiam hauriri poſſe.

Conſenſum Regium impertiri, antiqui moris & juris eſſe, docent Diplomata; peculiare tamen eſt, quod jam ſub Ludovico I. exempla deprehenderim, ubi ille conſenſum ſuum non ſolum certis determinatis aquiſitis, ſed etiam generaliter de a-

qui-

quiſitis, & deinceps quomodolibet aquirendis Bonis præbuerit.

SUB MARIA I. REGINA.

Maria I. aditi ſui Regiminis in Privilegio Anno 1383. Prividienſibus conceſſo, apud Katona Hiſt. Crit. T. XI. pag. 27. ex apographo relato ſequentibus meminit.

„Quod Sereniſſimo Principe Domino Ludovi-
„co eadem Dei gratia illuſtriſſimo Rege Hungariæ,
„Poloniæ, Dalmatiæ &c. glorioſæ, & laudandæ
„recordationis, Genitore noſtro cariſſimo, volente
„Domino Coeli, cujus nutu omnia reguntur, &
„diſponuntur, absque prole maſculina de mundo
„ſublato, *nobisque jure ſucceſſorio, & ordine geni-*
„*turæ* Coronam & Solium dicti Regni Ungariæ,
„ac *Sceptra regiminis ipſius genitoris noſtri feli-*
„*citer adeptis.* - - - Datum A. D. 1383. V. Kal.
“ Febr. Regni autem noſtri ſecundo. “

Iisdem verbis utitur in Diplomate, quo Joanni de Palugya Bona quædam in Regno ſuo Ruſſiæ ſita contulit l. c. p. 96. In alio Diplomate Blaſio Forgach conceſſo ibidem p. 149. producto, tam ſuam, quam Caroli II. inaugurationem ſequentibus deſcribit:

„Quod dum olim Sereniſſimo Principe D. Ludo-
„vico D. G. Rege Hungariæ &c. Genitore noſtro ca-
„riſſimo felicis recordationis debitum naturæ exſolven-
„te, & absque ſolatio heredum maſculinorum ab hac
„luce decedente, & ex hoc - - - nos confirmitas
„*Prælatorum*, *Baronum*, & *coetus univerſorum No-*
„*bilium*, & *Procerum* Regni noſtri Hungariæ ſacra

„Co-

„ Corona, qua Reges Hungariæ divi avi, protavi, „ & Prædeceſſores noſtri fuere coronari, & ſolent co„ ronari, ſolennitatibus conſvetis celebratis, *pari vo„ luntate, nemineque diſcrepante coronaſſent*, & in„ unxiſſent, ac Sceptro Regiminis ipſius Regni noſtri „ inſigniviſſent; præmiſſis ſic, ut eſt prædictum, ſtan„ tibus, vigentibus, & Remp. agentibus, nobisque „ habenam Regiminis dicti Regni noſtri Hungariæ, cui, „ dante Domino, feliciter nunc, & *votive* præſide„ mus, ſub pacis tranquillitate tenentibus, & ipſum „ gubernantibus; ecce quidam Carolus de Duracio Rex „ Hieroſolymæ, & Siciliæ non juſta uſus ratione, ſed „ affectu cupiditatis ductus, nolens ſe ſuis contentari, „ ſed noſtra Bona ſatagens pro ſe vendicare, quorum„ dam noſtrorum Rebellium infidelium verbis allectus, „ & ſermone molitus, tamquam proditionis alumnus, „ aſtutive Regnum noſtrum ſubiit, & ſubintravit, & in „ tantum per ſuas cavilloſas machinationes tacite, & „ palliata malitia laboravit, ut ſe in Regem ipſius Re„ gni noſtri Hungariæ per inductionem, & monitionem „ ipſorum rebellium noſtrorum infidelium fecerit co„ ronari, Nosque, quemadmodum promittebat prius, „ in Corona noſtra, & ejus ditione tueri, & præſer„ vare tamquam Sororem cariſſimam ſvavibus verbis, „ & blanditioſis affectibus, ipſa Corona proditorie pri„ vavit, & regimine Regni noſtri ſpoliavit, imo quod „ deterius eſt & inauditum, Sereniſſimam Principem, „ & Dominam Eliſabetham Reginam Hung. Polon. „ Dalm. &c. Genitricemque noſtram cariſſimam cum „ cunctis ſuis Prælatis & Baronibus facere jugulari, ac „ exterminari, ac Nos in exilium redigi clandeſtine „ decrevit. - - - Dat. Budæ Feria IV. prox. ante Do„ minicam *Eſto mihi* A. D. 1386.

Mariæ I. Reginæ Decretum II. ſive Diploma libertatum Regni confirmatorium, aut ſi mavis, Aſſecuratorium, ſuper libertatibus a Prædeceſſori-

bus

Digitized by Google

bus ſuis Regno conceſſis, ac ſuo etiam Diplomate (Anno 1384.) confirmatis, ſancte, & inviolabiliter obſervandis, & obſervari faciendis, Anno 1385. Regnicolis in Comitiis congregatis datum, in Corpore Juris Hung. hactenus deſideratum, cum impreſſis jam majori in parte Veſtigiis Comitiorum ſuo loco inſerere non potuerim, & in Præfatione ad eandem pag. LIX. ediderim, neque hic ſuperflue repetere velim, Lectores citato loco videre poſſunt.

SUB SIGISMUNDO REGE.

Anno 1387. de ſui Coronatione Albæ peracta Sigismundus Rex in Diplomate Joanni de Kanyſa Archiepiſcopo Strigonienſi dato, in Collect. Dipl. MS. Caroli Fejérváry T. III. N. 420. ſequentia habet:

„Pridem, utputa in Dominica Ramis Palmarum in Anno Domini 1387. tunc evoluto univerſis VV. PP. Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliisque Eccleſiarum *Prælatis*, & omnibus indiſtincte *Baronibus*, *Nobilibus*, & Regni noſtri *Proceribus* ad Albam Regalem ſolito more convenientibus, & *eorum vota, nemine diſcrepante, in noſtram perſonam concorditer dirigentibus*, nos cum ſolita ſolennitate in Thronum regalem, annuente divinæ Majeſtatis Clementia conſcendentes, Strigonienſi Sede pro tunc vacante, per manus quondam Venerabilis in Chriſto Patris Domini Benedicti Veſprimienſis Eccleſiæ Epiſcopi Sacro Regio Diademate inuncti ſumus,

„ &

„ & coronati. - - - Dat. Budæ in Feſto Conce-
„ ptionis B. V. Anno Domini 1388. “

Idem Sigismundus in alio Diplomate, quo Joanni Veglæ, & Modruſiæ, Comiti Caſtrum Cheten donavit, ex MSS. Cornideſianis apud Katona Hiſt. Crit. T. XI. p. 211. ſequenti Clauſula non obſcure Comitia eodem Anno 1387. celebrata innuit.

„ Una cum eadem Sereniſſima Principe, Do-
„ mina Maria Inclyti Regni Hungariæ Regina,
„ Conſorte noſtra chariſſima, *Prælatisque*, *Baro-*
„ *nibus*, *Militibus* & potioribus *Proceribus* Regni
„ noſtri, matura deliberatione exinde præhabita,
„ ex conſilioque, conſenſu, & ſanctione unanimi
„ eorumdem. - - - Datum Budæ in Feſto B. Ca-
„ tharinæ V. & M. A. D. 1387.

Cum Sigismundus Dominica Palmarum, ſive ultima Martii coronatus ſit, & feſtum Catharinæ die 25. Novembris celebretur, neſcio, an ex tanta temporis intercapedine ſuſpicari liceat, hoc poſteriore Veſtigio diverſa Comitia ab illis inauguralibus eodem anno celebrata indicari, aut quis Diplomatis clauſulæ ſenſus eſſe poſſit, cum ad annum 1396. huic plane ſimilis in alio Diplomate ejusdem Sigismundi Regis, quo Ladislao Duci Opoliæ facultatem concedit, terras dono Ludovici I. obtentas abalienandi. Ex Dogiel. Cod. Dipl R. Polon. T. IV. p. 77. apud Katona Hiſt. Crit. T. XI. p. 391.

„ Beneplacita voluntate & conſenſu Sereniſſi-
„ mæ Principis Dominæ Mariæ Reginæ Ungariæ,
„ Conſortis noſtræ cariſſimæ, ipſa tunc in huma-

„ nis agente, maturo etiam conſilio, & delibera-
„ tione Prælatorum, Baronum, Procerum, Nobi-
„ lium Regni noſtri accedente. - - - Nos cum
„ eorumdem *Prælatorum, Baronum, Procerum,*
„ & *Nobilium* Regni noſtri conſilio & delibera-
„ tione nihilominus accedente. - - - Datum in
„ Wywar, alias Holicz, Feria III. proxima poſt Fe-
„ ſtum S. Dorotheæ V. & M. A. D. 1396."

Anno 1398. aut præcedente 1397. Comitia in Temesvár celebrata, & in iis Decretum, ſive conſtitutionem conditam eſſe luculente colligitur ex pluribus Diplomatum clauſulis, & imprimis ex eo Diplomate, quo idem Sigismundus Rex in pergamena ſub pendenti ſigillo edito regale caſtrum Ozol vocatum inque Regno Sclavoniæ ſitum Spectabili Viro, Nicolao Veglæ, Modruſiæ &c. Comiti, & Magnificæ Dominæ Genitrici ejus pro 17000 Ducatis auri, per eosdem ipſi Regi pro arduis Regni negotiis expediendis, ſignanter pro tuitione confiniorum Regni contra inſultus Turcarum deſervientium ſuppeditatis, aſſumta in ſe evictione, promittendo meliorationes occurſuras ad 400 fl. limitatas, ſemet occaſione redemtionis bonificaturum. Ex MSS. Cornideſianis apud Katona Hiſt. Crit. T. XI. pag. 459. edito, in quo ſequentem adjicit clauſulam:

„Hoc declarato, & adjecto, quod *Decretum*
„ & *Conſtitutio* ſeu *diſpoſitio Baronum & Nobi-*
„ *lium Regni noſtri pridem in Congregatione no-*
„ *ſtra Generali in Themesvár* inter alia ſuper re-
„ ſtitutione Caſtrorum, Civitatum, & Poſſeſſionum,
„ per Nos cuipiam usque tunc per modum pigno-

ris

„ ris datorum, & aſſignatorum, iterum ad manus
„ noſtras fieri debenda, per nos celebrata factum,
„ & ordinatum, præſenti impignorationi & con-
„ tractui obſtare non valeant. - - - Datum A. D:
„ 1398. Kal. Menſis Novembris.“

Ad idem Decretum in alio Diplomate, ubi pecuniam pro cuſtodia & tuitione confiniorum Regni ſuppeditandam, pactatam petit, ſequentibus provocat:

„ Juxta *Statutum*, & *Decretum* alias in Temes-
„ vár factum. - - - Datum in Bachya in feſto B.
„ Emerici Ducis A. 1398.“

Conſtat quidem ex pluribus Diplomatum expeditionibus, Sigismundum A. 1397. Temesvarini, & in vicina verſatum eſſe, id nihilominus non ſatis evincit, eodem Anno Comitia hæc ibi celebrata eſſe, & licet in clauſula ſuperius relata dicatur: *pridem celebrata*, cum tamen id pro qualicunque præterito tempore in Diplomatibus uſurpari ſoleat, & alioquin negotium tuendorum Regni confiniorum, pro quo tunc de pecunia corradenda in Comitiis potiſſimum agebatur, tam urgens erat, ut ejus pecuniæ incaſſationem, ſi Comitia longius jam ante finem Anni 1397. celebrata fuiſſent, Sigismundus in finem ſequentis anni haud videatur dilaturus fuiſſe, unde probabili conjectura inferri poteſt, Comitia hæc re ipſa Anno 1397. exſpirante vel mox poſt initium Anni 1398. Temesvarini acta, & in illis Decretum conditum fuiſſe, quod tamen avaritia temporis occultatum,

nondum nobis in apricum proferre, & collectioni Legum Comitialium adjicere licuit.

Confirmat hanc ex urgente bello turcico, & neceſſitate tuendorum confiniorum Regni deductam conjecturam Mandatum regium Comiti vel V. Comiti Comitatus de *Ungh* ſonans ſuper eo, quatenus univerſos homines & Jobbagiones univerſorum Nobilium, & Poſſeſſionatorum dicti Comitatus in defenſionem Regni Confiniorum contra inſultus Turcarum Crucis Chriſti, & S. Orthodoxæ fidei perſecutorum revidere, numerare, & computare ſint adſtricti, in Archivo Leleſz. Actor. N. 15. Litt. U. V. N. 52.

Sigismundus Rex in Literis Prorogatoriis litis inter Civitatem Budenſem, & Mercatores Tranſylvanienſes ratione tranſitus habitæ, inter MSS. Cornides. ſequentia habet:

„Dictam cauſam - - - aliis arduis agendis „ noſtris, & Regni noſtri expeditionibus præpediti, inter easdem Partes ad præſens decidere, ac „ fine debito concludere non valentes, eandem ſtatu „ in eodem absque omni gravamine, ac variatio„ ne aliquali, ad Conventionem, ſeu Congrega„ tionem univerſorum Prælatorum, & Baronum, „ dum cum eisdem Deo duce in aliquo certo „ loco fuerimus conſtituti, duximus prorogandam. „ - - - Dat. in Themeswár ſecunda die Feſti XI. „ Millium Virginum. A. D. 1397.

Ex hoc textu non apparet quidem, an Sigismundus ardua illa ſua, & Regni negotia, quibus expediendis præpeditus, cauſam illam concludere non valebat, in Generalibus Comitiis, an

in

in deſcenſu, vel expeditione promoverit, apertius tamen per illam Conventionem, ſeu Congregationem univerſorum Prælatorum, & Baronum, ad quam eandem cauſam prorogat, Generalia Judicia innuit. Veriſimile nihilominus eſt, Sigismundum Anno 1397. Menſe Octobri Generalia Regni Comitia, de quibus quæritur, in Temeswár celebraſſe, præſertim cum loco prolato ardua agenda & Regni expeditiones diſerte commemoret.

Ceterum rem totam conficiunt, & præmiſſas conjecturas ad veritatem hiſtoricam evehunt gemina loca Diplomatica, in quorum uno commemoratur diſerte Congregatio Generalis in Civitate Themesvár pro tuitione, & defenſione Confiniorum Regni per univerſos Barones, & Proceres, potioresque Nobiles præſente Sigismundo Rege circa feſtum S. Demetrii celebrata Anno 1397. in altero ejusdem Anni ſequentia luculentius leguntur:

„Sigismundus &c. Quod cum animadverteremus, „quomodo ab olim, quod dolenter referimus, per inſultus & feritatem iniquorum Paganorum, impiorum „utpote Turcorum, & aliarum Scismaticarum Gentium „preſſuras in quibusdam annorum curriculis retrolapſis usque in diem hodiernum in Confiniis Regni noſtri Hungariæ plurimæ devaſtationes Poſſeſſionum, „& afflictiones hominum utriusque ſexus ſine differentia ætatis, & in jugum vilis ſervitutis redactiones „per Turconicam ſævitiam infallibiliter commiſſæ fuiſſent & perpetratæ; propter quod noſtra, & Regni „noſtri potentia diminui, & dictorum noſtrorum ini-

„ micorum crudelitas & inſultus prævaleſcere videba-
„ tur. Ea propter conſulendum circa præmiſſa, alia
„ quoque ardua noſtra, & dicti Regni noſtri negotia
„ fore exiſtimavimus, univerſosque Prælatos, Abbates,
„ Præpoſitos, & Barones Regni noſtri, nec non de
„ quolibet Comitatu ipſius Regni noſtri ſingulos qua-
„ tuor probos & nobiles viros, plena poteſtate cetero-
„ rum conſociorum ipſorum ad omnia ordinanda fungen-
„ tes verſus Themesvár ad feſtum B. Michaelis Archan-
„ geli nunc præteritum pro Congregatione & Conſilio
„ Generali deducendos feciſſemus accerſiri, nobisque
„ una cum eisdem inibi exiſtentibus. “

Anno 1402. Comitia, ſed multorum ingratiis celebrata fuiſſe, docet ſequens Inſtrumentum, quo Prælati, Barones, Proceres, Nobiles, ac Civitates Regni Hungariæ univerſi notum faciunt pro ſe, & ſucceſſoribus, quemadmodum Sigismundus Rex de ipſorum ſcitu conſenſu, conſilio, & voluntate Regnum Hungariæ donavit Duci Auſtriæ Alberto, tali conditione, quod ſi Sigismundum ante Albertum absque filiis legitimis, ſexus maſculini decedere contingeret, Regnum Hungariæ ad Ducem Albertum jure hæreditario devolvatur, prout in litera per Regem confecta, & Duci data continetur, promittunt præſtito Juramento, tactis manibus ſuis corporaliter Sacro Sanctis Evangelii ſcripturis Duci Alberto, quod ſi Regem ante Ducem absque legitimis filiis maſculini ſexus decedere contingeret, Albertum Ducem non alium in Regem Hungariæ recipere, ac coronare velint, non obſtantibus literis, quas aliqui Jodoco Marchioni Moraviæ ſuper donatione Regni Hungariæ,

de

Digitized by Google

de mandato Regis pridem dederunt, cum & Rex tam viva voce, quam litteris ab eisdem promiſſionibus ipſos abſolverit, & Jodocus Marchio, ob exceſſus a Rege in aliis literis ſpecificatos, ſe abdicaverit ſigillis 112. munitum:

„ Nos Prælati, Barones, Nobiles, Proceres, ac Ci-
„ vitates Regni Hungariæ univerſi recognoſcimus, &
„ notum facimus publice per præſentes, quibus expe-
„ dit univerſis, nunc & in futurum, pro nobismet
„ ipſis, noſtrisque Hæredibus, & Succeſſoribus quem-
„ admodum Illuſtriſſimus Princeps Dominus noſter gra-
„ tioſus, Dominus Sigismundus Dei Gratia Rex Hun-
„ gariæ &c. De noſtris ſcitu conſenſu, Conſilio &
„ voluntate jam dictum ſuum Regnum Hungariæ cum
„ omnibus & ſingulis Regnis, Principatibus, Ducati-
„ bus, Provinciis, Comitatibus, Dominiis, Caſtris,
„ Civitatibus, Homagiis, Hominibus, & Bonis, nec non
„ cum omnibus ſuis juribus, proventibus, honoribus,
„ libertatibus, dignitatibus, & conſuetudinibus nullo pe-
„ nitus excepto, donatione pura, libera & irrevoca-
„ bili, donavit, apropriavit, ac dedit, Illuſtri Principi
„ Domino Duci Alberto, Duci Auſtriæ &c Tali con-
„ ditione adjecta, quod ſi eundem Dominum noſtrum
„ Sigismundum ante præfatum Dominum Ducem Al-
„ bertum decedere contingeret, absque filiis legitimis,
„ maſculini ſexus, quod Deus avertat, extunc illud
„ idem Regnum Hungariæ, cum omnibus ſuis perti-
„ nentiis, prout prius eſt expreſſum, ad eundem Do-
„ minum Ducem Albertum jure hæreditario libere de-
„ volvatur, prout in quadam litera per Dominum no-
„ ſtrum deſuper confecta, & eidem Domino Duci da-
„ ta, & conceſſa clarius continetur, quodque eidem
„ Domino Duci Alberto promiſimus, ac promittimus,
„ ſcienter, ac ſpontaneæ præſentium, per tenorem bona
„ fide, non vi, neque metu, ac juramento præſtito, ta-
„ ctis

Digitized by Google

„ ctis manibus noſtris corporaliter Sacro Sanctis Evange-
„ lii ſcripturis, quod ſi in futurum contingeret præfatum
„ Dominum noſtrum Regem Hungariæ ante nomina-
„ tum Dominum Ducem Albertum, absque legitimis
„ filiis maſculini ſexus decedere, quod tunc eundem
„ Dominum Albertum Ducem, & non alium in Regem
„ Hungariæ recipere, ac coronare volumus, & debe-
„ mus, contradictione, dolo, & fraude quibuslibet po-
„ ſtergatis, non obſtantibus literis, promiſſionibus, & ob-
„ ligationibus, quas aliqui ex nobis Domino Jodocho
„ Marchioni Moraviæ ſuper donatione prædicti Regni
„ Hungariæ de mandato ejusdem Domini noſtri Regis
„ pridem dederunt, ac fecerunt, nam idem Dominus
„ noſter Rex nos ab eisdem Literis, & promiſſionibus
„ tam viva voce, quam Literis ſuis abſolvit, & pro-
„ nunciavit abſolutos, imo ipſam Donationem idem
„ Marchio ex certis, & rationabilibus cauſis, & exceſſi-
„ bus, quibus contra eundem Dominum noſtrum Re-
„ gem deliquit, quæ cauſæ, & exceſſus in aliis Literis
„ ejusdem Domini noſtri Regis ſpecifice & clarius de-
„ notantur, & exprimuntur, a ſe abdicavit, & ſe ipſum
„ ad idem Regnum Hungariæ poſſidendum, inhabilem
„ reddidit, & exortem. In cujus rei teſtimonium præ-
„ ſentes Literas fieri juſſimus, Sigillorum noſtrorum ap-
„ penſione roboratas. Datum Poſonii in feſto Beati
„ Mathæi Apoſtoli & Evangeliſtæ. Anno Domini Mil-
„ leſimo quadringenteſimo ſecundo. “

„ 1. D. Valentinus Cardinalis Quinque Eccleſienſis.
„ 2. D. Johannes Archiepiſcopus Strigonienſis.
„ 3. D. Andreas Archiepiſcopus Spalatenſis.
„ 4. D Thomas Epiſcopus Agrienſis.
„ 5. D. Eberhardus Epiſcopus Zagrabienſis.
„ 6. D. Lucas Epiſcopus Varadienſis.
„ 7. D. Joannes Epiſcopus Jaurinenſis.
„ 8. D. Michael Epiſcopus Veſprimienſis.
„ 9. D. Nicolaus Epiſcopus Vacienſis.

„ 10.

Digitized by Google

„ 10. D. Petrus Epiſcopus Nitrienſis.
„ 11. Emericus Bubek prior Auranæ.
„ 12. Frat. Doſa Abb. de S. Mont. Pan.
„ 13. Nicolaus de Gara Palatinus.
„ 14. Nicolaus de Marczal Vay. Tranſyl.
„ 15. Stiborius pridem Wayvoda.
„ 16. C. Frank de Zeechen Judex Cur. R. Majeſtatis.
„ 17, D. Stephanus de Kanyſa pridem Jan. Reg. Magiſt.
„ 18. D. Nicolaus C. Capellæ.
„ 19. C. Georgius de Poſing.
„ 20. Johannes de Maroth Banus Machov.
„ 21. Ladislaus filius Bartholomæi Ban. Machov.
„ 22. Emericus de Peren Pincernarum.
„ 23. Nicolaus Trewtel de Nevna Thavar. Reg. Magiſt.
„ 24. Johannes de Gara Comes Themeſienſis.
„ 25. Franciſcus Bubek Banus.
„ 26. Ladislaus filius Emerc. Bubek Wayvoda.
„ 27. Oſwaldus dictus Poharus de Soproncha.
„ 28. Nicolaus filius côn. Palatini de Zeech.
„ 29. Petrus de Peren pridem C. Siculorum.
„ 30. (Philpes de Korogh C. de Mihald.
(Johannes filius Gregorii de Alſon C. de Mihald.
„ 31. Martinus Dees Vice Palatinus.
„ 32. Filiorum Dauch Comit. de Lypkow & de Zolyom.
„ 33. Ladislaus Fanch Magiſter Agazonum.
„ 34. Petrus Chech de Setrow.
„ 35. Symon Soos de Soovár.
„ 36. Gallus de Zech C. Zolienſis.
„ 37. Ladislaus de Rozgon.
„ 38. Nicolaus Toth de Somzedvár.
„ 39. Johannes filius condam Bani de Morichida.
„ 40. Paulus Biſſenus Caſtell. Komarom.
„ 41. Johannes filius Thomæ de Ropul.
„ 42. Muchinus.
„ 43. Benedictus de Turuch.
„ 44. Nicolaus Byſſenus pridem C. Mag. Inſulæ.
„ 45. Stephanus Joann. filius Herreh de Tamaſy.

„ 46.

Digitized by Google

„ 46. Georgius filius D. Leuſtachii Palatini.
„ 47. Pipo de Ozora.
„ 48. Caſtellanus de Zeuchkles.
„ 49. Ladislaus dictus Hercheg de Zeckchew.
„ 50. Stephanus dictus Meſſer.
„ 51. Johannes dictus Weres de Wyzlow.
„ 52. Stephanus filius Pauli de Gara.
„ 53. Nicolaus filius Petri de Pivker.
„ 54. Michael filius Stephani de Mikola.
„ 55. Nicolaus filius Zokanya de Fedémes.
„ 56. Zuber Caſtellanus Budenſis.
„ 57. Beled de Lóós.
„ 58. Lorand dictus Kakas de Paſtoth.
„ 59. Ladislaus Tiretes de Bakmonoſtra.
„ 60. Nicolaus Cykon de Ponicz.
„ 61. Fabianus de Bychkele.
„ 62. Petrus de Dob.
„ 63. Stephanus dictus Chok.
„ 64. Carolus Comes de Korbavia.
„ 65. Joannes Groff der Korba Magiſt. Dapif. Regal.
„ 66. Ladislaus de Wendigh.
„ 67. Petrus dictus Forgach de Gymes.
„ 68. Auguſtinus Biſſenus.
„ 69. Jacobus filius Hedrici de Hedrehvár.
„ 70. Andreas filius Herrech de Rohoncha.
„ 71. Jacobus filius Georgii de Zadkadach.
„ 72. Nicolaus filius Stephani Vajda.
„ 73. Andreas filius Stephani de Berzenche.
„ 74. Gregorius Oll Com. Caſtriferrei. (fors Osl.)
„ 75. M. David de Alkus pridem C. Zolienſis. (al. Al-
„ 76. Jacobus Lachk. bens.)
„ 77. Ladislaus de Monoſtra.
„ 78. Petrus de Weres Wayvoda.
„ 79. Matheus de Paloch.
„ 80. Nicolaus filius Stephani de Ságh.
„ 81. Joannes dictus Németh de Bereghzeg.
„ 82. Ladislaus filius Petri de Almas.

„ 83.

Digitized by Google

„ 83. Johannes Antymi de Tapſon.
„ 84. Stephanus filius Leukes de Raholcha.
„ 85. Nicolaus filius Zarka.
„ 86. Johannes dictus Byka de Themhegh.
„ 87. Georgius Bathchka.
„ 88. Johannes de Rozgon.
„ 89. Gyula de Ratold.
„ 90. Magiſter Bako de Gvoynycha.
„ 91. Akus de Kelemes.
„ 92. Paulus de Zempche.
„ 93. Johannes filius Petew de Gerſe.
„ 94. Andreas de Chap.
„ 95. Thomas filius Petew de Gerſe.
„ 96. Moyſes de Daro.
„ 97. Jacobus filius Stephani de Halop.
„ 98. Sigismundus de Neckche.
„ 99. Stephanus filius Pauli de Kiſsaſzonfalv.
„ 100. Stephanus filius Michaelis de Gyula.
„ 101. Petrus Senas de Sarnold.
„ 102. Michael de Wecha.
„ 103. Nicolaus filius Petri de Ewr.
„ 204. Thomas dictus Lachk de Zekel.
„ 205. Johannes filius Hanchko de Nezmel.
„ 106. Nicolaus filius Ladislai de Racholcha.
„ 107. Nicolaus filius Lewkes de Racholcha.
„ 108. Johannes dictus Wdungh de Bews.
„ 109. Petrus filius Nicolai de Thereuk.
„ 110. Civitas Poſonienſis.
„ 111. Civitas Supronienſis.

Ex Coll. Dipl. MS. Comitis Fran. Széchenyi T. VI. N. 30. qui illud, ut videtur, ex MSS. Kollarianis, & hic ex Originali membrana ſanctioris Tabularii Aug. Domus 112. pendentibus ſigillis munita habebant. Cl. Pray Exemplari meo ſequentem adnotationem benevole ſubjecit: *Nomina*

mina videntur valde corrupta a Scriba fuiſſe. Vidi id Documentum olim, legique exhibitum mihi a D. Archivario Roſenthal. Nomina autem inſcripta ſunt vinculo membranaceo, ex quo ſigilla annularia dependent, ac ideo lectu difficilia ſunt. Eſſe autem ſigilla 112. *ipſe numeravi* G. P. Steph. Katona idem Inſtrumentum Hiſt. Crit. T. XI. p. 534. e MSS. Cornideſianis edidit, cui ſequentem ſubiicit obſervationem:

„Quia duæ tantum Civitates huic pactioni „ ſubſcripſerunt, & plures etiam ex Optimatibus, „ & Nobilibus abfuerunt, nunquam apud Hunga„ros eam vim habuit, ut ejus virtute heredita„ria ſucceſſio Principum Auſtriacorum in Hun„gariam agnita fuerit. Inde Principes Auſtriæ „ nulla hujus pacti mentione facta, de juribus aliis „ in Hungariam procurandis ſemper ſolliciti fue„rint, quæ ſubinde tam firma de conſenſu Sta„tuum & Ordinum evaſerunt, ut fulcris & fun„damentis adeo debilibus, & infirmis inniti non „ debeant.“

Factum Prayus ex Windekio Annal. P. II. p. 204. ad A. 1403. ſic narrat:

„Poſonium appropingvanti magna Procerum „ pars, ſeu honoris, ſeu metus cauſa obviam ve„nit, quos ille comiter acceptos, ut conſervare „ in obſequio facile poterat, ita, ſi temporis ra„tionem habeamus, parum omnino provide ab ſe „ alienavit. Veteranis enim copiis, quas eum ex „ Bohemia adduxiſſe narravimus, juveniliter fre„tus, pacta conventa, quæ anno ab hinc cum „ Alberto Auſtriaco ſucceſſionis cauſa inierat, in „ medium proferri juſſit, & rogatis quidem, non „ item acceptis ſententiis ſingulos ſuis nominibus

con-

Digitized by Google

„ confirmare imperavit. Ea res, quod præter Majorum conſuetudinem, & Regni jura eſſet, celebrandi ſeorſim conventus occaſionem Proceribus præbuit, in quo omnium ſuffragatione decerni placuit: *Quoniam Rex contra fas hæreditatem Regni, inſciis Ordinibus, alii tranſcripſiſſet; optimatibus, creandi novi Regis jus omnino liquidum eſſe.* "

Sigismundum cum Regno minime patrimoniali, ut liberaliter, ita inconſtanter, propemodum mercatum eſſe, vel inde patet, quod illud jam prius Jodoco Marchioni Moraviæ eadem levitate transſcripſerit, eademque inconſtantia rurſus ab eo receperit. Quidquid tamen ſit de his Sigismundi cum Alberto initis pactis cum non ad Decreta Comitialia, ſed ad Tractatus publicos pertineant, patet tamen hoc Anno 1402. qualemcunque Conventum Poſonii celebratum eſſe, in eoque Civitatibus etiam liberis Regiis jam locum fuiſſe, quin aliud aliquid in eo de Rep. actum fuiſſe appareat animis Regnicolarum ſive vi & metu, ſive rei novitate perculſis, & ideo ut ſe colligerent, malisque impendentibus mederentur.

Anno 1403. Plures Conventus contra Sigismundum Regem per male contentos coacti erant, contra quos indubie profecturus edidit Mandatum, quatenus adventus regius publicetur, & Nobiles relictis Infidelibus, cum Petro de Peoren, pro utilitate Regni ſervitia præſtent. Imprimis quidem male contentos in Villa *Hedreh*, vel jam antea uspiam quædam decidiſſe didici ex Epigraphe quadam,

dam, & dato, mandati Prælatorum, Baronum, Procerum, Nobilium Regni Hung. univerſis & ſingulis populis & jobagionibus Simonis, ut Stephano, qui bona ex Decreto ſuo occupaturi ſunt, obedire, proventusque omnes adminiſtrare noverint. Datum in deſcenſu exercituali, in Villa Hedreh fer. 6. prox. ante Dominicam Lætare A. D. 1403.

Paulo poſt in Oppido *Zalatnak* in Croatia eosdem fuiſſe & foedus cum Polonis iniviſſe, patet ex ipſis ejus Tabulis apud Dogiel. Cod. Dipl. R. Polon. T. I. p. 40. & ex eo apud Katona Hiſt. Crit. T. XI. p. 557. in quibus ſequentes leguntur clauſulæ.

„Proinde nos Prælati & Barones, Proceres, „Nobiles, & Communitas univerſorum terrigenarum Regni Hungariæ. - - - Dat. in Oppido „Zalatnak Zagrabienſis Dioeceſis. 4. d. Menſis „Aprilis A. D. 1403."

Tertium indicium Conventus prope *Poſſegavár* habiti ſuppeditat Inſtrumentum Joanni filio Nicolai de Somkerek ab iisdem male contentis conceſſum, quod Cornideſius ex originali Chartaceo 5. ſigillis munito Menſe Octobr. A. 1779. Peſtini deſumſit, & ab eo acceptum Katona Hiſt. Crit. T. XI. p. 583. vulgavit, in quo ſequentes clauſulæ occurrunt.

„Nos *Prælati*, *Barones*, *Proceres*, *Milites*, „& *Nobiles* Regni Hungariæ - - - a Domino „noſtro futuro Rege Hungariæ, quem nos Dei „favente Clementia ſuper Solium Regni Hunga-

„riæ

„ riæ in prox mo in Regem coronabimus - - cum
„ debita inſtantia volumus impetrare confirmari.
„ - - Datum in deſcenſu noſtro exercituali prope
„ Poſſegavár in Feſto Aſcenſionis Domini Anno
„ ejusdem M CCCC. tertio. "

Nempe jam tum Ladislaum Caroli de Duracio filium aemulum Sigismundi Regis in Regem Hungariæ deſtinatum habuerunt, cum non de Regis futura electione, ſed ſolum coronatione loquantur; Sigismundus omnes has tempeſtates ſive fortuna, ſive prudentia, ſive viribus etiam uſus, non tamen ſine ſeveritate ſuperavit, quia, ut Theodoricus de Niem narrat: *ex hoc in ipſo Regno Hungariæ clades hominum innumerabilium, ac eccleſiaſticorum, & piorum locorum, & monaſteriorum enormis deſtructio - - - ſequebantur; quia non ſine multorum diſpendio Reges deponuntur. Et adeo vires aſſumſerunt mala hujusmodi, quod etiam Presbyteri, & eccleſiaſticæ perſonæ utriusque ſexus non fuerunt ſecuri per totum Regnum Hungariæ. Quantum ad invaſionem, & deſtructionem, nulla eſt habita differentia inter Presbyteros, Clericos vulgares, ſacrum, & profanum.* Senſerit ipſe Sigismundus talionem in ſe deſtinari, qui Wenceslaum Bohemiæ Regem, fratrem ſuum per Pontificem depoſitum opera ſubditorum cum Marchione Moraviæ captum tenuerat, & ideo cum rebelles ſat compeſcuiſſet, ad leniora media converſus Amniſtiales Rebellibus in Regnis Hungariæ, Sclavoniæ & in partibus Tranſylvanis exiſten-

ſtentibus eodem Anno 1403. feria II. poſt feſtum B. Franc. Conf. primum, ut in Corp. Jur. Hung. generatim deinde pluribus tam familiis, quam ſingularibus perſonis conceſſit, nominatim pro omnibus & ſingulis viris eccleſiaſticis, quæcunque beneficia obtinentibus, nec non Militibus, clientibus, & alterius cujusvis præeminentiæ, ſtatus & conditionis hominibus, nobilibus, & ignobilibus, ſubditis videlicet, capellanis, aſſeclis, ac ſervitoribus Joannis Archiepiſcopi Strigonienſis, fratrumque ipſius, Nicolai, & Stephani de Kaniſa, reſpectu omnium, & ſingulorum exceſſuum, delictorum, factorum potentiariorum, rapinarum, cædium & violentiarum, per eosdem, vel eorum aliquem huc usque contra Majeſtatem regiam, perſonasque tam eccleſiaſticas; quam ſeculares quovis modo commiſſorum & patratorum criminis etiam læſæ Majeſtatis in poſtrema eorumdem rebellione admiſſi, cum gratia vitæ, ſeu capitis, ac bonorum, ſi intra anni unius revolutionem ad debitam fidelitatem reverſi fuerint. Die 5. Nov. A. 1403. Hinc patet primo, Joannem Archiepiſcopum Strigonienſem, qui in Tabulis pactorum pro Alberto ſuperius relatis ſubſcriptus legitur, ſive quod tunc ad id coactus fuerit, ſive ſe erraſſe poſtea reputaverit, mutata ſententia a Rege defeciſſe, & contra eundem cum factioſis egiſſe; deinde ejusdem & fratrum ſuorum *Viros Eccleſiaſticos, Milites, Clientes, Nobiles, & Ignobiles, Subditos, Capellanos, Aſſeclas, & Servitores, exceſſus facta potentiaria, rapinas, cædes* contra

contra perſonas tam eccleſiaſticas, quam ſeculares patraſſe, adeoque ea commiſiſſe, quæ loco ſuperius ex Theodorico de Niem relato commemorantur, fruſtra proinde Schmitthius in Archiepiſcopis Strigonien. p. 73. culpam in Regem derivat, & Joannem Archiepiſcopum *Virum inconcuſſæ fidei* appellat, Proceres vero, & Regem ferro, non jure diſceptare voluiſſe ſcribit, verum id eſt de Joanne poſtquam in gratiam rediiſſet, teſte ipſo Sigismundo Decr. I. §. 6. ante hanc autem contrarium patet ex ipſo fragmento Diplomatis adeoque Sigis. teſtimonio, quod ex Pray Annal. P. II. p. 200. Katona Hiſt. Crit. T. XI. p. 544. refert. Hæc licet ultra neceſſitatem hujus loci, ita combinata referenda erant, ſi quid inde tam iis, quæ in Veſt. Comitior. p. 179. quam his, quæ ſuperius de conventibus hujus anni præmiſi, lucis accedere poteſt.

Ad illuſtrandam Epigraphen, ſub qua in Corpore Jur. Hung. & in plerisque Codd. MSS. refertur *Gratia per Sigismundum Imp. & Regem Infidelibus ac Rebellibus ſuis facta* ratione ereƈtionis Banderii Aemuli ſui, *nec non injuriarum, damnorum, nocumentorum ſibi illatorum A.* 1403 *poſt fugam ex arce Sokyos*, juvat formulam referre, qua uſus eſt Sigismundus in literis Donationalibus per notam infidelitatis Rebellium fidelibus ſuis factis, prout eam in Donationalibus pro Clemente, Joanne & Paulo Korpad, A. 1403. Strigonii in feſto B. Eliſabeth Re-

ginæ, pro Joanne & Thoma Petheö de Gerſe Albæ Regali feria III. prox. poſt feſtum OO. SS. pro Ladislao de Gordova, ejusque filiis Albæ Regali in feſto S. Emerici Ducis; pro Greg. Osl de Azzonfalva Albæ Regali Sabbatho prox. poſt feſtum OO. SS. aliisque quam plurimis eodem Anno editis reperi, quæ ſic habet:

„Signanter his elapſis diſturbiorum temporibus, „quibus nonnulli Prælati, Magnates, Proceres & Nobiles Regni noſtri, ingrati, & immemores beneficiorum a Celſitudine noſtra largiflue perceptorum rebellionis calcaneo ducti, imo ſpiritu proterviæ ſeducti, a ſinu clementiæ noſtræ ſe avertere attemptando, inito fraudulento conſilio, quomodo nedum Dominum juſtum ſpernendo refutarent, imo deterius Dominum naturalem ab eis eliminarent, ſicque tractantes, & hinc inde ruminantes, quomodo alium in Regem eligendo introducerent, vota eorum de via in crimen læſæ Majeſtatis noſtræ in perſonam Ladislai filii condam Caroli de Duratio direxerunt, cujus tandem Banderium erigendo, per diverſa loca Regni noſtri in ejusdem, & Regnicolarum devaſtationem & incommoda detulerunt, & quod nefandius eſt, in locis Capitulorum, & Eccleſiarum cum reliquiarum Proceſſionibus idololatriæ perfidia dictum Banderium venerari diſpoſuerunt, præfato Ladislao plurimas Civitates, Poſſeſſiones & loca, ſignanter in Dalmatia & Croatia ſubjugari faciendo, quæ adhuc in manibus Aemulorum noſtrorum retinentur. Alias etiam adeo grandes exceſſus & enormitates committere præſumpſerunt, quod eosdem longum & difficile nimis foret declarare.“

Ad Annum 1404. commemorat Katona Hiſt. Crit. T. XI. p. 625. Decret. quoddam Sigismundi

di hoc A. 1404. editum haberi in MSS. Heveneſſianis Tomo D. p. 136. ſed illud per extenſum non protulit, ſuſpicatur tamen ex Præfat. & concluſione illud idem eſſe, quod in Corpore Jur. Hung. inſcribitur hujus anni 1405. II. ſeu inter Decreta Sigismundi III.

Poſt Gratiam Infidelibus ac rebellibus, Anno 1403. factam ita dictum *Decretum I. ſuper Donationibus Poſſeſſionum Infidelium. Budæ feria III. prox. poſt Dominicam Invocavit, A. D.* 1404. editum, videntur quædam difficultates in recuperandis ejusmodi bonis interveniſſe, ad quas tollendas edidit Patentales poſt recuperatum ſedecim annis pacifice poſſeſſum, per electionem vero Ladislai filii quondam Caroli de Durazio rebellantibus, quibusdam Proceribus peractam, perditum Regnum Hungariæ, vigore quarum modalitas fidelibus, notam infidelitatis prætenſive incurrentibus, bona ſua in Regno Hungariæ aliis collata recuperandi præſcribitur. Dat. in feſto B. Thomæ Apoſt. A. D. 1404.

Donatio ſuper Bonis Infidelium, potiſſimum in Sclavonia ſitis, ſi unquam alia, omnium liberaliſſima pro Joanne de Maroth Bano Machovienſi Poſonii feria VI. prox. poſt feſtum Paſchæ Domini Anno 1404. facta, cujus in Corpore Juris Hung. poſt Decreta Sigismundi Moſſoczius mentionem ideo ſolum facit, quia in Eccleſia Nitrienſi ſepultus fuit, ad Legislationem & Hiſtoriam Comitiorum nihil omnino facit. Habetur ea apud Kerchelichium, Kollerum, Katona & alios edita.

Digitized by Google

Jam ante Annum 1405. celebratorum Comitiorum, & Decreti in illis conditi, in quo Triceſima mercium inducendarum & educendarum Quæſtoribus impoſita fuerit, Veſtigium cubare videtur in Art. 17. Decreti minoris Anni 1405.

„Quia noviter certis, juſtis & rationabilibus cauſis
„ moti pro Reip. utilitate totiusque Regni conſervatio-
„ ne - - - - una cum Prælatis, Baronibus, & Regni
„ noſtri potioribus Proceribus decrevimus, ut univerſi
„ Mercatores, Negotiatores, & alii cujuscunque ſtatus
„ & conditionis homines extra Regni noſtri limites
„ mercimonia, ſeu res mercimoniales & venales defe-
„ rentes & exportantes, triceſimam partem, quemad-
„ modum de illis, quæ introducuntur in Regnum ſol-
„ vere, & adminiſtrare teneantur; idcirco in præmiſſi
„ Decreti noſtri noviter conſtituti aliqualem alleviatio-
„ nem - - - .

Decretum id eſſe in Comitiis, indicat clauſula illa: *una cum Prælatis, Baronibus & Regni noſtri potioribus Proceribus decrevimus.* Diverſo autem a præſenti Articulo 17. adeoque minori Decreto, contra quam præfixa illi Rubrica innuere videatur, diverſis item anterioribus Comitiis id decretum fuiſſe innuunt clauſulæ illæ: *quia noviter: &, in præmiſſi Decreti noſtri noviter conſtituti,* quæ aperte ad diſtinctum anterius tempus & Decretum provocant, & narrant, quid in eo conſtitutum fuerit. In quibus tamen Comitiis, ubi, & quando id factum ſit, nondum diplomatice definire poſſum.

Anno 1405. Sigismundus Rex in Privilegio Civitati Cibinienſi in Comitatu Saroſſienſi dato, & apud

Digitized by Google

apud Katona Hiſt. Crit. T. XI. p. 661. edito illuſtre Veſtigium Comitiorum eodem anno celebratorum reliquit, quod huc eo lubentius adſcribo, quia fere verbum verbo correſpondet cum Præfat. Decreti II. §. 3. 4.

„Quod nos in mentis noſtræ arcano perſpi-
„ caci meditatione revolventes, & in Chronicis
„ Regni hujus noſtri Hung. ad plenum notatum
„ fore perpendentes, quomodo hoc Regnum no-
„ ſtrum variis ſaepe afflictionibus interdum per Biſ-
„ ſenos, aliquando per Tartaros, nonnunquam per
„ alios Paganos, noviſſime vero per Turcos irro-
„ gatis, ob muratarum Civitatum & munitionum
„ ſolummodo carentiam & defectum, cum homi-
„ nes, ubi ſe & bona recludere, ſeu reducere va-
„ lerent, loca fortia non haberent, quin imo
„ cuncta in publico expoſita prædis hoſtium in
„ propatulo ſubjacerent, triſtiſſimas hominum tam
„ interemtiones, quam abductiones, miſerabiles de-
„ ſolationes, & generaliter inæſtimabilia damna
„ & innumerabilia ac immania facinora, quæ hor-
„ ror eſt referre, proh dolor! pertulit detrimen-
„ ta. Convocatis ex omnibus Regni noſtri Co-
„ mitatibus ac Diſtrictibus Civitatum, Oppido-
„ rum & Liberarum Villarum Regiæ jurisdictioni
„ pertinentium Nunciis & Legatis, auditis & di-
„ ligenter intellectis eorum, & ipſorum petitioni-
„ bus, requiſitionibus, informationibus & opinio-
„ nibus præcipue ad inſtaurationem Civitatum mu-
„ ratarum Munitionum, Fortalitiorumque præpa-
„ rationem pertinentibus inter alias Regni Civita-
„ tes, quas murari diſpoſuimus, Civitatem noſtram
„ Cibinienſem, de Prælatorum, Baronum, Nobi-
„ lium, & Regni noſtri Procerum, Nunciorum
„ etiam & Legatorum prædictorum pari, & una-
„ nimi voluntate, digeſto Conſilio, ſana, & ma-

„ tura deliberatione præhabitis. - - - Dat, A. D.
„ 1405. XVII. Kal. Menſis Maji. “

De hoc eodem Decreto II. Anni 1405. primo reperi inter MSS. Lakichiana Diplomatica memorabile Inſtrumentum Capituli Budenſis, quod refert, in præſentia Teſtimonii Capitularis, ad Mandatum Regis exmiſſi publicatum eſſe Decretum ſeu ſtatuta Sigismundi Regis edita in Generali Congregatione Comitatus de Peſth, & velut Regno proficuum, acceptatum fuiſſe teſtatur. Profero illud per extenſum;

„ Capitulum Eccleſiæ Budenſis omnibus Chriſti fi-
„ delibus tam præſentibus quam futuris præſentium no-
„ titiam habituris ſalutem in filio Virginis Crucifixo.
„ De facili memoria labitur hominum, quam non ſe-
„ renat lucida ſeries literarum proinde ad univerſorum
„ notitiam harum ſerie volumus pervenire, quod cum
„ nos pridem, ut puta, Feria ſecunda proxima poſt
„ feſtum Beati Georgii Martyris proxime præteritum ex
„ ſpeciali edicto Sereniſſimi Principis & Domini Do-
„ mini Sigismundi Dei gratia Regis Hungariæ domini
„ noſtri naturalis, *ad congregationem generalem uni-*
„ *verſitati Nobilium*, ac alterius ſtatus dignitatis, con-
„ ditionis, & præeminentiæ *Peſtienſis & Piliſienſis Co-*
„ *mitatuum* hominibus, per virum magnificum Nico-
„ laum de Gara Regni Hungariæ Palatinum & Coma-
„ norum Judicem de litteratorio mandato ipſius Do-
„ mini noſtri Regis prope Civitatem Peſtyenſem rite
„ celebratam, pro audiendis, cognoſcendis, & intel-
„ ligendis Nobilium & aliorum Regnicolarum in dicta
„ congregatione adhærentium reſponſionibus & cordia-
„ libus eorundem voluntatibus ſuper ſtabilitate Decre-
„ ti, ſeu Statuti ejusdem Domini noſtri Regis ad ſui
„ Regni commodum & utilitatem cum Prælatis, & Ba-

„ roni-

Digitized by Google

„ ronibus ſuis pridem editi firmati & ordinati Congre-
„ gatione in eadem pro tunc perlecti, & ſerioſe, ac
„ articulatim interpretati factis, & quoquo modo ha-
„ bitis, non unum duntaxat aut duos, ſed plures ex
„ nobis, videlicet diſcretos viros, Johannem Wrede
„ Lectorem Eccleſiæ noſtræ prædictæ, ac Paulum Lit-
„ teratum, Lucam Nicolaum dictum de Hathuan, &
„ Michaelem dictum de Fok ſocios, & Concanonicos
„ noſtros duxiſſemus transmittendos, ad præmiſſa fide
„ dignos. Iidem demum abinde ad nos reverſi, &
„ in his rite, & conſcientioſe per nos requiſiti, nobis
„ uniformi ultronea & parili voluntatibus retulerunt,
„ quod præfati Nobiles & alterius ſtatus ac dignitatis
„ præfatæ congregationis homines, viri utpote Eccle-
„ ſiaſtici, & Seculares, Nobiles & Ignobiles formam,
„ modum, & ſtabilitatem præmiſſi Decreti & Statuti
„ prætaxati Domini noſtri Regis audientes, percipien-
„ tes, & ſane intelligentes, hujusmodi Decreta & Sta-
„ tuta dicti Domini Domini noſtri Regis voto unani-
„ mi, & nemine in his diſcrepante, ex puro ipſorum
„ cordis zelo, imo ſummo deſiderio approbantes re-
„ tuliſſent, & affirmaſſent, quod Statuta & Decreta
„ prætaxata per eundem Dominum noſtrum Regem mo-
„ do quo ſupra edicta ad laudem, decus, & utilitatem
„ commodumque perpetuum, & laude dignum profe-
„ ctum totiusque Regni, Regnicolarumque ac Reipu-
„ blicæ utilitatis incrementum acta, facta, firmata fuiſſent,
„ haberentur & ordinata. In cujus rei teſtimonium
„ præſentes conceſſimus Litteras noſtras privilegiales
„ pendentis, & authentici ſigilli noſtri munimine ro-
„ boratas. Datum ſecundo die Feſti Inventionis Sanctæ
„ Crucis, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo
„ quinto. (*Locus pendentis Sigilli.*)

Sigismundus Imp. & Rex in Inſtrumento, quo Privilegium A. 1405. in feſto BB. Philippi & Jacobi Apoſt. Budæ Civitati Libetha conceſſum confirmat,

firmat, commemorat Decretum ſuum minus A. 1405. I. conditum ſequentibus:

„Præſentarunt Nobis quasdam Literas noſtras pa-
„ tentes majori ſigillo noſtro, quo ut Rex Hungariæ
„ utebamur, nuper propter augmentum tituli noſtri
„ Imperialis, ſuſceptis Coronis Imperialibus per nos
„ confracto, & in partes diſſecato ſigillo, loco videli-
„ cet cujus aliud ſimiliter majus ſigillum formæ diſſi-
„ milis pro noſtra Majeſtate de novo ſculpi fecimus
„ & fabricari, a tergo conſignatas, vigore quarum eos-
„ dem, *juxta formam noſtri generalis Decreti*, *per*
„ *Nos ex deliberatione Prælatorum*, *Baronum*, *Re-*
„ *gnique noſtri Procerum dudum ſuperinde ſtabiliti &*
„ *editi*, ab omni ſolutione tributaria in noſtris tributis
„ regiis per ipſos de eorum rebus, bonis, & merci-
„ bus ſolvi conſveta, modo, & ordine infra, in tenori-
„ bus ipſarum aliarum literarum noſtrarum ſpecificatis
„ exemiſſe & liberaſſe dignoſcimur. - - - Datum Po-
„ ſonii in Feſto B. Catharinæ V. A. D. 1434. „

In ipſis autem literis transumtis & confirmatis ad idem Decretum minus Art. 11. ſequentibus provocatur:

„ Quia Nos juxta formam *Decreti*, noviter *per Nos*
„ *ex deliberatione Prælatorum & Baronum*, *Regnique*
„ *noſtri Procerum* ſalubriter *ordinati* univerſos merca-
„ tores, & quoslibet alterius ſtatus homines ab omni
„ tributaria ſolutione, in noſtris videlicet tributis re-
„ giis, per eos de ipſorum rebus ac mercimoniis alias
„ ſolvi conſveta libertavimus & exemimus, liberosque
„ habere volumus & exemptos. “

In Decreto Anni 1588. Art. 16. appellatur Sigismundi Regis Anni 1405. *Decretum III*. patet hinc Editione Moſſocziana Decretorum jam Anno 1588. adeoque poſt quadriennium Status &

OO.

Digitized by Google

OO. jam uſos fuiſſe, ejusque ordinem & diviſionem adoptaſſe, & Reſolutionem quidem ſuper Donationibus Poſſeſſionum Infidelium non item Gratiam Infidelibus ac Rebellibus ſuis factam, pro Decretis habuiſſe.

Ad Annum 1406. reperio in Extractu Tabularii Nationis Saxonicæ Batthyaniano: Mandatum Sigismundi Regis de puniendis malefactoribus in fundo nobilitari, tamquam loco delicti deprehenſis & libertate eorumdem veſtigia proſequendi. Datum A. D. 1406. quod licet non ſuppeditet Comitiorum Veſtigium, facit tamen ad indagandas Origines legum. Vid. infra ad Annum 1468.

In Literis Nobilitaribus, Nicolao ac Dionyſio Garazda, ac Ladislao de Szilágy a Sigismundo Rege VI. Kal. Martii Anno 1409. datis occurrit clauſula:

„De Regali Munificentia, ac benignitate, & po-
„teſtatis noſtræ plenitudine, ac ex certa noſtra ſcien-
„tia, animo deliberato, ſano etiam Prælatorum, Ba-
„ronum, & Procerum, ac *potiorum* Regni noſtri *No-*
„*bilium* ad id accedente conſilio.“

Ubi, licet fere omnes Status Regni ad Generalia Comitia convocari ſoliti enumerentur, minime tamen locus iſte, & complures huic ſimiles pro Veſtigiis Comitiorum haberi poſſunt, ſed potius ex iis diſcimus, qui nam eo tempore in Conſilio Regis ad pertractanda publica negotia conſederint.

Diſer-

Digitized by Google

Diſertius Veſtigium legitur in alio Diplomate ejusdem Regis & anni cum ſimili clauſula, confirmatorio alterius ſui Diplomatis, quo in bonis Georgii de Kalaſz utriusque ſexus heredibus orbati, Barbaram & filium hujus Blaſium de Nyik Anno 1394. fer. III. poſt feſt. inventionis S. Crucis præfecit, in quo ſequentia habentur:

„ Noſtra Regia autoritate, & poteſtatis plenitudi-
„ ne, ex certaque ſcientia noſtræ Majeſtatis, Prælato-
„ rum etiam, Baronum noſtrorum conſilio præmatu-
„ ro, & uniformi eorumdem Decreto, non obſtante
„ Decreto per Nos una cum Prælatis, & Baronibus no-
„ ſtris ac *potioribus Regni noſtri Proceribus*, alias ſu-
„ per exhibendis inter cetera literis noſtris, ſignanter
„ prænarrato ſecreto ſigillo noſto, ut præmittitur, de-
„ perdito, munitis & conſignatis, usque certum tem-
„ pus in ipſo Decreto expreſſum, & jam elapſum edi-
„ to, dictarumque literarum noſtrarum patentium eo
„ tum non exhibitione, & lapſu temporis hujusmodi
„ in earum vigoribus linquentes - - - innovantes per-
„ petuo valituras confirmamus. - - - Dat. A. D. 1409.
„ XIV. Kal. Sept.

Hic iterum exemplum recurrit, ubi Rex Diplomate ſuo conſtitutioni Regni derogat; ceterum Decretum de ſigillo ſecreto, & exhibendis Literis ſub eodem expeditis, quod hic commemoratur per Regem cum Prælatis & Baronibus, ac potioribus Regni Proceribus factum inter præcedentia Sigismundi Decreta, quæ in Corpore Juris Hungarici edita ſunt, nuſpiam reperitur uti hoc jam in Veſtig. p. 205. obſervavi, ſed illa ſuſpicio, quaſi Decretum minus Sigismundi haud quaquam in Cor-

Corpore Juris Hung. integrum ſit, ceſſat poſtquam authenticum ejus Exemplar detexi. Debuerit igitur peculiari conſtitutione ab utroque hujus Anni Decreto diverſa id ipſum de Sigillis decretum fuiſſe, quemadmodum illud de Bullatis, quod in Veſt. p. 199. retuli eodem anno editum fuit, & plura alia his ſimilia ſub Comitiis extra Decreta, conſtituta fuiſſe ſcimus. Niſi conjecturæ huic longe adhuc evidentius Diplomaticum Veſtigium non alicujus Conſtitutionis lateralis, ſed *Decreti Generalis* conditi obſtaret, quod in quodam Sigismundi Regis mandato detexi, quo Comitatibus Zempliniensi & de Ungh injungit, ut in *Generali Congregatione primitus per ipſos celebranda* omnes qualiacunque Inſtrumenta, ſeu Privilegia ſub ſigillis Ludovici Regis, & Mariæ ac Eliſabeth Reginarum, ac ſuis ipſius minoribus & authentico expedita & etiam ſub novo ſigillo majori Sigismundi authentico confirmata vel non confirmata habentes, ad revelationem eorumdem ſub juramento ſtringant, in quo ſequentia habentur:

„ Cum Nos ex vi, ſanctioneque, & virtute *noſtri* „ *Generalis Decreti, alias una cum Prælatis, & Ba-* „ *ronibus Regni noſti prædicti editi & ſtabiliti* de, & „ ſuper univerſis & ſingulis Poſſeſſionibus & juribus „ poſſeſſionariis, & quibuscunque donis ſub Sereniſſi- „ mi condam Domini Ludovici ſimiliter Regis Hun- „ gariæ Soceri, nec non Inclytarum Eliſabeth Conſor- „ tis ejusdem, ac Mariæ Reginarum conſortis noſtræ „ chariſſimarum felicium recordationum minoribus, ſeu „ ſecretis, ac tandem noſtris minoribus & authentico, „ dudum rationabilibus de cauſis amiſſis, & confractis

„ ſigillis

„ ſigillis datis & emanatis, ac infra tempus hujusmodi
„ Decreti cum præſenti novo noſtro majori authentico
„ ſigillis confirmatis, vel non confirmatis. Item Fu-
„ ribus, Latronibus, falſarum monetarum Cuſoribus,
„ earumdemque Latoribus & Raſoribus, falſorumque ſi-
„ gillorum Sculptoribus, & literarum falſarum Confe-
„ ctoribus, nec non novorum actuum potentiariorum
„ Patratoribus. Item de his, qui temporibus diſturbio-
„ rum Regni noſtri contra Majeſtatem inſurgendo, ſi-
„ bi ipſis infra tempus Decreti exinde pro tunc ſtabi-
„ liti literas noſtras gratioſas impetrarunt, vel ne, cer-
„ tius edoceri volentes, & propter hujus rei ſervan-
„ dam cautelam uberiorem Comitatibus in eisdem - -
„ Congregationem fieri decrevimus celebrari Gene-
„ ralem. Id circo fidelitati Univerſitatis veſtræ, &
„ cuilibet Veſtrum firmo noſtro Regio ſub edicto di-
„ ſtricte præcipimus & mandamus, quatenus ſtatim,
„ viſis præſentibus univerſaliter & generaliter, per mo-
„ dum proclamatæ Generalis Congregationis in Sedem
„ veſtram Judiciariam conveniendo veſtri de medio Ju-
„ ratos Aſſeſſores inſtituere debeatis, qui noſtri ſingu-
„ la in talibus fieri ſolita vice peragendo, omnes ho-
„ mines, cujuscunque ſtatus & conditionis exiſtant,
„ qui ſub præſcriptis ſigillis Poſſeſſiones, & jura poſ-
„ ſeſſionaria, nec non tributa, fora libera, & nundi-
„ nas liberas, ac patibula, & alia dona: Item Literas
„ de præmiſſo delicto gratioſas impetrarunt, nec non
„ univerſos fures, latrones, incendiarios, patricidas,
„ fratricidas, matricidas, falſarum monetarum cuſores,
„ earumque latores & raſores, ac falſorum ſigillorum
„ ſculptores, literarumque falſarum emanatores, & ge-
„ neraliter quoslibet malefactores - - - ad fidem ve-
„ ſtram Deo debitam, fidelitatemque Nobis & noſtro
„ ſacro Diademati; tacto vivificæ Crucis ligno obſervan-
„ dam conſcientioseque extradare, nominare & pro-
„ nunciare debeatis, absque odio, favore, timore, &
„ amore quibuslibet poſtergatis in hac parte - - - - -

ſecus

Digitized by Google

„ ſecus ſub obtentu noſtræ gratiæ facere non auſuri.
„ Dat. Budæ feria III. prox. poſt feſtum Paſcæ Domi-
„ ni Anno 1409.

Ejusdem Decreti non tantum memoriam ſed & locum conſignavit ipſe Sigismundus Rex in alio Diplomate dato Budæ in Dominica *Letare* A. D. 1409. quo Judices Regni Ordinarios

„ Juxta novum Decretum, per nos eisdem, aliis-
„ que Regnicolis noſtris ad id generali promulgatione
„ in Regno noſtro præhabita deputatos, omnes & quas-
„ libet literas, & literalia munimenta, factum Poſſeſ-
„ ſionum, Jurium &c ſub moderno authentico Sigillo
„ confirmata &c.

reviſuros & examinaturos inhibet

„ Non obſtantibus noſtris Statutis & Decretis alias
„ in Themeswár per Nos editis. "

Ne familiam de Kanyſa ad productionem literalium inſtrumentorum, bona, poſſeſſoria, jura, immunitates, privilegia &c. concernentium adſtringant. Vidimus ad A. 1397. in Themeswár conventum celebratum, & Decretum conditum fuiſſe, verum iſtud Veſtigium, recentioris, & probabiliter Anni 1408. exeuntis, aut 1409. ineuntis, Conventum iterum in Themeswár celebratum, & Decretum in eo editum indigitare, alia Veſtigia, quæ hic præmiſi, docent. Ceterum in hoc eodem Inſtrumento memoriam duplicis Regeſtri, *Regis* & *Cancellarii* deprehendi, quod & alias me obſervaſſe memini.

Sub Sigismundo Rege re ipſa impoſturæ in conficiendis falſis literis ad ſummum invaluerunt. Habeo

Digitized by Google

Habeo beneficio I. Comitatus Thuroczienſis, cui pro eo hiſce humaniſſimas gratias ago, monumentum ſub titulo **Regiſtrum de Thuroch** in re diplomatica Hungariæ quantivis pretii, in quo Inſtrumenta literalia univerſa jura Poſſeſſionaria ejusdem Comitatus concernentia, quæ usque ad Annum 1391. in Congregatione Generali producta, & pro genuinis agnita ſunt recenſentur. Dabo hic particulam illius dum integrum in Diplomatario univerſali producere poſſim:

„ Nos Comes Emericus Bubek - - - Comes Lyptovienſis notum facimus, - - - Quod cum Celſitudo ipſius D. Noſtri Regis pullulata multiplicatione maleficiorum, ac pravorum & iniquorum actuum T. T. maledictæ memoriæ pridem pro ſuis ſubſequentibus factis malitioſis juxta ſuum demeritum, per noſtrum V. Comitem & Judices Nobilium, in præſentia Nobilium, & alterius ſtatus hominum dicti Comitatus Liptovienſis ſupplicio ignis incendii condemnati, in cujus videlicet domo & ſcrinio nuper multa falſa ſigilla, literæ nequitioſæ, & regiſtra inventa fuerant, & reperta, præfatoque Domino noſtro Regi ac Prælatis, & Baronibus ſuis ad Budam exſtiterunt apportata & exhibitæ, per ipſosque D. noſtrum Regem, Prælatos, & Barones ſuos ſtupenda admiratione reviſa, & perlegi factæ, ſub eorumdem ſigillis incluſæ, noſtris manibus ad conſervandum, & ad dictum Comitatum de Thuroch deferendæ, & ſubſcripto modo coram Univerſitate Nobilium exponendum, & promulgandum erant traditæ, & aſſignatæ, Prælatorum & Baronum ſuorum maturo conſilio præhabito pro exterminatione hujusmodi erroris & periculi, quod juribus ejusdem D. noſtri Regis, ac memoratorum Nobilium dicti Comitatus

de

„ de Thuroch & aliorum Regni poſſeſſionatorum ho-
„ minum ex præmiſſis eveniſſet, & poſſet evenire in
„ futurum, Nos *ad Congregationem generalem Uni-*
„ *verſitati Nobilium prædicti Comitatus de Thuroch*
„ *celebrandam* ſua Regia authoritate ſuffulta deſtinaſ-
„ ſet, committendo, & præcipiendo firmiſſimo regio
„ ſub edicto, memoratis Nobilibus dicti Comitatus, ut
„ iidem unanimiter ad ipſam Congregationem noſtram
„ celebrandam confluere, juratosque Aſſeſſores more
„ ſolito præficere, & univerſos nocivos homines extra-
„ dare, ac in omnibus, ſignanter ſuperius latius expli-
„ catis, judicio & judicatui noſtro parere, & reveren-
„ ter obedire, ac univerſa eorum literalia Inſtrumenta
„ ſuper Juribus eorum poſſeſſionariis, ac libertatibus
„ quoquo modo hactenus emanata, pro tollenda præ-
„ miſſa ambiguitate, per Nos ſagaciter revidenda in Si-
„ gillis & Scripturis ſupreme examinanda plenarie, &
„ indilate Nobis afferre, & apportare, recepturi, quid
„ juris ratio exigit, & requirit. Juſtos tamen non of-
„ fendere, & pravos non defendere deberent, & te-
„ nerentur, volensque & literis ſuis mediantibus nobis
„ firmiter præcipiens idem Dominus noſter Rex, ut
„ poſſeſſiones illorum, qui fortaſſe ex ipſis Nobilibus
„ ſua literalia Inſtrumenta nobis afferre, & exhibere
„ recuſarent, imo ſi rei & culpabiles palam in his re-
„ perti fuerint, confeſtim pro ſua teneremur Majeſtate
„ occupare, & per donationem etiam ejusdem tribue-
„ re, & conferre ſuis regiis fidelibus, quibus malle-
„ mus, plenæ regiæ auctoritatis poteſtate Nobis in hac
„ parte attributa; Nosque ex ipſo ſpeciali, & literario
„ regio edicto feria IV. proxima ante feſtum B. Mi-
„ chaelis Archangeli Anno 1391. in Villa Szent-Mar-
„ ton vocata Univerſitati Nobilium dicti Comitatus de
„ Thuroch congregaſſemus generalem, ex tunc in ipſa
„ Congregatione noſtra generali inter omnia alia re-
„ galia Mandata præſcripta univerſa literalia Inſtrumen-
„ ta prædictorum Nobilium dicti Comitatus de Thuroch,

„ do-

„ coram nobis ſingilatim per eosdem afferri & exhibe-
„ ri petiviſſemus."

Simile quid actum fuiſſe Peſtini Anno 1448. in Generali Regnicolarum Conventu adnotavi in Veſtigiis Comitiorum p. 271. Ex pluribus Diplomatibus adverto, his adhuc temporibus Generales Comitatuum Congregationes, ſi illæ a Judiciis Palatinalibus diſtinctæ erant, non niſi erga Mandatum Regium celebrari ſolitas fuiſſe, deinde Aſſeſſores in Comitatibus tunc adhuc ſtabiles vix fuiſſe, verum pro ea ſolum Congregatione quospiam per univerſitatem denominari conſueviſſe, quod ex his quoque Diplomatum fragmentis, quæ nunc protuli non obſcure eluceſcit.

In Coll. Dipl. Sam. Székely T. II. pag. 79. apud C. Ign. de Batthyan Epiſc. Tranſyl. reperi Inſtrumentum, ex quo patet, Congregationes Generales unius, vel plurium Comitatuum ſimul, præſidente Palatino vel Judice Curiæ Regiæ de ſpeciali Mandato regio in Campo libero ad aliquam Civitatem vel pagum celebratas, ibidemque cauſas litigantium motas, diſcuſſas ac deciſas fuiſſe, qui mos ambulatoria Judicia celebrandi apud Hungaros originalis & antiquiſſimus fuiſſe videtur.

Sigismundi Decreto II. Anni 1405. I. Art. 6. & Decreto III, anni ejusdem II. Art. 14. libera Colonis migratio conceſſa fuit, habebat nihilominus executio hujus legis multas difficultates, partim propter Dominorum terreſtrium jura, quibus illibenter ceſſerunt, partim propter Colonorum mutabilitatem Sigismundus, ut legibus vigorem

adderet

adderet Anno 1410. edidit Mandatum circulare ſuper libera migratione, depoſito terragio, ſolutisque debitis, Jobagionibus, jobagionalisque conditionis hominibus admittenda, quod ex Originali Cimelii Székelyiani Biblioth. Epiſc. Quinque Eccles. T. II. p. 255. N. 321. Carolus Fejérvári Analector. T. II. N. 117. deſumſit, & ego hic inſerendum eſſe putavi.

„Sigismundus Dei Gratia Rex Hungariæ, Dalma-
„ tiæ, Croatiæ, Marchioque Brandenburgenſis &c. Sa-
„ cri Romani Imperii Vicarius, & Regni Bohemiæ Gu-
„ bernator, Fidelibus ſuis univerſis, Prælatis, Baroni-
„ bus, Comitibus, Caſtellanis, Nobilibus, eorumque
„ officialibus, item Civitatibus, Villis, ipſarumque Re-
„ ctoribus, Judicibus, & Villicis, quibus præſentes
„ oſtenduntur, ſalutem & gratiam, quia nos una
„ cum Prælatis & Baronibus noſtris id mutuo decrevi-
„ mus, & ſuper hoc ſtatuere fecimus, ut univerſi Joba-
„ gyones, ſeu jobagyionalis conditionis homines in
„ quorumcunque poſſeſſionibus reſidentes, qui habita
„ licentia, juſtis terragiis, & aliis ſolitis eorum debi-
„ tis perſolutis ad poſſeſſiones quorumcunque ſe trans-
„ ferre voluerint moraturos libere poſſint, & ſecure
„ valeant abire, & recedere ſalvis eorum rebus & per-
„ ſonis, nec per quempiam valeant quovis modo re-
„ ſervari, & detineri, igitur veſtræ & cuilibet veſtrum
„ fidelitati firmiter præcipientes mandamus, quatenus
„ univerſos & quoslibet Jobagyones veſtros, ſeu job-
„ agyionalis conditionis homines, qui de veſtris poſ-
„ ſeſſionibus tenutis hominibus, & veſtri de medio ad
„ poſſeſſiones fidelium noſtrorum Magiſtri Martini filii
„ Jacobi de Ujfalva majoris Cancellariæ noſtræ Nota-
„ rii, dictique Jacobi fratris, ac fratrum ſuorum habita
„ licentia, juſtisque terragiis, ac aliis debitis perſolu-
„ tis moraturi ſe transferre voluerint, eosdem in uni-

X verſis

„ verſis eorum rebus & Bonis libere, & absque omni „ impedimento ire, & recedere permittatis ſecus facere non auſuri. Alioquin commiſimus & ſerie præſentium firmiter committimus fidelibus noſtris Comiti vel Vice Comiti & Judicibus Nobilium illorum Comitatuum, in quibus harum continentiis contrarium per „ quemquam fuerit attentatum, ut ipſi vos & veſtrum „ quemlibet ad id ipſum efficaciter faciendum per poenas noſtri Decreti præmiſſi compellant, & adſtringant „ auctoritate noſtra præſentibus eis in hac parte attributa mediante, præſentes denique perlectas reddite „ præſentanti. Datum Budæ in Dominica invocavit „ Anno Domini 1410. „

In eodem Cimelio Székelyiano Tomo II. N. 303. habentur Literæ Nicolai de Machally Vayvodæ Tranſylvani, ſcriptæ Petro filio Stephani de Debrenche, ne depoſito terragio, ſubditi aliorſum migrare cupientes, impediantur, ac retineantur per Dominos terreſtres. Datum in Chanad, ſed ſine anno, diu difficultates iſtæ perduraverint, ſiquidem Sigismundus adhuc anno 1422. debuerit edere mandatum patens ad Univerſitatem Nobilium Poſſeſſionatorum directum, ne Jobagyones ſuos impetrata licentia, juſtoque terragio depoſito migrare prohibeant, quod ex Originali Archivi Regni deſumtum itidem profero.

„ Sigismundus Dei Gratia Romanorum Rex ſemper „ Auguſtus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex. Fidelibus noſtris univerſis, & ſingulis Nobilibus, & alterius cujusvis ſtatus dicti Regni „ noſtri Hungariæ poſſeſſionatis hominibus præſentes „ viſuris Salutem & Gratiam: Dicitur nobis in perſona „ religioſi viri Domini Fratris Friderici Abbatis de

„ Beel,

Digitized by Google

„ Beel, quomodo nonnulli forent ex veſtris Jobbagyio-
„ nibus, qui obtenta licentia, juſtoque terragio de-
„ poſito, & aliis debitis perſolitis de veſtris poſſeſſio-
„ nibus ad ſuas, & dictæ ſuæ Abbatiæ poſſeſſiones ſe
„ transferre vellent moraturos, quos vos calumpnia eis
„ impoſita abire non permitteretis, in ſuum præjudi-
„ cium, & dampnum valde magnum. Et quia Nos una
„ cum Prælatis, & Baronibus, potioribusque Proceri-
„ bus Regni noſtri id ſtatuentes, decrevimus firmiter
„ obſervandum, ut Populi & Jobbagyiones tam noſtri
„ regales, quam Eccleſiarum, & Nobilium ad poſſeſ-
„ ſiones quorumcunque habita licentia, & juſtis eo-
„ rum terragiis depoſitis, & aliis debitis perſolutis,
„ ſe transferre valeant, atque poſſint moraturos. Fi-
„ delitati igitur veſtræ Univerſitatis, & veſtrum cujus-
„ libet firmiter præcipien. mandamus: quatenus a
„ modo in antea, & deinceps hujusmodi Populos &
„ Jobbagyiones veſtros, qui de veſtris poſſeſſionibus,
„ ut præmittitur, habita licentia, ac juſtis eorum ter-
„ ragiis depoſitis, & aliis Debitis perſolutis ad Poſſeſ-
„ ſionem commemorati domini Abbatis, & per con-
„ ſequens dictæ Abbatiæ ſuæ ſe transferre voluerint
„ moraturos, eosdem calumpnia quavis relegata abire
„ permittatis, & permitti faciatis: ſalvis eorum rebus,
„ & perſonis; Alioquin commiſimus, & ſerie præſen-
„ tium committimus Comiti, vel Vice Comiti, & Ju-
„ dicibus Nobilium illorum Comitatuum, in quo, vel
„ in quibus hujusmodi Mandata noſtra non obſerva-
„ rentur, ut ipſi vos ad præmiſſa facien. non ſine
„ veſtris dampnis & gravaminibus in talibus obſevari
„ conſvetis, arctius compellant, & aſtringant; authori-
„ tate noſtra regia præſentibus in hac parte ipſis at-
„ tributa, & juſtitia mediante. Secus facere non au-
„ ſuri in præmiſſis. Præſentes quoque poſt earum le-
„ cturam reddi volumus præſentanti. Datum Poſonii
„ feria quinta proxima poſt Feſtum Conceptionis Vir-
„ ginis Glorioſæ, Anno Domini Milleſimo, quadrin-

 gen-

„ genteſimo, vigeſimo ſecundo, Regnorum noſtrorum
„ Anno Hungariæ &c. Trigeſimo ſexto, Romanorum
„ Tredecimo, & Bohemiæ tertio.

(L. S.)

Impreſſi.

Multa monumenta Diplomatica hac de re ex ea ætate ſuperſunt. In eodem Cimelio Székelyiano T. II. p. 263. reperitur Proceſſus per Nicol. Leukus de Kallo coram Sedria Comitatus de Zabolch, intuitu repetitionis fugitivorum colonorum ſuorum, contra diverſos eorumdem detentores motus, qui ad deponendum Domino terreſtri conſuetum terragium, ac exolvenda contracta debita adſtricti erant, A. D. 1422. Alium ſimilem in Comitatu Sároſienſi inſtitutum, me legiſſe memini, in quo ſimilis plane deciſio ſecuta eſt.

Anno 1411. Sigismundus Rex in Diplomate, quo Capitulum Albenſe in Tranſylvania, in jure, & poſſeſſorio portionis ſuæ in Gàld habitæ manu teneri, committit apud Ant. Szereday in Notitia Capituli Alben. Transylv. ex Archivo ejusdem F. IV. N. 8.

„ Juxta vim - - - & formam novi & generalis no-
„ ſtri Decreti, contra homines novorum actuum po-
„ tentiariorum patratores editi & ſtabiliti. Dat. in Wiſ-
„ ſegrad feria &c. A. D. 1411.

Inter Decreta Sigismundi Regis hunc annum præcedentia nullum, ſive in Corpore Juris Hung. ſive a me detectum exſtat, quod Articulum de novis Actibus potentiariis conditum contineret,

nam

Digitized by Google

nam Art. I. Decreti Anni 1405. tantum de exceſſibus exercituantium, non de violentiis generatim ſonat. Decretum igitur hoc novum & generale, ad quod Sigismundus hoc loco provocat, ante hunc annum conditum, ab aliis, quæ nobis nota ſunt, diſtinctum, adhuc uspiam ignotum latere debet.

Idem Sigismundus in Exemptionalibus a ſolutione tributi regii Oppidanis Ewlenbachienſibus conceſſis ex Wagner Analect. Scepus. P. I. pag. 216. & Katona Hiſt. Crit. T. XII. p. 302. iteratis vicibus decreti minoris ſui A. 1405. editi Art. XVII. mentionem facit.

„Quia Nos juxta formam Decreti, per Nos ex „deliberatione Prælatorum & Baronum, Regni„que noſtri Procerum ſalubriter ordinati, univer„ſos & ſingulos mercatores, ac alterius ſtatus „homines noſtros ab omni tributaria ſolutione, „in noſtris videlicet tributis regiis per eosdem „de ipſorum rebus & bonis, ac mercimoniis alias „fieri conſueta libertavimus, exemimus, liberos„que habere volumus penitus & exemtos - - - „Alioquin ultra indignationem noſtram regiam, „quam juxta formam ipſius Decreti eo facto in„curretis - - - Dat. in noſtra Imp. Civitate Stras„burg, in feſto BB. Petri & Pauli Apoſtolorum. „A. D. 1418.“

Anno 1419. Sigismundus editis Literis conconvocavit Budam ſingularum Civitatum Judices cum tribus Juratis. Produco ipſum Mandatum ex Coll. Diplom. Cornides. T. VII.

Digitized by Google

„Sigiſmundus Dei Gratia Romanorum Rex ſemper
„ Auguſtus ac Hungariæ &c. Rex.

„Fidelibus noſtris dilectis Judici & Juratis Civi-
„ bus, ac toti communitati Civitatis noſtræ Poſonienſis.

„Providi viri fideles noſtri dilecti. Quia Nos cer-
„ tis pro cauſis ſingulos Judices cum tribus Juratis Ci-
„ vibus quarumlibet noſtrarum Civitatum ad Civitatem
„ noſtram Budenſem, in qua Deo duce, in proximo
„ conſtitui volumus, circa noſtram Majeſtatem accede-
„ re juſſimus. Ideo & veſtræ fidelitati firmo noſtro
„ regio damus ſub edicto, quatenus ſtatim viſis præ-
„ ſentibus Judicem veſtrum cum tribus & quatuor Ju-
„ ratis Civibus cum plena poteſtate totius veſtræ com-
„ munitatis in dictam noſtram Budenſem Civitatem er-
„ ga noſtram Majeſtatem transmittere debeatis. Secus
„ nullo modo facere auſuri; Præſentes autem Sigillo
„ noſtro majori, quo ut Rex Hungariæ utimur, fecimus
„ conſignari. Datum Zolii in die feſto Purificationis
„ Virginis Glorioſæ. Anno Domini Milleſimo quadrin-
„ genteſimo decimo nono, Regnorum noſtrorum Anno
„ Hungariæ &c. triceſimo tertio, Romanorum vero
„ nono.„

Hoc Inſtrumentum non quidem pro Veſtigiis Comitiorum habeo, ſed momentoſum tamen eſt, cùm inde doceamur liberas etiam Civitates extra Comitia, & Sedem Tavernicalem convocari ſolitas fuiſſe, indeque lux accedat Articulo XI. §. 1. Decreti minoris Sigismundi Regis Anno 1405. editi, ubi ſimilis Congregationis Civitatum fit mentio, quin locum illum ſine tali Inſtrumento, quale iſtud eſt, intelligere poſſimus. Atque hinc etiam patet, quanto adjutorio ſint Diplomata in vetuſtioribus legibus explicandis.

Cir-

Digitized by Google

Circa Annum 1426. vel paulo ante celebratorum Comitiorum & conditi in illis Decreti Veſtigium aliquod cubare videtur in quadam Inquiſitione contra Nobiles de Pelſewcz, quod in ſylva Chethnekiorum pecora & pecudes Valachorum extraneorum contra publicam Regni conſtitutionem conſervarent, ubi habetur:

„Contra *noſtram genaralem deliberationem* in eo „ videlicet, ut nullus Nobilis, & homo poſſeſſionatus „ dicti Regni noſtri Hungariæ, ſignanter vero Nobiles „ in Confiniis Partium noſtrarum Scepuſienſium exi- „ ſtentes Wolahos de Partibus extraneis pro nutrien- „ dis animalibus eorum confluentes cum dictis eorum „ animalibus & pecudibus, in terra, & ſylva ſua te- „ nere & conſervare audeat, & debeat; *una cum Præ-* „ *latis & Baronibus dicti Regni noſtri*, non ſine cau- „ ſa rationabili ſtabilitam, ac plurima literalia noſtra „ Mandata, ipſius duntaxat hujus rei cauſa oblata. - - „ - Datum Budæ feria V. proxima ante feſtum B. Lau- „ rentii Mart. A. D. 1426.

Ceterum cum tantum Deliberatio Generalis cum Prælatis & Baronibus Regni ſtabilita dicatur, videtur tantum aliqua Ordinatio edictalis provocari, cujus obſervationem ſe plurimis Mandatis literalibus adurſiſſe profitetur Sigismundus.

Anno 1427. edidit Sigismundus Rex Regulamentum quoddam militare circa coercendos exceſſus, & violentias exercituantium, & regulanda pretia rerum victualium, quod ex Originali, in Archivo olim Conventus Leleſzienſis, penes V. Capitulum Agrienſe, aſſervato manu propria deſumtum Joſephus Zabraczky electus Epiſcopus Veglienſis,

glienſis, qua Cath. Eccl. Agrien. Cuſtos & Canonicus obſervata, more ſuo religioſiſſime ipſa Originalis Orthographia mecum benevolentiſſime communicavit, & ego cum Notis Amici mei hic eo libentius, oculis Lectorum expono, quod cum Propoſitionibus Sigismundi Anni 1433. quas mox ſubjiciam, & Decreto I. Anni 1435. combinatum negotio exercituationis, prout ea tempore Sigismundi conſtituta erat, multum lucis allaturum ſit.

Sigismundi Regis Hungariæ Decretum, ſive Regulamentum Militare circa coercendos exceſſus & violentias exercituantium, & regulanda pretia rerum victualium Anno 1427. Braſſoviæ ad Inſtantiam Regnicolarum editum.

„Nos Sigismundus Dei Gratia Romanorum Rex „ ſemper Auguſtus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex memoriæ commendamus, „ tenore præſentium ſignificantes quibus expedit univerſis, quod Nos frequentibus querelis Regnicolarum „ noſtrorum tam Eccleſiaſticorum, quam ſecularium „ ſuper illationibus violentiarum, damnorum, & multarum incommoditatum per noſtros, ac Prælatorum & „ Baronum, Militum, & Nobilium Regni noſtri familiares exercitualiter proficiſcentes in Poſſeſſionibus „ noſtris, & eorumdem tempore expeditionum exercitualium perpetratis aſſidue perpulſati, cupientes ſuper his de remedio condigno providere, una cum „ eisdem Prælatis, & Baronibus noſtris mature deliberantes de eorum beneplacito, & conſilio ordinavimus, ſtatuimus, ac præſenti Decreto ſancimus:

Art. I. „Ut quicunque exercituantium victualia, „ & res neceſſarias, quibus carere non poſſunt, vide-

„ licet:

„ licet: panes, vinum, pabulum, foenum, carnem, caſeum, blada, piſces, legumina, aucas, pullos, porcellos, agnellos, butyrum, carnes, & ſimilia minora violenter, aut pretio non ſoluto, ſeu non plene ſoluto abſtulerint, aut aliter in his dampna intulerint, requiſitique non ſatisfecerint, contra illos homines dampnificati, ſeu eorum Domini debent - - - duos Judices Nobilium illius Comitatus, in quo dampnum fieri contingit, & coram illis homines dampnificati ſimul cum eorum villico deponere debent juramentum de quantitate dampni illati, ipſique Judices Nobilium ſimiliter ad eorum juramentum, quod præſtiterunt tempore electionis eorum in Judices, debent dare literas eorum teſtimoniales dictis dampnificatis ſub ſigillo Comitis illius Comitatus (*a*) & ipſorum Judicum Nobilium, hominesque dampnificati cum eisdem literis accedentes ad Judices Regni in Curiam regiam, tempore, quo in aliqua octavarum fit Judicium Regni, ubi iidem Judices Regni prædictis literis teſtimonialibus plenam fidem adhibere, & dampnificatis ſuper dampno principali in dictis literis teſtimonialibus contento, nec non ſuper omnibus expenſis, laboribus & fatigiis, in requiſitione dictorum dampnorum factis & faciendis conſcientioſo moderamine præbito literas ſententiales, & præceptorias Comiti illius Comitatus, in quo exercituantes prædicti, qui dampnum intulerunt, exiſtunt, ſub certo autentico ſigillo dare debeant, (*b*) vigore quarum dictus Comes indilatam, & plenam ſatisfactionem, tam ſuper dampno principali, quam ſuper dictis expenſis, fatigiis, & laboribus, juxta moderamen dictorum Judicum, cum rebus promtis & pecuniis, aut occupationibus Poſſeſſionum, & non cum æſtimatione (*c*) exhibere teneatur.

(*a*) Hinc quoque patet, quod jam alibi obſervavimus, Comitatus tota adhuc 2da Regum periodo propria ſigilla non habuiſſe.

(*b*)

(*b*) Peremptoria hæc, & quidem per Edictum emanata ordinatio, ut Judex viſa tantum querulantis inquiſitione, Contrapartem ſtatim convincat, in refuſione prætenſi damni, ſententionales eatenus ad Comitem Comitatus illico elargiatur, & hic eas continuo exequi debeat, in effectum ire nunquam potuit; hac enim ratione Nobilis inauditus convictus fuiſſet.

(*c*) Obſcura hæc clauſula id ſignificat, quod executio non *communi æſtimatione* mediante, quæ decimam tantum realis pretii partem efferebat, ſed ad *condignum* valorem fieri debeat.

Art. II. „Item: Quicunque res majores, videlices equos, boves, veſtes, porcos, lardos, & alias res generaliter, quibus ſine neceſſitate carere poſſent, abſtulerint, ſeu domos, cellaria, ſcrinia ruſticorum confregerint, aut vina receperint, curros oneratos, ac alia ſimilia dampna majora intulerint, omnes tales prædampnificatos, ſeu eorum Dominos ad Curiam regiam ad certas octavas in præſentiam alicujus Judicum Curiæ evocentur, qui ſi ad ipſas octavas venire contempſerint, vel neglexerint, in ipſo primo termino tamquam culpabiles reputentur & ſententientur; per hoc tamen factum potentiæ & occupationis poſſeſſionum non incurrant, ſed dampnum, quod contra eos propoſitum fuerit, quater appretiare, (*a*) & perſolvere dampnificatis ipſis per Juſtitiarios Regni prædictos compellantur. Si vero ad ipſas octavas venerint, ſeu per Procuratorem legitimum comparuerint, extunc dampno confeſſo ſimiliter ſententialiter condempnentur, & ad ſatisfactionem compellantur, dampno vero negato Judices prædicti, mediantibus eorum literis debent remittere dampnificatos ad inquiſitionem Comitatus, in quo dampna ſunt illata, ubi exactis atteſtatoribus juramentis corporalibus ſuper eorum faſſione conſtiterit dampnum illatum,

„ illa-

„ illatores hujusmodi ſupradictis poenis condempnentur, „ & ſatisfacere modo præmiſſo compellantur.

(*a*) Id eſt: quod quadruplum illati damni pretium deponere debeat ſub Andrea III. ut alibi oſtendimus, qui res Nobilis vi abſtulit, decuplum pretium deponere debuit.

Art. III. „ Quicunque autem majora facinora & „ delicta commiſerint, videlicet interfectiones hominum, oppreſſiones & raptus mulierum & Virginum, „ effractiones Eccleſiarum, ſpoliationes Sacrorum, ac „ Domorum Nobilium, tales tribus inquiſitionibus (*a*) „ per illos, quibus injuria hujusmodi fuerit illata, fieri procuratis erga domos Dominorum eorum ad „ certas octavas in Curiam regiam debeant evocari, „ rationem præmiſſorum reddituri, qui ſi comparuerint, & ſe in talismodi illatis injuriis innocentes fore „ allegaverint, tunc probatio ipſarum illatarum injuriarum ad atteſtationes Nobilium illius Comitatus, „ in quo hoc patratum fuit, committatur. Ubi autem „ modo - - - præſentiam non comparuerint, extunc „ in ſententia capitali eo facto convincantur. Et ſi „ tales convicti reperti non fuerint, vel reperiri non „ poſſent, ex tunc præfatus Dominus eorum homagia „ ipſorum perſolvat, (*b*) & de dampnis & injuriis illatis „ læſis ſatisfacere teneatur.

(*a*) Olim ipſa Jura poſſeſſionaria, absque alia Juris radicalis proba, per tres ejusmodi litteras inquiſitorias acquiri poterant. Sed hoc jam ſub Ludovico I. Art. XX. ſaltem quoad Eccleſiaſticos vetitum fuit. Hic ad comprobanda majora crimina, tres iterum inquiſitiones requiruntur. Neque tamen hactenus eruere licuit, quæ fuerit inquiſitoriarum ejusmodi forma? An iidem Teſtes tres adjurari? vel tres, e diſtinctis Teſtibus? & quot numero conflatæ inquiſitiones produci? Aut vero ſingula

gula harum inquiſitionum, in ſingulo diſtincto Comitatu colligi debuerit.

(*b*) Ut Dominus convicti in capitali Sententia, hominis ſui homagium perſolvere debeat, ſi is profugerit, aut ſecus reperiri non poſſit, nulla unquam Regni lege ſtatutum fuit, & ideo nec hæc ordinatio in effectum ire potuit. Univerſim ſimplici hoc *Edicto* varia ſtricte *Judicialia* conſtituuntur, quæ niſi poſtea per poſitivam legem ſtabilita fuerint, obſtante nobilitari prærogativa in effectum deduci non potuerunt. Et ideo tota hæc proviſoria Regis ordinatio, paulo aliter non multo poſt, in legem relata fuit, nempe 1435. Art. IX.

Art. IV. „Item: in omnibus præmiſſis ubicun-
„ que illatores dampnorum, & facinorum prædictorum
„ per paſſos injuriam & dampnum eo, quod tales forte
„ impoſſeſſionati, vel ignoti, aut nimis remoti exſtitiſ-
„ ſent, ad evocandum inveniri non poſſent, ſufficiat
„ hujusmodi evocationem circa habitationem Baronis
„ vel Domini (*a*) eorum ſub cujus nomine & Bande-
„ rio in hujusmodi exercitu procedebant, & idem Do-
„ minus evocationem eandem ad notitiam ſuorum fa-
„ mulorum deducat.

(*a*) Confuſa hæc clauſula id exprimere voluit, quod Inſurgentem, qui damna aliqua intulit, ſufficiat de habitatione Domini ſui, *medio famulorum* hujus citare. Hæc *Citationis* norma, ſubinde in omnibus civilibus cauſis adoptata eſt. Antea enim reus ſemper *perſonaliter* debuit evocari, forte hæc edicti hujus ordinatio, primam poſteriori conſvetudini anſam dedit.

Art. V. „Item: ſi aliquis ex Baronibus exſtite-
„ rit præſens cum ſuis Gentibus in exercitu, et eidem
„ contra ſuos familiares de aliquo dampno illato conque-
„ ſtum fuerit, de quo ſatisfacere non curaverit, extunc
„ deinceps dampnificatis eorum dampna ſuper ipſum Ba-

„ ronem

Digitized by Google

„ ronem ſatisfacere non curantem requirendi & recu-
„ perandi habeant facultatem.

Art. VI. „Item: exercituantes tempore æſtivo,
„ & alio, quo in campo ſtare poſſunt, teneant campe-
„ ſtres deſcenſus, (*a*) gramina tamen, atque ligna
„ ſilvatica ignibus apta ſimiliter tempore hiemali ho-
„ ſpitia, (*b*) ſive iidem multi, ſive pauci procedant,
„ eisdem prohiberi, & denegari non debent; in iſtis
„ exercituantes prædicti a nemine debeant inquietari,
„ impediri, atque moleſtari. Caſu autem quo in ali-
„ quo locorum gramina paſcui juvencorum exercituan-
„ tium neceſſaria non invenirentur, ſed tantummodo
„ prata, & foenilia ad domos ruſticorum reſervata,
„ & cuſtodita, tunc in illis jumenta exercituantium
„ depaſci poſſent (*c*) & enutriri, antequam forent fal-
„ cata, & ſimul congregata, (*d*) poſtquam autem fal-
„ cata fuerint, non recipiantur vi, neque gratis, ſed niſi
„ pecunia condigna valoris ejusdem.

(*a*) Id eſt, quod Inſurgentibus, in æſtate quarteria non competant, ſed debeant in campo ſub tentoriis agere.

(*b*) An tempore hyemali, Inſurgentibus hoſpitia, etiam in curiis Nobilium competierint? hic diſerte non definitur. E clauſula tamen illa, *ſive multi, ſive pauci procedant*, pro affirmativa conjiciendum videtur: ſi enim nimis multi erant, tunc eos ſolæ ruſticanæ domus utique capere non potuerunt.

(*c*) Dictum fuit jam ſuperius, quod *gramina, atque ligna ſilvatica, ignibus apta*, Inſurgentibus gratis præberi debeant. Per *gramina*, nihil niſi *paſcua* intelligebantur. Hic jam ille caſus deciditur: ſi aut nulla, aut inſufficientia paſcua, ſed ſola tantum *foenilia* adſint & dicitur: quod in tali caſu Inſurgentes animalia ſua, *ante falcaturam* in his quoque paſcere poſſint, non item poſtea. Quod

quidem

Digitized by Google

quidem plane præpoſtere fuit conſtitutum. Si enim foenilibus animalia ante falcaturam immittantur, tunc proprietarius nunquam falcabit. Si poſtea, id eſt compoſito & jam avecto foeno, tunc tantum cordi, cujus temporibus his vix adhuc aliquis uſus fuit, jacturam faciet.

(*d*) Hic jam incipit limitatio pretii naturalium & portionum neceſſariarum pro Inſurgentibus. Longe providentius poſtea ſub eodem Sigismundo, 1435. Art. VIII. §. 1. ſtatutum fuit, ut in ſingulo Comitatu, antequam Inſurgentes eo adveniant, limitatio talis, de caſu ad caſum defigatur. Neque enim eadem limitatio pro omni tempore, ac præſertim pro toto Regno deſervire potuit.

Art. VII. „Præterea pro avena vel ordeo, aut „ ſiligine tempore cariſtiæ pro cubulo Budenſi ſolvan„ tur denarii triginta unus, tempore autem fertilitatis „ ſolvantur viginti quinque.

„Item: pro foeno pro uno equo per diem unum „ & noctem ſolvatur unus denarius, & non tamen ſub„ ſternatur foenum, (*a*) ſed quantum equo petitur, „ tantumdem.

„Item: pro pane, quantum poteſt ſufficere dua„ bus perſonis pro uno prandio ſolvatur denarius unus.

„Item - - - - ante adventum exercituantium „ communiter - - - .

„Item pro auca una ſolvantur denarii quinque.

„Item pro pullo antiquo ſolvantur denarii tres; „ pro juveni duo.

„Pro porcello ſolvantur denarii quinque; & demum

„Pro agnello ſolvantur denarii octo.

„Item piſces, legumina, carnes mactatæ, caſeum, „ butyrum, & ſimilia, de quibus non poteſt haberi ra„ tio ſingularis, emantur, & ſolvantur pretio compe„ tenti, (*b*) conſiderata tamen temporis, & loci qua„ litate.

„Item:

„Item: Ova pro denariis octo.

„Item: ſi qui voluerint emere boves, porcos ma-
„ jores, lardos, non emant aliter, quam cum bona
„ voluntate vendentium, & ſolvant, ſecundum quod
„ poterunt de pretio concordare.

(*a*) Statuitur quidem hic, ne ſtratum pro equis ex *foeno* fiat. De *ſtramine* e converſo nulla fit mentio, ut adeo aut equos ſine ſtrato jacuiſſe, aut ſtramen, vel ut nullus eo tum pretii gratis haberi potuiſſe oporteat.

(*b*) Provida ſane fuit hæc diſpoſitio, ut res, quæ non tam ad *neceſſitatem*, quam ad *commoditatem* ſpectant, non limitato pretio, ſed erga conventionem ſubminiſtrari debuerint.

Art. VIII. „Item: videtur, quod in omnibus
„ locis, in quibus ſal Regni poteſt ſufficienter habe-
„ ri, ſit prohibitum vendi vel emi ſal extraneum, ſi
„ quis contra fecerit, venditor prima vice repertus
„ per Camerarium Regni toto ſale privetur, ſecundo
„ vero ſale ſimul cum curru & animalibus ipſum cur-
„ rum vehentibus deſtituantur; tertio vero, vel pluries
„ perſonaliter detineatur, & poena condigna, ſicut
„ cum Camerario ipſo concordare potuerit, puniatur.
„ Emtor ſal amittat, & inſuper pretium, quod pro
„ ſale dederat, Camerario regio ſecundario perſolvat (*a*).

(*a*) An Sal, inde ab incunabulis Regni fuerit privativus regius proventus? necdum expeditum eſt. Jam quidem S. Stephanus in Fundationalibus Monaſterii ad radices montis Ferrei, id eſt Abbatiæ Pecsvaradienſis 1015. editis, & a pluribus jam vulgatis, *Salicidium* Monaſterio diſerte contulit. Verum cum in loco illo nulla unquam exſtare potuerit ſalis fodina, forte vocabulum *Salicidii* pro libera ſalices cædendi facultate adhibetur. Ab eo inde tempore, nos primam de objecto ſalis mentionem, in duplici Andreæ II. Privilegio de 1217.

hacte-

Digitized by Google

hactenus deteximus, quorum 1. a Katona Tom. V. Pag. 241. e Bern. Pecz prolato, factam Eccleſiæ S. Crucis in Auſtria a *prædeceſſoribus ſuis de tribus millibus Zvanorum* (certa ſalis menſura fuit) Donationem confirmat. Altero, per Kerchel. in Hiſt. Eccl. Zagrab. Pag. 327. vulgato, idem Rex vetat, ne *Tributarii, vel Salinarii Regis cauſa exercendo ſuæ negotiationis ad aliquod Epiſcopi ſorum accedere præſumant.*

Ex ipſo Decreto Andreæ II. de 1222. Art. XXV. ut ſales regii tantum in confiniis Regni teneantur, videtur ejus commercium in interioribus Regni liberum fuiſſe; præſertim cum uſque Regem hunc, nullam Eccleſiam, aliquam ſibi a prohibitione hujus commercii exemptionem procuraſſe, e copioſis earum, quæ adhuc proſtant Privilegiis appareat.

Hic Rex 1233. per latum a Roberto Archiepiſcopo Strigonienſi interdictum, ut jam alibi obſervavimus eo adactus fuit, ut Eccleſiis liberum ſalis commercium, ſub certis conditionibus, & in certa quantitate conceſſerit, uti e prolato per Prayum Hierar. Parte II. Pag. 57. e Rajnaldo Inſtrumento apparet. Vel e paucis tamen his datis ſi rite combinentur, probabilius evadit, quod ſal jam ante Andream II. privativus Regis proventus fuerit. Quando tamen Inſtitutum hoc originem acceperit, aliis eruendum relinquimus, quibus major vetuſtorum Documentorum copia ſuppetit.

Cæterum tota hæc de ſale ordinatio jam ante, utpote 1405. Art. XX. totidem ferme verbis

in

Digitized by Google

in Legem relata fuit, ut adeo Regem hac parte, tantum ad effectum Legum diſpoſuiſſe appareat.

Art. IX. „Item: Quod de Sale regio tamdiu, „ quousque ducitur ſub nomine Regis, nullus audeat „ exigere tributum in terra, aut in aqua, niſi qui poſ- „ ſent probare, ſe in hoc jus habere ſpeciale. Simili- „ ter fiat de Sale dato exercituantibus, donec eorum „ nominibus ducitur & venditur. (*a*) Poſtquam autem „ hujusmodi Sal, ſive de Camera Regia, ſive ab exer- „ cituantibus ad mercaturam devenerit, Mercatores „ ipſi videntur teneri ad tributum. Quicunque autem „ Tributariorum de hujusmodi Sale regio, vel exerci- „ tuantium tributum exegerit, & Camerarius regius „ Domino illius Tributarii intimaverit, teneatur idem „ Dominus dictum Tributarium aſſignare dicto Came- „ rario ad ſatisfactionem ipſi Camerario, juxta ejus vo- „ luntatem adſtringendum præſentium Literarum noſtra- „ rum privilegialium teſtimonio mediante. Datum „ Braſſoviæ feria ſecunda proxima poſt Dominicam Re- „ miniſcere, Anno Domini Milleſimo quadringenteſi- „ mo vigeſimo ſeptimo. Regnorum noſtrorum Anno „ Hungariæ &c. quadrageſimo, Romanorum decimo „ ſeptimo, & Bohemiæ ſeptimo.

(L. S.)

(*a*) Cum Victualia, ut jam alibi oſtendimus, nulli Telonio obnoxia fuerint, juſtum erat, ut advectus etiam ad rationem Inſurgentium Sal a Telonio eximatur.

Vir illuſtris, qui has notas adjecit, de hoc Inſtrumento generatim ſequentia me monuit:

„ Eſt Edictum, & non Decretum Sigismundi, & „ quidem tale, quod nec ad effectum alicujus in Co- „ mitiis latæ legis, ſed ad ſimplicem complurium Re-

„ gnicolarum querimoniam emanavit. Si rem ad lo-
„ quendi morem noſtri temporis reducamus, *militare*
„ ejus temporis *Regulamentum* non improprie appel-
„ lari poteſt. Oportuniſſime illud edi poteſt poſt Pro-
„ poſitiones Sigismundi de norma Inſurrectionis; nam
„ & hoc Inſtrumentum, improprie admodum *Rege-*
„ *ſtrum* appellatur. Quod ſi tamen utrumque hoc In-
„ ſtrumentum ſupplemento inferre vis, nihil moror,
„ cum illa talem qualem relationem cum legislatione
„ habeant. Cave tamen, ne iis nomen *Decreti* attri-
„ buas, ſed *Scapham*, *Scapham* compelles."

Quo minus conſilium ſecutus Inſtrumentum hoc Propoſitionibus ſubjecerim, Lex ſervandi ordinis Chronologici, a qua rariſſime recedere ſtatui, obſtitit.

Comitiorum Anno 1432. celebratorum nullum adhuc, quantavis adhibita diligentia Veſtigium Diplomaticum detegere potui, obtinui vero ex ipſo fonte, quem in Veſt. Comitior. p. 222. indicavi ita dictum.

Sigismundi Imp. & Hungariæ Regis Decretum V. De valore Denariorum, ut Denarii majoris Monetæ 100. pro uno floreno auri, minoris Monetæ vero Karting dictæ 400 pro uno floreno auri recipiantur. Datum Budæ in feſto BB. Fabiani & Sebaſtiani Martyrum Anno Domini M CCCC XXXII.

„ Nos Sigismundus Dei Gratia Romanorum Imp.
„ ſemper Auguſtus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalma-
„ tiæ, Croatiæ &c. Rex, memoriæ commendamus, quod
„ lices nos alias una cum Prælatis & Baronibus no-
„ ſtris matur. deliberan. Id ut denarii majoris monetæ
„ noſtræ, cujus centum denarii unum florenum auri
repræ-

„ repræſentant, denarii pro tempore currentes, nomi-
„ narentur, vocitarentur & reputarentur, univerſique
„ & ſinguli proventus tam noſtri regales, quam Ec-
„ cleſiarum, conſequenterque dictorum Baronum, &
„ quorumlibet Regnicolarum noſtrorum cum dictis ma-
„ joribus denariis ſolverentur, & exigerentur; de alia
„ autem minori moneta noſtra karting (*a*) vocata qua-
„ dringenti denarii pro uno floreno aureo, & quatuor
„ denarii ejusdem minoris monetæ noſtræ pro uno de-
„ nario dictæ majoris monetæ noſtræ curſum habeant,
„ & reciperentur; diſpoſuerimus, & decreverimus: (*b*)
„ tamen quia jam, ut hoc notorium eſt, in contrarium
„ hujus noſtræ diſpoſitionis & Decreti ſinguli floreni
„ aurei pro ſingulis decem denariis ipſius karting per
„ quoslibet in hoc Regno noſtro Ungariæ communiter
„ cambirentur, (*c*) propter quod in omnibus negotia-
„ tionibus, venditionibus & emtionibus quarumcunque
„ rerum, exactionibusque Decimarum, Collectarum &
„ Tributorum inter Regnicolas noſtros, Eccleſiaſticos, &
„ Seculares, Redemtionibus etiam Literarum inter eos-
„ dem Regnicolas noſtros, ac Magiſtros Cancellario-
„ rum, & Curiæ noſtrarum *Notarius* multifariæ diſpari-
„ tates, & differentiæ, contentionesque, & diſcordiæ
„ nonnunquam exortæ fuiſſent & haberentur, ipſi-
„ que Regno noſtro, & ejus Incolis diverſæ & pluri-
„ mæ incommoditates, & varii defectus, nec non ca-
„ riſtiæ, penuriæ, atque damna dignoſcuntur eveniſſe.
„ Ideo nos hujusmodi defectibus & incommoditatibus
„ dicti Regni noſtri, & Regnicolarum noſtrorum ob-
„ viare, eorumdemque commodo & utilitati providere
„ cupientes, una cum eisdem Prælatis & Baronibus
„ noſtris, utpote: Reverendis in Chriſto Patribus, Do-
„ minis Georgio Archiepiſcopo Strigonienſi, Joanne
„ Zagrabienſis, noſtræ Majeſtatis ſummo Cancellario,
„ Dyoniſio Varadienſis, Petro Agrienſis, Simone Weſz-
„ primienſis, & Clemente Jaurienſis, Eccleſiarum Epi-
„ ſcopis. Item Magiſtris: Nicolao de Gara præfati Re-

Digitized by Google

„ gni noſtri Hungariæ Palatino, Mathia de Palocz Ju-
„ dice Curiæ, Petro Henrici de Berzenye, Magiſtro
„ Thavernicorum noſtræ Majeſtatis, Ladislao Bano no-
„ ſtro Machovienſi, & Nicolao filiis præfati Nicolai
„ Palatini, Paulo Biſſeno de Ezdege, Regni noſtri Scla-
„ voniæ, Petro Cheh de Lewa, ſimiliter Machovienſi
„ alias Banis. Stephano de Bathor Dapiferorum, Hen-
„ rico de Thamaſy Janitorum noſtrorum pridem Ma-
„ giſtris, Sigismundo de Loſſoncz, & Ladislao de Ka-
„ niſa (*d*) nec non plerisque aliis viris Eccleſiaſticis,
„ ac diverſorum Comitatuum (*e*) dicti Regni noſtri po-
„ tioribus Nobilibus; item Civitatum noſtrarum Buden-
„ ſis, Peſthienſis, Albenſis, Strigonienſis, Caſſovien-
„ ſis, Poſonienſis, Thirnavienſis, Sopronienſis, Zege-
„ dienſis, ceterarumque Judicibus & Juratis Civibus,
„ per Nos ad hoc in ipſam Civitatem noſtram Buden-
„ ſem vocatis & accerſitis, (*f*) mature tractando, &
„ ſane deliberando, viſaque, nec non capta & exami-
„ nata qualitate ac eſſentia, & comperto valore ipſius
„ minoris monetæ noſtræ Kartingh appellatæ.

„ Volumus & ſtatuen. decernimus, ſicuti etiam per-
„ prius diſpoſueramus, ut ſoli hujusmodi majoris mo-
„ netæ noſtræ denarii novi ſemper in antea generali-
„ ter nominentur, vocitentur, & reputentur denarii,
„ qui pro tempore curren. & centum ipſorum denarii
„ majores valeant unum florenum auri, ipſorum au-
„ tem denariorum kartingh nuncupatæ, eo, quod jam,
„ ut præmittitur pro decem centenariis denariorum
„ ipſius monetæ kartingh unus florenus auri cambitur,
„ ipſi decem centenarii pro prædicto uno floreno au-
„ ri, & pro uno quoque dictorum denariorum præfa-
„ tæ majoris monetæ noſtræ decem denarii curſum ha-
„ beant, ac in cunctis mercantiis, nec non venditioni-
„ bus, forizationibus, & emptionibus quarumlibet re-
„ rum venalium recipiantur, univerſique & ſinguli pro-
„ ventus, tam videlicet regales, quam Eccleſiarum,
„ ac aliorum quorumcunque, puta: lucrum Cameræ

„ no-

„ noſtræ, ac decimæ Eccleſiarum, tributa, & quælibet
„ collectæ, nec non redemptiones literarum prædicta-
„ rum, ſolvantur & exigantur cum dictis denariis ma-
„ joribus ita, ut in quibuslibet ſolutionibus, ubi unus
„ decenarius ab olim dari conſuevit, ibi de cetero
„ unus denarius prædictæ majoris monetæ noſtræ, aut
„ loco cujuslibet hujusmodi denarii decem ex dictis
„ minoribus denariis monetæ kartingh prædictæ ſol-
„ vantur, (*g*) & ubique recipiantur contradictione & re-
„ nitentia ſine omni.

„ Quo circa vobis fidelibus noſtris prædictis Præla-
„ tis & Baronibus noſtris univerſis, nec non Comita-
„ tibus, Caſtellanis, Nobilibus, ac veſtris Officialibus
„ item præſcriptarum, & aliarum quarumlibet noſtra-
„ rum, aliorumque quorumvis veſtrarum, Civitatum,
„ Oppidorum, Poſſeſſionum, & Villarum Rectoribus,
„ Judicibus, utpote & Villicis, cunctis etiam tam Re-
„ gnicolis noſtris, quam forenſibus, majoribus utpote
„ & minoribus cujuscunque ſtatus, gradus, & conditio-
„ nis exiſtant, harum ſerie firmiſſime & diſtrictiſſime
„ percipien. injungimus, ut vos, & quilibet veſtrum
„ in ſolvendis quibusvis collectis antefatis, expediendis-
„ que exponendis, faciendis, & exigendis quibuslibet
„ pecuniariis ſolutionibus, juxta præmiſſam noſtram,
„ ac veſtram, ſcilicet Prælatorum, & Baronum noſtro-
„ rum, potiorumque præfati Regni noſtri Procerum,
„ Judicumque, & Juratorum præfatarum Civitatum no-
„ ſtrarum diſpoſitionem, & limitationem modo præno-
„ tato factam, ubilibet in prætacto Regno noſtro Un-
„ gariæ, & Partibus eidem ſubjectis, præſertim vero
„ in nundinis, ſeu foris annualibus, & hebdomadali-
„ bus, tam videlicet in noſtris, quam veſtris Civita-
„ tibus, Oppidis, & Villis celebrandis, in quibusvis
„ venditionibus, & emtionibus hujusmodi monetam no-
„ ſtram, ſeu denarios majores pro denariis novis no-
„ minare, & vocitare, ac ſemper ad numerum, ſeu va-
„ lorem eorumdem forizare, ſeu fori facere, ſicque

Digitized by Google

„ valorem, ſeu pretium ipſorum majorum denariorum
„ noſtrorum, ſi eosdem in promtis non habueritis, ſeu
„ non habuerint, cum dictis majoribus denariis præfa-
„ tæ monetæ Karting exſolvere debeatis & teneamini
„ adimplere ſub poena detentionis perſonæ, & abla-
„ tionis hujusmodi pecuniarum; aliarumque rerum ve-
„ nalium veſtrarum, apud vos reperiendarum, qua-
„ rum a transgreſſoribus hujusmodi noſtræ voluntatis,
„ & mandati auferendarum in tres partes dividenda-
„ rum. Inventoribus, ſeu accuſatoribus talium trans-
„ greſſorum, aliam vero partem Comitibus Parochia-
„ libus in Provinciis, puta extra Civitates liberas; in
„ Civibus (Civitatibus) autem liberis Judicibus eorum-
„ dem receptoribus (repertoribus) ſcilicet ipſarum pe-
„ cuniarum atque rerum, & tertiam partem Fiſco no-
„ ſtro Regio cedere, applicari, & provenire volumus
„ & mandamus. Et hoc volumus ubique in dicto Re-
„ gno noſtro palam facere & proclamari. Secus igi-
„ tur in præmiſſis nequaquam facere auſuri.

„Datum Budæ in feſto Beatorum Fabiani, & Se-
„ baſtiani Martyrum, Anno Domini Milleſimo qua-
„ dringenteſimo triceſimo ſecundo (*h*), Regnorum no-
„ ſtrorum anno Hungariæ &c. quadrageſimo quinto,
„ Romanorum vigeſimo ſecundo, & Bohemiæ duode-
„ cimo.

(*a*) In quodam Inſtrumento Anni 1431. ſequentem Clauſulam legi: 250. *floreni novi Quartling dicti.* Igitur jam hoc anno cuſi, & in curſu erant. Cl. Pray Exemplari meo ſua manu benevole ſubjecit ſequentia: *Legi debet Quadring, quorum* 4. *æquabant denarium* 1. *majorem ex conſtitutione Sigismundi Regis Dat. in Kukche in Vigilia feſti Nativitatis S. Joan. Bapt.* 1430. *originale Chartaceum exſtat in Archivo Cameræ.* De hac moneta *Quarting*, ſeu *Fyrling* (Vierling) dicta jam prius ſub Sigismundo cuſa, videri poteſt notabile Inſtrumentum, apud Katona Hiſt. Crit. T. XII.

XII. p. 541. ſeu Mandatum Sigismundi ad Comitatus Croatiæ, ut ſe ſtatuto circa acceptationem & cambiationem monetæ regalis accommodent. Dat. Poſonii Dominica Reminiſcere A. D. 1430. In quodam Diplomate Anni 1431. dicitur: 250. *floreni novi Quartling dicti.* Difficultates in cambiatione hujus monetæ interveniſſe oportuerit; nam in Archivo L. R. Civitatis Caſſovienſis habetur Sigismundi Imp. & Regis Mandatum Teſtimoniales ſuper curſu monetæ *Quarting* appellatæ, in Civitate Caſſovienſi, Georgio Literato Comiti Triceſimarum Reginalium extradari præcipiens A. 1434. In Italia uſitatiſſimam monetam *Quadrino* dictam in curſu & acceptatione eſſe memini.

(*b*) Provocatur hic indubie ad Sigis. Decreti III. id eſt 1405. Articulum VII. ubi dicitur; *non dicatur, nec computetur niſi florenus Aureus veri, boni, & juſti ponderis, vel alter florenus, per* 100. *novos denarios computatus.*

(*c*) Per : *decem Centenarios*, non intelligitur hic *pondus*, ſed *numerus* denariorum, id eſt, quod pro uno floreno, non niſi decies centeni, ſeu mille minores denarii *Kartingh* dicti acceptati fuerint, prouti id e poſteriori Edicti hujus clauſula apparet, ubi dicitur, quod 10. Kartingh, unum novum denarium, horum autem 100. unum florenum valeant.

Forte vilis hæc moneta Kartingh dicta fuerunt nummi Viennenſes, a Carolo I. reformati.

(*d*) Conventum, cujus Edictum hoc meminit, non fuiſſe formalem Diætam vel exinde apparet, quod præſentium Prælatorum & Baronum nomina recenſeantur. Ubi enim de formali Diæta ſermo fuit, generalis illa clauſula adhibebatur: *Quod cum in pridem habita, generali Regni Conventione* vel quid ſimile.

(*e*)

(*e*) Ergo non omnium Comitatuum.

(*f*) Nec Civitatum; adeoque non in Generali Regni Diæta forte jam ævo hoc particularium ejusmodi *concurſuum*, quales 1715. Art. VIII. & 1741. Art. XXII. ſtabiliebantur, uſus fuit.

(*g*) E toto Edicti hujus contextu id demum apparet, quod Sigismundus voluerit, ut pro uno majori, ſeu novo denario quatuor parvi Kartingh, dicti acceptentur. Huic autem ordinationi ipſe commercii curſus ſe oppoſuerit. Convocavit itaque complures Regnicolas, ſperans ſe horum ſuffragiis intentum ſuum obtenturum. Verum debuerunt hi quoque agnoſcere, quod ex illis parvorum illorum denariorum valor id non admittat. Aſſenſit itaque Rex, ut horum nonniſi 10. pro uno denario majori novo, pro floreno autem 1000. parvi illi denarii Kartingh dicti computentur. Et in hoc ſenſu præſens Edictum dimiſit.

(*h*) Neſcio, quantum huic Anno fidendum ſit; toto enim Anno 1432. Sigismundum ab Hungaria abfuiſſe colligitur ex multis monumentis hiſtoricis, & diplomaticis, ut adeo iſtud Budæ in feſto BB. Fabiani & Sebaſtiani 1432. edere vix potuiſſe videatur.

Sub Wladislao 1492. Art. 99. §. II. fit iterum mentio, *parvorum* denariorum. Verum an per hos, ipſi illi Kartingh dicti intelligantur? Sin: quot minores, majorem denarium effecerunt? Imo, an vel in curſu adhuc fuerint? inde elici non poteſt; vage enim tantum dicitur: *Si denarios minores pro aliquo tempore curſum habere contigerit, ad eandem rationem cum majori & æquivalenti numero ſuppleantur.*

De

Digitized by Google

De hoc Inſtrumento, & quibusdam aliis iterum ſaepe laudatus amicus & fautor ſequentem perſcripſit criſim:

„Perinde non eſt *Decretum*, ſed *Edictum*, ſeu (ut „nunc loquimur) *Patentales*, ad effectum determina„tionis Diætalis, per Regem, vi competentis ſibi exe„cutivæ poteſtatis elargitum. Patet id e finali clauſu„la: *Quocirca vobis - - - Prælatis & Baronibus - -* „*- Comitibus, Caſtellanis, ac veſtris Officialibus - -* „*Civitatum, Oppidorum, Poſſeſſionum, & Villarum* „*Rectoribus, Judicibus - - - Villicis - - majoribus* „*ut puta, & minoribus - - - harum ſerie diſtrictiſſi*„*me præcipientes injungimus.* Tale Edictum eſt etiam „illud, quod Moſſoczius pro Decreto IV. Sigismundi „Corpori Juris inſeruit. Patet enim ex ejus ingreſſu, „quod nihil aliud ſit, quam Inſtructio Dicatoribus, & „Exactoribus lucri Cameræ, & decimæ elargita qua„liter ſtabilitas prævie diætaliter obventiones has ci„tra aggravium Regnicolarum exigere debeant.

„Quo loco monitum te volui, non eſſe illud ge„nuinum Decreta ab Edictis diſcernendi criterium, quod „tu in Veſtigiis p. 204. ſtatuiſti, nimirum ſi conti„neat clauſulam: *de conſilio, & matura deliberatio*„*ne, & conſenſu Prælatorum, Baronum & Nobilium* „*Regni noſtri.* Imo plane hæc clauſula manifeſto in„dicio eſt, tale Inſtrumentum non e Comitiis, ſed e „privato Regis conſilio emanaſſe. Non habebant enim „Reges Hungariæ ſtabile aliquod Miniſterium, cum „quo ſolo negotia Regni pertractaſſent, ſed prouti „Regnum & Caſtra ſua obibant, ita pauci quidem, „quos habebant, domeſtici Miniſtri, veluti Cancel„larius, Judex Curiæ, Theſaurarius Aulam plerumque „ſequebantur; in locis tamen, in quibus tantisper ſub„ſtitere, aſſumebant præterea vicinos Prælatos, Baro„nes, & Magnates, & Proceres, id eſt, Supremos „Comites & potentiores Nobiles. Et hic videtur eſſe

„ effe-

„ effectus tertiæ Tabularum Almi Ducis conditionis.
„ *Quod ipſi, & filii eorum nunquam a conſilio Ducis,*
„ *& honore Regni omnino privarentur.* Habeo lite-
„ ras, quæ ſequentem clauſulam diſerte continent: *De*
„ *conſilio Prælatorum, Baronum & Procerum, quos*
„ *nobis adeſſe contigit.* Habeo alias, ubi de nomine
„ exprimuntur omnes, qui conſilio tali interfuerunt.
„ Genuinum Decreti criterium illud tantum eſt, ſi aut
„ in ingreſſu enarretur, quod Prælati, Barones, &
„ *Nobiles* ſeu viritim, ſeu per Nuncios Comitatuum
„ evocati fuerint, aut ſi in aliquo, vel pluribus Arti-
„ culis ſtatus ipſi loquuntur, Rex vero in fine Inſtru-
„ menti, ordinationes illas confirmet. Aut ad ſum-
„ mum ſi Rex in ingreſſu, quod Regnicolæ univerſi,
„ aut Nobilium identitas ſibi præſentaverint aliquos Ar-
„ ticulos, quos deinde confirmat, vel vero, quod Præ-
„ lati, Barones, Nobiles univerſi poſtulaverint a Re-
„ ge, ut ſequentia ordinet, aut aliquos jam præexſtan-
„ tes Articulos veluti id in Decreto Andreæ II. Belæ
„ IV. & Mathiæ I. factum eſt. Verbo ut aliquod In-
„ ſtrumentum vim Decreti obtineat, debet ex illo ap-
„ parere, quod univerſi Status Regni ſimul cum Rege
„ congregati fuerint, dum illud ederetur.

„ Interea cum tu jam primæ Veſtigiorum Parti
„ multa ejusmodi Heterogenea inſerueris, nihil mo-
„ ror, ut hoc quoque Edictum, præſertim cum ad ef-
„ fectum Diætalis determinationis emanaverit, ſupple-
„ mento inferas. Ego pauca ejus loca, ubi aliquid
„ advertendum putavi, notis illuſtravi.

De Criteriis, quibus Decreta Comitialia ab aliis Conſtitutionibus, Edictis, Mandatis generalibus, aliisque Reſcriptis diſcerni poſſint, in *ſubſidiis ad Hiſtoriam Legislationis & Jurisprudentiæ Hung.* profeſſa opera diſſeram. Id unum hic interea noto, me quidem principium illud in Veſt.

Comi-

Comitior. p. 204. ſtatuiſſe, verum non abſolute, cum præmiſerim clauſulam illam tam in *Decretis*, quam *Diplomatibus* ſaepius occurrere, nec ut criterium, quo probari poſſit hoc, vel illud Inſtrumentum eſſe *Decretum Comitiale*, ſed clauſulam illam pro *Veſtigio* Comitiorum *plerumque* haberi poſſe, & p. 220. aperte monueram: *a temporibus Sigismundi usque ad finem Periodi hujus ſecundæ ex iſta clauſula:* Prælati, Barones, Nobiles, *niſi alia indicia inſuper accedant, celebratorum Comitiorum Veſtigia neutiquam ſat certa deduci poſſe &c.*, quod ibi pluribus rationibus illuſtravi. An autem clauſula illa indicio ſit, tale Inſtrumentum non e Comitiis emanaſſe, in *Subſidiis* diſquiram.

Decretum igitur *de valore denariorum*, quod in Codice MSS. Kollariano V. inſcribitur, & Decreti nomine improprie inſignitur, Edictum potius appellandum in Comitiis editum non eſt, cum nullum hoc anno 1432. celebratorum Comitiorum Veſtigium reperiatur. Nam Conventus, cujus in hoc ita dicto Decreto Rex meminit, & quem, ſi ad hunc annum referendus eſt, menſe Januario celebratum fuiſſe oportet, tum alter Conventus, cujus Joannes Epiſcopus Zagrabienſis, & Cancellarius Regis in Literis feria II. poſt feſtum Bartholomæi A. D. 1432. ad Sigismundum datis ex Farlato T. V. p. 466. apud Katona Hiſt. Crit. T. XII. p. 591. productis ſequentibus verbis meminit.

„ Sci-

„ Scire dignetur eadem Serenitas, quod Prælati, & Barones Regni veſtri Hungariæ in feſto „ S. Laurentii proxime præteriti pro parte majori „ ad Civitatem veſtram Budenſem pro defenſione „ prædicti Regni veſtri contra inſultus Turcorum, „ & perfidorum Huſſitarum in unum convenerunt „ inter quos ego etiam perſonaliter fui. “

Non Comitia Regni Generalia, ſed concurſus aliqui Prælatorum & Baronum ille quidem in præſentia, hic vero in abſentia Regis celebrati fuerint.

Anno 1433. celebratorum Comitiorum nullum itidem certum veſtigium in monumentis occurrit, Regem tamen Sigismundum etiam abſentem a Regno per Regnicolas Comitia celebrari, in iisque non ſolum de Regni ab imminentibus hoſtium incurſionibus defenſione & occupatarum partium recuperatione, verum etiam de ſtabili Exercituationis norma legibus definienda, & pro futuro regulanda etiam deliberari, & certi aliquid concludi, ac ſtabiliri voluiſſe, patet ex ejusdem *Regeſtro* ſive Propoſitionibus de Exercituatione.

Art. I. „ Quod DD. Prælati & Barones in unum „ locum, & ad certum terminum facerent generalem „ convocationem, & aliquos de quolibet Comitatu Re- „ gni totius advocarent, cum quibus habito Tractatu „ declarent. “

Ex iſto contextu patet, Nobiles tum non viritim ad Comitia comparituros, ſed aliquos tantum ex quolibet Comitatu advocandos fuiſſe, non patet autem, an etiam Civitatibus liberis ac regiis ad eadem comparendum fuerit.

Art.

Art. X. „Ut cum ſic deliberata eorum inten-
„ tione, aliquos ex iis (ſingulis Comitatibus) inſtru-
„ ctos poſſint ad congregationem Prælatorum & Baro-
„ num deſtinare.“

Quamvis hic tantum Congregatio Prælatorum & Baronum, ut ſupra in literis Epiſcopi Zagrab. ad A. 1432. feſt S. Laurentii commemoretur, Generalem tamen Regnicolarum Conventum intelligendum eſſe indicat. Art. I. & ſequens.

Art. XVIII. „Cum autem oportunum ſit, ante
„ reverſionem Suæ Majeſtatis in Hungariam per Præ-
„ latos, Barones & Regnicolas ſic diſponere, & pro-
„ videre.“

Art. XXIII. „Tandem a tota communitate No-
„ bilium divitum, & pauperum, & non tantum a po-
„ tentioribus, & ditioribus eligerentur de quolibet Co-
„ mitatu certi Nobiles, & idonei Viri, qui attentiorem
„ haberent reſpectum, & diligentiorem conſideratio-
„ nem ad procurandas communitatis utilitates, quos
„ de hujusmodi opinionibus, & totali intentione eorum
„ plene informatos ad Prælatos, & Barones Regni con-
„ gregatos pro facienda in omnibus concluſione futu-
„ ris ſemper temporibus deſtinarent.“

Licet hic Electi a Comitatibus ad Prælatos & Barones Regni *Congregatos* mittendi ſvadeantur, improprie tamen verbis iſtis mentem Regis expreſſam eſſe, manifeſtum eſt, cum ex combinatione omnium horum textuum ex tota Regis intentione, quæ in hoc Regeſtro evidenter eluceſcit, pateat, de cogendis Comitiis ſermonem eſſe; adeoque Nuncii Comitatuum non ad Prælatos & Barones Regni congregatos, illos nimirum, quibus in ſui abſentia Regnum vicaria poteſtate gubernandum com-

Digitized by Google

commiſerat, ſed cum his ipſis in Comitiis etiam congregandis deſtinandi & expediendi diſponuntur.

Atque ex his jam ſat manifeſte patet, Sigismundum Regem, ante ſuum reditum Comitia celebrari voluiſſe, quæ Anno 1433. ex ejus mente cogenda fuiſſent, cum, ut mox videbimus, Regeſtrum hoc intra initium Menſis Novembris Anni 1432. & finem menſis Januarii Anni 1433. editum fuerit, Rex autem vix tum putaverit, ſe Anno primum 1434. & eo quidem ſerius rediturum, ſed cum nullus Comitiis iſtis terminus præciſe fuerit præfixus, fruſtra de illo determinando ſolliciti eſſemus.

Hic locus ſe ſe offert, quo de momentoſiſſimo atque nominatiſſimo in Legislatione Hungarica, præſertim circa Exercituationem, Inſtrumento Lectoribus ſi non ſufficientem, pleniorem ſaltem, quam uſpiam hactenus exſtet notitiam ſuppeditem, poſtquam illud ipſum, toties licet ac paſſim in Legibus, & apud Scriptores commemoratum, a nullo tamen hactenus quod ſciam vulgatum incredibili quidem diligentia quæſitum, ſed fere inſperata fortuna in Codice MS. Bibliothecæ Ercſinienſis C. Joannis Petri Szapári, qui ſtudio promovendi conatus meos, & per eos Patriæ ornamentum augendi, eandem mihi liberaliter patere voluit, primum detexi, ac deinde per Amicum edoctus ſum, ipſum hoc Regeſtrum etiam in alio Codice MS. vetuſtiori Bibliothecæ Comitis Georgii Feſtetich exſtare, cujus ab Ercſinienſi Szapariano va-

Digitized by Google

riantes religioſe deſcriptas mihi oportune ſuppeditavit. Codex Feſtetichianus eſt exeuntis Seculi XVI. inſcribitur autem: *Varia Decreta Regum Hungariæ* deſinit in Decreto Anni 1583. ex eo videtur Codex Szaparianus juſſu, & impenſis Comitis Pauli Balaſſa de Balaſſa-Gyarmath deſumtus fuiſſe, quod ex utriusque recenſione colligo, cum uterque eadem prorſus monumenta, etiam heterogenea eodem plane ordine conſcripta contineat.

In Codice Feſtetichiano Regeſto Sigismundi ſequens Epigraphe præfigitur, quæ & in Szapariano habetur:

„Decretum Sigismundi Imperatoris, Regisque Hun-„gariæ ſequitur. Circa modum, & formam defenſio-„nis totius Regni Hungariæ contra omnes inimicos, „ex quacunque parte ipſum Regnum inſultantes notata „ſunt infra ſcripta:

Inſtrumentum hoc ſub nomine *Regeſti* in Legibus, ſub nomine *Propoſitionum* autem inter notationes hiſtoricas frequenter commemoratum invenio. Anni 1500. Art. XXII. ſequentia leguntur.

„Quod conſervatio Gentium per DD. Prælatos, „& Viros Eccleſiaſticos Banderiatos, pro Regni de-„fenſione fienda, obſervetur ſecundum *Regeſtum* quon-„dam Domini *Sigismundi* Imperatoris & Regis in „Domo Thavernicali Regiæ Majeſtatis repoſitum.

In Decreto Ludovici II. Anni 1518. Bachienſi Art II. §. 4. ſtatuitur.

„Interea vero gentes ſuas hoc modo, quo hacte-„nus ſoliti ſunt, juxta formam Generalis Decreti, & „*Regeſti*, Excellentiſſimi Principis quondam Domini

„*Sigis-*

„ *Sigiſmundi* Imperatoris & Regis pro Regni defenſio-
„ ne conſervare teneantur.

In Diæta Hatvanienſi, qualiscunque tandem illa fuerit Anni 1525. Art. XIV. (Vid. Veſtigia Comitior p. 602.) totidem fere verbis præſcribitur.

„Interea vero gentes ſuas modo, quo hactenus
„ ſolito, juxta formam ipſius Generalis Decreti, & *Re-*
„ *giſtrum* Excellentiſſimi Principis condam Domini *Si-*
„ *gismundi* Imperatoris & Regis, Regni pro defenſio-
„ ne conſervare teneantur. "

Articulis hic relatis aperte quidem, & nominatim ad *Regeſtrum Sigismundi Regis* provocatur; pluribus tamen aliis Articulis ad illud ſub nomine Sigismundi duntaxat, quin nomen Regeſti adjiciatur occurrit facta provocatio Anni 1454. Art. III. *DD. Archiepiſcopi &c. quemadmodum tempore quondam D. Sigismundi Imp. & Regis - - - conſueti fuerunt cum ipſorum Banderiis, & numero lancearum exercituare teneantur.* Totidem fere verbis id ipſum repetitur in Decreto Szegedienſi Anni 1459. Art. III. (Vid. Veſt. Comitior. p. 336.) *Quod omnes Prælati &c. ſicut tempore condam D. Sigismundi Regis cum eorum Banderiis, & numero Lancearum - - - exercituare teneantur.* Mitto alios Articulos, in quibus ad modum exercituationis tempore Sigismundi Regis ſtabilitum provocatur. Quod autem in his non præciſe Decretum V. Sigismundi Regis A. 1435. I. ſed etiam ipſum ejus Regeſtrum ſimultanee prouti 1518. Art. II. & 1525. Art.

XIV.

XIV. *juxta formam ipſius Generalis* **Decreti &** ***Regeſti*** innuatur, patet ex vocibus. *Banderiis*, & *numero Lancearum* nuſpiam enim in Decreto V. determinatur, quinam Banderiati ſint, aut quot lanceas quisque habere debeat, fruſtra proinde quoad hæc puncta ad Decretum V. provocatio fieret.

Ipſe Sigismundus Rex in ſuo Decreto V. quod ſuper modo exercituandi 1435. primum edidit, Art. I, §. 1. digitum quaſi ad Regeſtum ſuum intendit, ubi præſcribit.

„Extunc *Prælati deputati pro defenſione* illarum „ partium cum ſuis Banderiis & Militibus *juxta diſpo-* „ *ſitionem de ipſis factam* - - - nec non Comites ſin- „ gulorum Comitatuum, pro partium earundem, vel „ aliarum Guerras habere contingentium, *defenſione* „ *modo ſimili deputatorum* - - ſuccurrere debebunt.“

Ubi ſunt Prælati pro defenſione deputati, ubi diſpoſitio de illis facta, niſi in Regeſto? Nullum enim hac de re aliud Decretum, vel Inſtrumentum extat.

Joannes Sambucus ediderat Viennæ Anno 1581. Opuſculum ſub titulo: Index omnium Decretorum & Conſtitutionum Regni Ungariæ usque A. D. 1579. cujus Autorem in Præfatione dicit fuiſſe Nicolaum Telegdinum, & quod deinceps ad tripartitam editionem Decretorum Viennenſem Anni 1628. apud Caſp. Rath adornatam adoptatum fuit. Recenſentur illo omnia Decreta Regum Hungariæ tunc nota ordine chronologico, poſt Decreta vero Sigismundi ſequens adjicitur adnotatio hiſtorica:

Digitized by Google

„ Circumferuntur quædam *Propoſitiones* I. R. Sigis-
„ mundi Imperatoris & Regis ſine Anno & die factæ
„ apud Regni Proceres per Nuncios in ejusdem Impe-
„ ratoris a Regno abſentia cum titulo: *Decretum de*
„ *modo exercituandi* &c. cum tamen non eſſe Decre-
„ tum, illud legenti manifeſte conſtat. Proinde nos
„ inter Decreta eas aſcribere noluimus, ſed *diſtribu-*
„ *tionem a Proceribus ſic fieri petitam*, Comitatuum,
„ & nominum ſpiritualium, ac ſecularium perſonarum
„ cauſa Decreto noſtro adjecimus, cum interpretatione
„ tituli Regis, quæ in iis Propoſitionibus habetur:

„ Rama vocatur Boſzna, Servia eſt Raſcia, Galli-
„ cia id eſt major Valachia, Lodomeria eſt Ruſcia,
„ Comania vero dicitur terra Valachiæ, quæ inhabi-
„ tatur a Comanis nigris. quæ eſt ſita a fluvio Olth
„ (Aluta) inter Alpes & Danubium jacens verſus Tar-
„ tariam, quæ nunc inhabitatur a Valachis, & nuncu-
„ patur pars Transalpinæ, & Moldaviæ."

Hic primum Regeſtum hoc *Propoſitionum* dubito tamen, an ex veteri aliquo codice, deſumto nomine inſignitur, notatur enim diſerte, quod circumferantur cum titulo: *Decretum.* Crederem Nicolaum Telegdinum hanc e ſtylo Inſtrumenti deſumtam appellationem illi non inepte indidiſſe. Quod Decretum non ſit, Telegdinus recte obſervat, & hanc cauſam fuiſſe, quod eas inter Decreta aſcribere noluerit, diſerte fatetur. Hæc utique clara ſunt, & tamen Lectori intra ſe decidendum relinquo, an ſine ſequentibus intelligi poſſint.

In his Propoſitionibus duo diverſa membra obſervantur; præmittuntur primo usque ad Art. 28. generatim Propoſitiones quædam, quo modo Rex exercituationem regulari vellet, tum deinde ſubjungit

jungit Art. 28. & ſeqq. ſpecifice ad quas partes, quorum, & quantæ copiæ deputandæ ſint. Hæc eſt *Diviſio* exercituantium ſive, ut Telegdinus ſcribit *Diſtributio.*

In codicibus MSS. Feſtetichiano, & Szapariano habetur poſt Annum 1491. adeoque extra ordinem chronologicum longe alio loco poſt Regeſtum Sigismundi ſequens hiſtorica prænotatio.

„Tempore Sigismundi Regis Hungariæ, qui etiam „ Romanorum Imperator fuit, Regnum ipſum Hungariæ plures ex diverſis partibus habuit inimicos, propterea Rex ipſe ex conſilio DD. Regnicolarum ſuorum ordine infraſcripto diviſerat gentes ſuas, & DD. „ Regnicolarum, qui omnes de Regno exire potuerunt."

Subjicitur deinde ipſa diviſio ſeu diſtributio ita, prout in Regeſto Art. 28. & ſeqq. paucis admodum variantibus. Quid hoc monumentum denotet, diu anceps hæſi, id probabile videbatur, eſſe relationem hiſtoricam, quonam modo in ſequelam Regeſti Sigismundi Exercituantes re ipſa per Regnum diſpoſiti fuerint. Illuſtris Amicus, cujus ſententiam expetii, reſpondit:

„Id, quod Regeſtum ſequitur: *Tempore Sigismundi Regis &c.* re penitus expenſa, comperi nil „ aliud continere, quam informem, & infidelem ipſius „ Sigismundi Regeſti extractum, quem imperita manus „ tardius efformavit. Nil itaque habet, quod inde diſcat Lector, confundi autem poteſt, quia in aliquot locis differt ab ipſo Regeſto."

Hæc dum attentius cum adnotatione Indicis Telegdiani ſuperius relata contenderem, videbar

mihi manifeſte colligere hujus extractus autorem ipſum Telegdium fuiſſe; idque illa ipſius verba aperte produnt: *ſed diſtributionem a Proceribus ſic fieri petitam, Comitatuum & nominum Spiritualium ac Secularium perſonarum cauſa Decreto noſtro adjecimus.* Telegdi nimirum adornaverit ſibi collectionem Decretorum, cui collectioni Regeſtum ipſum uspiam in aliquo cod. MS. aut ſingulari copia deprehenſum, cum non eſſe Decretum legenti manifeſte conſtaret, inter Decreta aſcribere noluit, ſed diſtributionem ſpecificam Exercituantium, prout in Regeſto poſt Artic. XXVIII. legitur, ut pateat Lectori, qui Comitatus, Prælati & Seculares familiæ tempore Sigismundi ad exercituandum diſpoſiti fuerint, codici ſuo pro memoria adjecit. Ego vero hunc extractum haud tuto exmittere poſſum, cum ipſum Regeſtum, in quo illa diſtributio Art. XXVIIII. & ſeqq. habetur, non exponat numerum militum Banderiatorum. Cum primam Indicis Telegdiani editionem ad manus non habuerim, definire non poſſum, an quod ſuſpicabar, ibidem extractus ille legatur, ſed vehementer dubito, cum illum Typographus ex editione Anni 1628. vix exmiſſurus fuit. Volvi attentiſſime codicem MS. Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis Juris Civ. N. CLXXXVII. *Decreta & Conſtitutiones Regni Hungariæ* continentem, cui interne ſequentia in Tabula inſcripta ſunt: *Hunc Librum a Rmo. Nicolao Telegdino E. Quinque Eccles. accepi* 1582. *Zach. E. Nitr. & poſt:*

Ste-

Stephani Ilesvani Præpoſiti, ac Vicarii in Spiritualibus Eccl. Agrien. Epiſcopi Gmerien. Lector. Warad. & folio 138. *Per manus Stephani de Illosva Præpoſiti, ac Vicarii Eccleſiæ Agrienſis A. D.* 1544. Patet hunc illum ipſum codicem Illosvaianum eſſe, ex quo Batthyanius LL. Eccl. T. I. p. 10. aſſerit Telegdium & Moſſoczium *alieni laboris fructus decerpſiſſe.* Certum eſt, codicem usque 1544. manu, vel ſumtibus Illosvay conſcriptum ad manus Telegdini, & ab hoc ad Moſſoczium perveniſſe, ſed in hoc nuſpiam extractus ſive diſtributio Sigismundi comparet, quam tamen in codice ſua opera adornato adjectam eſſe, Telegdius ipſe teſtatur. Habuerit igitur Telegdius propria induſtria adornatam, & fors completiorem Illosvaiana collectionem, Illosvaiana vero, velut antiquiore uſus, dein illam jam ſibi ſuperfluam donaverit Moſſoczio. Suſpicabar quidem codicem modo Feſtetichianum eſſe illum ipſum a Telegdino adornatum, cum ætas utcunque coincidat, & extractus hic reperiatur, ſed in hoc iterum Regeſtum adeſt, quod ſe Telegdi inter Decreta adſcribere noluiſſe fatetur.

Quod in Indice Telegdiano de interpretatione tituli Regis adjicitur, eſt itidem illius labor, & pertinet ad Regeſti Art. II. & XXVI.

C. Ignatius de Batthyan Epiſc. Tranſylv. LL. Eccl. T. I. p. 494. Not. 6., exiſtimat Art. III. Decreti II. Ladislai Poſthumi 1454. Regeſtum Sigismundi indigitari; ſcribit enim: *Conſtitutio pro-*

vocata hactenus lucem non vidit, forte eſt illa, de qua Zacharias Moſſoczius poſt Decretum VI. Sigismundi adnotavit, & pag. 495. N. 6. Art. II. Decret. 1458. idem intelligi vult, dum addit: *Has limitationes deperditas dolemus, quamvis nec multum illis jam indigeamus, Prælatis, ac Baronibus ad formam aliorum Nobilium militantibus, ſeu, ut phraſi nobis uſitata loquar, inſurgentibus.* Adverto hic citato Art II. 1458. non ſine cauſa pluraliter exprimi: *juxta limitationes divorum Regum hujus Regni in hac parte factas*; nam præter Sigismundi Regeſtum aliud Ladislai Poſthumi Regeſtum ſimile exſtitiſſe patet ex ejusdem Decreti II. A. 1454. Art. III. §. 2. quod hactenus nullus in lucem produxit.

In Titulo *Regeſti* quod Propoſitiones iſtæ jam Art. X. ſic appellatæ præferunt, & quo in legibus poſterioribus A. 1509. Art. XXII. 1518. Bach. Art. II. 1525. Hatvan Art. XIV. & aliis paulo ante citatis inſigniuntur Lector adhærere non debet; nihil enim inſolitum eſt in legibus noſtris ipſa Decreta Comitialia titulo *Regeſti* deſignari, prout videri poteſt in Inſtrumento Wladislai I. ſuperius ad A. 1298. relato, quo Bullam auream Andreæ II. Anni 1222. Decretum Andreæ III. Anni 1298. Additiones Ludovici I. Anni 1351. tranſumit & confirmat, ſuosque legum Articulos 1440. addit, ubi Præfat. §. 3. habet.

„ Ex quo eædem Conſtitutiones modo, prout in „ ipſo Libello ſeu Regiſtro continentur.

Item

Item in juramento Joannis de Hunjad A. 1446. Item Anni 1478. A. XIV.

„Quod Serenitas Veſtra ea omnia, quæ pro re-
„ ſtauratione, & conſervatione Regni ſui Articulatim
„ in hoc *Regeſto* ſunt conſcripta benigne acceptare -
„ - - dignetur.„

Unde patet una cum notione legali hujus vocis Regeſtum non eſſe neceſſario connexam notionem alicujus ſyllabi, ne quis exiſtimet, Propoſitiones Sigismundi ideo ſolum Regeſtum in legibus appellari, quod in illo elenchus Exercituantium ſpecifice recenſitorum contineatur, nam in Decretis paulo ante citatis, quæ Regeſta ibidem appellantur, nullus ſyllabus occurrit.

Ceterum non unicum, & ſolum hoc Sigismundi Regeſtum in Legislatione noſtra notum eſt, nam & Ladislaum Poſthumum tale edidiſſe patet ex Art. III. §. 2. Decreti ejusdem II. de A. 1454. & Wladislai II. Decretum III. Anni 1498. tale eſt ubi Art. XXII. Exercituantes ſpecifice uti in Regeſto Sigismundi Art. XXVIII. recenſentur.

Super eſt, ut adhuc de ejus ætate, tum de legali autoritate, quod eruere potui paucis exponam.

Cum ſine loco, anno & die circumferatur, ut Nic. Telegdi in Indice, & ex illo Zacharias Moſſoczy in editione Decretorum adnotant, & in ipſis Exemplaribus obſervatur, debet utique ætas illius ex adjunctis erui, quod inquiſiviſſe minime otioſum videri debet, cum inde tum Hiſtoriæ Le-

gisla-

Digitized by Google

giſlationis noſtræ lucis aliquid accedat, tum ad definiendam, ejus legalem autoritatem argumentum duci poſſit, prout mox patebit.

Exiſtimo me non præciſe tamquam hypotheſim conjecturis innixam, ſed velut evictam hiſtoricam aſſertionem præmittere poſſe, Regeſtum hoc, aut ſi mavis Propoſitiones regias, per Vice-Cancellarium (nam Cancellarius Epiſcopus Zagrabienſis in Hungaria remanſerat, ut ex ejus Literis ad Regem A. 1432. ſcriptis patet) mandato Sigismundi ad Hungariam & omnes ejus Comitatus penes reſcriptum Regium eo fine re ipſa expeditas fuiſſe, ut ſuper iis primum in Generalibus Congregationibus conſultarent, deinde in Generalibus Comitiis, etiam in abſentia Sigismundi, & ante reditum illius celebrandis, congregati Regnicolæ certi aliquid concluderent. Fundatur hoc in ipſo Propoſitionum contextu. Regem quidem id voluiſſe, patet ex Art. X. XXIII. quod autem V. Cancellarius mandatum Regis executus ſit, literas re ipſa dimittendo, iisque exemplar Regeſti accludendo, colligitur ex eo, quia in Decreto V. Anni 1435. Art. I. §. I. & jam antea 1433. in Literis, quibus de Civitatis & Caſtri Poſonienſis contra Huſſitas defenſione uberius, & in ſpecifico diſponit, illud Regnicolis notum eſſe ſupponit, & ad illud, licet ſine nomine provocat, quin & reliquæ omnes poſteriores provocationes in Decretis ad illud factæ ſatis indicant, ea ſtatim occaſione illud Regniculis jam publicatum eſſe, cum nulla

la alia deinceps occurrat, qua illud tardius, & poſt Decretum V. commode publicari potuiſſet.

His ita ſtantibus, facile ratio eruitur, cur Inſtrumentum hoc loco, anno, & die careat, nimirum quia datum in ipſis Literis per V. Cancellarium ex mandato regio ad Comitatus ſcriptis expreſſum, & hoc Regeſtum illis in copia ſolum praeclusum fuit, notum autem eſt, accluſis, præſertim præteritis temporibus raro data appoſita fuiſſe. Datum proinde hujus Inſtrumenti illud ipſum eſt, quod Literarum regiarum, penes quas illud Comitatibus communicatum fuit, quarum exemplar cum nondum detexerimus, datum quoque præciſe ignoramus, & Regeſtrum ipſum ſine illis acephalum eſſe, tenere debemus. Cum autem ſine illis, in eruenda ætate Regeſti, conjecturis duntaxat uti oporteat.

Exiſtimo Regeſtum hoc intra initium Novembris Anni 1432. & diem 20. Januarii Anni 1433. & quidem eo ipſo tempore conſcriptum eſſe, quo *inter ſuam Majeſtatem & Florentinos* ut Art. XXXIII. item *Tractatus de Treugis cum Turcis* habebatur, ut Art. XXXV. ipſius Regeſti refertur. Ut ita teneam, quaterna facta hiſtorica & diplomatica invicem & cum Regeſto combinata me permovent.

1. Tyrnaviam ab Huſſitis primum Anno 1432. circa feſtum B. Joannis Baptiſtæ, adeoque poſt diem 20. Junii interceptam eſſe, concors eſt Hiſtoricorum Relatio. In Regeſto autem ſpeciatim

Art.

Art. XVII. & XVIII. agitur de recuperatione Tyrnaviæ, utique jam amiſſæ. Igitur ante finem Menſis Junii Anni 1432. ſeu ante occupationem Tyrnaviæ Regeſtum conſcriptum non eſt; & cum Sigismundus jam a Regno abſens fuerit, & donec de Tyrnaviæ amiſſione edoceretur, atque conſilium regulandæ exercituationis penitius diſcuteret, ac Regeſtum iſtud conſcriberet, longius tempus intercedere debuerit, facile reliquum æſtatis elabi, & autumnus Anni 1432. ingruere potuerit.

2) Scripſerat Sigismundus Literas, apud Katona Hiſt. Crit. Tom. XII. p. 594. quibus Ladislao de Kanyſa mandat, ut collectis gentibus medio ſuorum futuro Menſe Aprili 1433. Venetos in foro Julii invadat. *Dat. Senis A. D.* 1432. *die* 28. *Octobris.* Idem ſtatuit etiam in Regeſto Art. XXXIII. utrumque igitur eo tempore ſcripſit, quo intentionem habebat Venetos in Foro Julii invadendi. Sed

3) In aliis Literis ad eundem Ladislaum de Kanyſa itidem *Senis feria IV. prox. ante feſtum Converſionis B. Pauli Apoſt. A.* 1433. datis, & a Katona L. c. p. 598. etiam productis, diſpoſitionem priorem revocat, & miſſo Foro Julii, directe Senas ad ſe venire jubet, tum quod ibi ſe ipſum non ſatis tutum eſſe videret, tum quia a tot hoſtibus undique impetitus, & alioqui multis negotiis peregre implicitus, ſperabat per Florentinos etiam Venetos manſvetioribus ad concordiam reduci poſſe, ut Regeſti Art. XXXIII. ipſe

pro-

Digitized by Google

profitetur. Igitur circa diem 20. Januarii Anni 1433. jam mutaverat intentionem Venetos in Foro Julii invadendi; ante hoc tempus proinde Regeſtum conſcriptum eſt, cujus Art. XXXIII. adhuc hanc firmam intentionem prodit. Denique

4) Id ipſum confirmatur etiam ex Literis tuendi contra Huſſitas Caſtri Poſonienſis cauſa itidem *Senis ſecunda die feſti Purificationis Virginis Mariæ glorioſæ* A. D. 1433. adeoque proxime poſt paulo ante citatas, datis apud Katona L. c. p. 603. editis, quas jam poſt Regeſtum ſcriptas fuiſſe luculente colligitur ex illis clauſulis: *Ut etiam Civitates noſtræ regales &c.* de quibus in Regeſto adhuc nihil diſpoſitum fuit, item: *ultra illas gentes quas ſecundum diſpoſitionem per nos alias vobis factam &c.* ubi non obſcure diſpoſitiones in Regeſto Art. XXXI. factæ innuuntur, & alioquin iſtæ Literæ hac in parte imminente majori caſtro Poſonienſi periculo quaſi in ſupplementum Regeſti ſcriptæ fuiſſe videntur.

Intricatior eſt quæſtionis illius disquiſitio: An & qualem autoritatem Regeſtum Sigismundi apud nos obtinuerit?

Hic iterum nonnulla præmittere oportet, quæ in ipſa politici regiminis natura radicata, & apud nos poſitivis Regni legibus ſtabilita ſunt, nec in controverſiam trahi poſſunt.

Certum eſt, ut in omni Republica ſupremæ poteſtati, ita apud nos Regi legitime coronato poteſtatem executivam originali uſu, & legibus con-

concreditam eſſe. Circa objecta poteſtatis executivæ duplicis ordinis leges eſſe poſſunt, *obligativæ*, & *regulativæ*, ſeu *directivæ* (liceat mihi vocibus iſtis, quamvis forte apud Jurisperitos ita minus uſitatis, ad exprimendam meam opinionem uti) obligativas leges illas appello, quibus ſe ipſi regnicolæ Regi generatim & in communi ad parendum hoc modo diſerta lege obligarunt. Similes leges apud nos nonniſi in Comitiis Generalibus mutuo Regnicolarum conſenſu, & Regis aſſenſu ſtabiliuntur, & pactorum naturam, ac vim habent. Leges regulativæ, ſeu directivæ, hic illæ mihi ſunt, quibus ſpeciatim poteſtas executiva præſcribit modum vires ſibi neceſſarias, lege comitiali pactatas, in caſibus, & adjunctis lege communi non definitis ſuppeditandi, & applicandi, qualia ſunt: *Mandata*, *Edicta*, *Reſcripta*, *Ordinationes*, *Normalia*, *Regulamenta*, & his affinia, quæ itidem obligativa ſunt, niſi expreſſis legibus comitialibus aperte repugnent, ſed & caſu eo, quo his repugnare viderentur, ſingulares perſonæ ac integra etiam corpora, ſive ſtatus, quos concernunt, tamdiu illis obſequi tenentur, donec vel a Rege alterata, vel in Comitiis ad inſtantiam Regnicolarum abolita fuerint, cum id, an aliquid a Rege juſſum, poſitivis & claris legibus repugnet, nullius particularis Civis, aut civium claſſis judicio & deciſioni, propter pericula, quæ inde enaſci poſſent, relinqui valeat; & præterea caſus ex adjunctis locorum, temporum,

rerum-

rerumque ſoli poteſtati executivæ cognitis tales e-naſci poſſint, quos Legislatio vel non prævidit, vel in quibus propter periculum in mora, aut magni commodi occaſionem arbitrio poteſtatis executivæ alioquin delatura eſſet. Hujusmodi leges non in Comitiis Generalibus rogantur, ſed autoritate poteſtatis executivæ præſcribuntur. Jam

Quoad Regeſtum Sigismundi, certum eſt, illud in Comitiis Generalibus, uti quidem nunc, quem mox proferam textum illius habemus a Rege, & Regnicolis nequaquam fuiſſe pro lege declaratum, aut ſaltem incertum eſt, nec ullo Veſtigio conſtat aliud aliquod Regeſtum, uti ſub Wladislao II. A. 1498. factum eſt, in aliquibus Comitiis ſub Sigismundo fuiſſe conditum. Primum aſſerti membrum ipſe ſtylus, quo conſcriptum eſt, a legislativo toto, ut ajunt, coelo diverſus confirmat, & aperte patet ex Art. I. X. XXIII. XXV. XXVII. Secundum autem, ut præmiſi ex defectu Veſtigiorum aſſero, niſi quis in Comitiis Anni 1434. tale Regeſtum ſtylo legali conſcriptum produxerit, aut ab hoc noſtro diverſum quod toties repetitæ in poſterioribus legibus provocationes reſpexiſſent, exſtitiſſe ſufficienter comprobaverit. Regeſtum igitur hoc non eſt Decretum Comitiale, nec unquam vim legalem, qualem cetera Decreta Generalia habent, obtinuit:

His præmiſſis, puto me, quamdiu certiora non habuerimus, tuto ſequentem hypotheſim ſuper-

ſtruere,

ſtruere, & in illa regulativam Regeſti hujus autoritatem radicare poſſe:

Regeſtum Sigismundi fuit ordinatio, ſeu Regulamentum penes Mandatum Regium ad Comitatus circulariter miſſum, ſecundum quod exercituationem regulatam eſſe voluit, ea tamen ratione, ut hoſtibus partim jam intra Regnum ſigna circumferentibus, partim limitibus ejus imminentibus, adeoque poſito in mora periculo, ſecundum ejus præſcriptum omni meliori modo Patria quidem interea defenderetur, in quantum tamen nonnulla illius puncta vel ab anterioribus legibus, vel a recepta & approbata conſvetudine Regni diverſa & nova eſſe viderentur, aut Regnicolæ melius aliquid ordinandum adinvenirent, primum quidem in Generalibus ſingulorum Comitatuum Congregationibus illud diligenter diſcuterent, deinde coactis Generalibus Regni Comitiis, quod optimum videretur unanimiter ſtatuerent, quo pro futuris etiam neceſſitatis caſibus certa & firma exercituandi norma haberetur.

Quatenus igitur hoc Regeſto Sigismundus præſentibus Patriæ periculis obviandi modum præſcripſit, eatenus illud Regulamentum fuit, quatenus autem illud in Congregationibus & Comitiis Generalibus diſcutiendum commiſit, aut quod opportuniſſimum videretur, ſtatuendum Regnicolis detulit, eatenus Propoſitiones diætales dici poſſunt. Si Reſcripti, penes quod Regeſtum hoc accluſum

ad

Digitized by Google

ad Comitatus dimiſſum fuit, copiam haberemus, fortaſſis inde certiora eruere poſſemus.

Jam id, quod Regeſtum hoc non immediate ad Comitia, per Regem, ut alias fieri ſolebat, indicta, ſed ad Comitatus expeditum ſit, a conſueto alias Propoſitiones diætales Regnicolis exhibendi modo diverſum, indicat Inſtrumentum iſthoc aliquid plus eſſe debere, quam præciſe Propoſitiones, imo, quod jam ex primæva Regis intentione, ac deinde facto regnicolarum fuerit, & manſerit Regulamentum, adeoque vim regulativam, ſeu directivam obtinuerit, ſequentia probant.

1). Ipſe Sigismundus hujus Regeſti Art XVI. innuere videtur, velle ſe, ut Regulamentum hoc ſicut ſcriptum eſt in expeditionibus exercitualibus futuris temporibus obſerventur.

„ Et ut præmiſſa (inquit) ſicut ſcripta, & enarrata, ſuper expeditionibus exercitualibus, undecunque „ contra inimicos Regni Hungariæ inſultantes futuris „ ſemper temporibus ſucceſſivis pro defenſione Regni „ faciendis „ Intellige obſerventur.

2) Idem Sigismundus in Literis ſuis, mox poſt Regeſtum hic ſubjiciendis, quas fortaſſe non integro menſe ab edito Regeſto intuitu defendendi contra Huſſitas Caſtri Poſonienſis ſcripſit, jam non obſcure ad Regeſtum clauſula illa provocat: *ſecundum diſpoſitionem per Nos alias* (nempe in Regeſto Art. XXXI.) *vobis factam.* Nullius autem alterius diſpoſitionis de Poſonii, vel Regni defenſione per Sigismundum ante has literas fa-

ctæ

Digitized by Google

ctæ meminimus, ad quam hæc provocatio referri poſſet, quam hujus Regeſti.

3) In Iisdem Literis accludit aliquod particulare Regeſtum ſubſidiorum ad defenſionem Caſtri Poſonienſis ordinatorum, quod quaſi ſupplementum, & ulterior applicatio Regeſti fuit. Iſtud non eſt vel projectum, vel propoſitiones, ſed mandatum obligativum, in quo fruſtra ad diſpoſitiones in Regeſto factas provocaſſet, niſi & illud aliquam obligationem importaſſet.

4) In Decreto V. iterum de exercituatione Anni 1435. Art. I. §. 1. iterum provocatur ad diſpoſitiones jam antea factas: *Prælati deputati pro defenſione illarum partium cum ſuis Banderiis & Militibus juxta diſpoſitionem de ipſis factam, nec non Comites ſingulorum Camitatuum - - - modo ſimili deputatorum.* Nuſpiam autem aliud aliquod Decretum anterius habetur, in quo Prælati & Comitatus pro defenſione ſpeciatim *Deputati* fuiſſent, aut *diſpoſitio de ipſis facta*, niſi in hoc Regeſto. Cum igitur ſecundum hanc diſpoſitionem exercituandum præcipiatur, ſuapte ſequitur, illam vel jam ſtatim initio vim aliquam regulativam habuiſſe, vel certe vigore hujus legis eandem obtinuiſſe.

5) Et vero ad hanc normam ſemel præſcriptam deinceps etiam, ut præmiſſum eſt, ſæpiſſime in legibus poſterioribus provocatur; expreſſis verbis quidem A. 1500. Art. XXII. 1518. Bachien. Art. III. & 1525. Hatvan Art XIV. & ne videatur

deatur tantum Decretum V. provocari, diſerte adˌditur: *juxta formam Decreti & Regeſti.* Tacite autem in pluribus Articulis ſupra citatis ad idem Regeſtum provocatur, ubi ſolum Decretum V. intelligi non poteſt, cum illud ita ſpeciatim per adjuncta exercituationem, & Banderiorum diviſionem non regulaverit, ut pro norma deſervire poſſit.

6). Tanti autem hoc Regeſtum deinceps in materia exercituationis fuit, ut alii quoque Reges, Sigismundi ſucceſſores ad ejus normam ſua concinnaverint Regeſta, uti Ladislaus Poſthumus, ad quod ipſe 1454. Art. III. §. 2. licet nunquam in Comitiis adoptatum velut ad normam regulativam virtute poteſtatis executivæ præſcriptam provocat, ſed quod adhuc nondum deteximus, & Wladislaus II. A. 1498. Decreto III. Credibile eſt, alios quoque Reges hac in parte Sigismundum imitatos fuiſſe, uti tamen ex Regeſto Wladislai II. apparet, videntur illi Regeſtum Sigismundi, mutatis temporum adjunctis, & cumprimis perſonis temporibus ſuis, accommodaſſe tantum potius, quam novum, & fundamentale, inducere voluiſſe. Semper igitur Regeſtum Sigismundi tam in ipſa exercituatione, quam in ferendis de illa legibus deinceps pro norma habebatur. A potiori quidem, cum

7). Sigismundus, ut ipſe Art. VII. profitetur, nihil novi præſcripſerit, ſed ea ſolum apertius regulaverit, quæ jam in legibus diſpoſita, & conſuetudine inducta, atque firmata erant. Tanto

Digitized by Google

igitur facilius hoc regulamentum etiam apud Regnicolas locum invenerit, quod illud ipſis alioquin non violenter obtruſerit, ſed Art XXV. ingenue declaraverit, *quod omnia præmiſſa circa defenſionem Regni deſcripta relinquuntur per Majeſtatem Regiam arbitrio & diſpoſitioni.*

„Prælatorum & Baronum & communitatum Re-
„gni, ut quidquid pro meliori ſtatu Regni diſponen-
„dum videbitur, ſtatuant, ordinent, & diſponant.

Et ideo videntur ipſi Regnicolæ delata ſibi tam ampla facultate non magnopere ſtuduiſſe uti, cum diſcutiendi Regeſti cauſa, nulla Comitia celebraverint, & tamen nuſpiam obſervatur, id Regem ægrius tuliſſe, qui in re tanti momenti ſuis mandatis eos non obtemperaſſe, vix æquo animo laturus fuiſſet, niſi vidiſſet, regnicolas ſuis diſpoſitionibus contentos eſſe, & ideo in ſui abſentia eas alterare noluiſſe.

8). Ad aſſerendam Regeſto Sigismundi aliquam legalem autoritatem puto mihi eadem ratione argumentari licere, quemadmodum illi argumentantur, qui Tripartitum Opus Verböczii legis vigorem habere contendunt ideo, quod illud in Articulis Diætalibus 1635. XVIII. 1647. XVI. 1723. VI. 1741. VIII. & in Diplomatibus Inauguralibus, Ferdinandi II. 1622. Art. II. Ferdinandi III. 1638. Art. I. & Leopoldi I. 1659. Art. I. ubique conditione 5. commemoraretur. Atqui Regeſtum Sigismundi, præterquam quod non alicujus ptivati lucubratio, uti Verböcziana, ſed Re-

gis

Digitized by Google

gis ordinatio fuerit, cui jam ex ipſa dignitate, & executiva poteſtate leges condendi autoritas competebat, vix paucioribus in legibus provocatur.

9). Quod ſi temporum adjuncta, & Regni ſtatum, qui fuit tempore præſcripti Regeſti expendamus, tanto facilius nobis perſuadebimus, Regulamentum hoc vim directivam ſtatim a ſui exordio obtinuiſſe. Hoſtes non tantum pluribus ex partibus Regni limitibus imminebant, ſed jam in illius fere viſceribus circumcurſabant, Rex plurimis externis gravibus negotiis diſtrahebatur, Regnicolas urebat, quosdam Coronæ clientelares Dynaſtas ejus imperium ſpernere, & partes ab illa avulſas impune tenere; magna igitur undique fuerat exercituationis neceſſitas, & illius regulandæ ſufficiens ratio. Jam ſi Regeſtum hoc non niſi poſtquam in Comitiis diſcuſſum, & in leges relatum fuiſſet, vim aliquam obtenturum erat, nulla ratio cogitari poteſt, cur illud Rex, in ſui ut prævidere poterat, longiori abſentia præſcripſiſſet, cum id alioquin interea nihil ad regulandam exercituationem & defendendam in præſentibus periculis patriam collaturum, poſt reditum ſe longe efficacius in Comitiis coram efficere poſſe probe noverit. Urgentibus igitur fatis id facere vel abſens coactus eſt, ne Regnum absque defenſione maneret, ad quam vires Regni applicare poteſtatis ejus executivæ jus & officium erat.

Ceterum non eſt hoc primum Sigismundi militare regulamentum; vidimus enim, illum jam An-

Digitized by Google

no 1427. peculiari regulamento Braſſoviæ edito ſatis ſevere diſciplinam militarem præſcripſiſſe, quod certe obligativum erat, licet in Comitiis editum non fuerit, & præterea quædam nobilitari prærogativæ adverſa continere videretur, ut patet ex notis eidem ſubjectis. Poſt Sigismundum hujusmodi regulamenta extra Comitia condita fuiſſe diſcimus ex citato jam Ladislai Poſthumi Decreti II. 1454. Art. III. §. 2. & fors plura futura ætas talia deteget.

Hæc ſat operoſe, ut patet, combinata, luculente indicabunt, quid circa ipſum Regeſtum, & quibus rationibus inductus ſentiam. Optaſſem quidem illius tam hiſtoricam, quam juridicam notionem ad gradum usque certitudinis vel ideo deducere, quod de hoc Inſtrumento pauciſſimis viſo, cujus primum edendi fortuna mihi obtigit, domeſticorum ſcriptorum, hactenus variæ, ac inconſtantes opiniones fuerint, dum alii, donec illud reperiatur, cum perpetua eorum fiat provocatio, nos in materia veteris exercituationis cæcutire, recte exiſtimarit, alii contra, cum ad conſtitutiones Regni nihil faciat, illud ſuis collectionibus inſerere, ne operæ quidem pretium eſſe duxerunt. Cum tamen adhuc non omnia diplomaticis argumentis demonſtrare potuerim, haud ægre feram, ſi quis ea, quæ protuli, conjecturis tantum ſuffulta eſſe dixerit, & me non ſententiam, ſed opinionem depromſiſſe exiſtimaverit.

Vel ideo mihi licuit, quod prolatis rationibus inductus ſentio exponere, quia intra opinionum limites

Digitized by Google

mites hactenus adhuc ſubſtitimus. Mea quidem hæc in pluribus ab opinionibus Amici, quas in adjectis notis ſparſim expoſuit, differunt, ſed illas nihilominus retinendas eſſe judicavi, ut Lectores, quod vero ſimilius videbitur, eligere, aut certiora ſubſtituere poſſint.

Subjicio jam ipſum Regeſtum, prout ejus textum inveni, de quo id attentius Lectorem monere volui, me præter indicatos Feſtetichianum & Szaparianum Cod. MSS. nuſpiam textus illius exſtantis vel veſtigium hactenus deprehendiſſe, quod profecto tanto magis mirandum eſſet, quia Regeſtum ad omnes Comitatus expeditum, aut ſaltem expediendum erat, quorum vel hic Art. XXX. numerantur LIX. & præterea toties ad illud ante Cladem Mohachienſem provocetur, ut credere oporteat, illud apud omnes fuiſſe vulgatiſſimum, ſed ſi expendamus, nullius, quod ſciam, Comitatus Archivum, quoad Acta Publica, ultra Cladem Mohachienſem altius ſemet extendere, ad Civitates autem illud expeditum, ut apparet, non fuiſſe, ac præterea pleraque tam privata familiarum, quam Comitatuum & Civitatum Archiva maxima parte in confuſo adeo, & neglecto ſtatu eſſe, ut quid illis contineatur, ne illi quidem ſciant, quos concernunt, facile perſpiciemus, cur in tanta vetuſtiorum actorum ſtrage hujus quoque Monumenti primæva exemplaria, ſi quæ uſpiam ſuperſunt, adhuc ſub ruinis lateant.

Digitized by Google

Hæc eadem cauſa eſt, quod contextum hunc pro illo ipſo, qui ad Comitatus expeditus erat, cum omni certitudine hiſtorica nequaquam adhuc proponere poſſim; cum enim in ſtylo a conſuetis expeditionibus plurimum differat, ſuſpicari liceret, hunc primum fuiſſe conceptum, ſeu Regis ipſius, ſeu Referentis, ex quo deinde Regeſtum ad Comitatus expediendum in ſtylum conſuetum redigendum erat. Deinceps autem conceptum hunc, ſive in minuta ut dicimus, ſive in Protocolo, aut Libro Regio, five manuali repertum quiſpiam deſcripſerit, & ita in Codices jam laudatos, inde, non ex exemplaribus ad Comitatus expeditis, derivatum ſit. Utcunque fuerit, Regis mentem, & ſubſtantiam Regeſti, genuinam in eo habemus; ſed in tantas rerum domeſticarum tenebras nos procidiſſe ingemiſcere, una tamen conari debemus, ut ex iis eluctemur. Conf. ea, quæ in Inſtitutione Grammatophyl. p. 42. de hoc Regeſto ſcripſi.

Sigismundi Imperatoris & Regis Hungariæ Regeſtum; ſive Planum Propoſitionum (a)

Circa modum, & formam defenſionis totius Hungariæ contra omnes Inimicos ex quacunque Parte ipſum Regnum inſultantes (b) *notata ſunt infraſcripta.*

INGRESSUS.

„Quia ex Regni Hungariæ ab antiquo obſervata „Lege, & Conſuetudine debitum fuit, ut ultra De- „fen-

„ fenſionem, quam Rex, & Regina, ae Prælati Eccle-
„ ſiarum, & Viri Eccleſiaſtici ipſius Regni de Regiis,
„ & Reginalibus, ac Eccleſiarum proventibus pro con-
„ ſervatione Regni ejusdem, & confiniorum ſuorum
„ ex omni facere parte tenentur, etiam univerſitas
„ Regnicolarum Nobilium, & poſſeſſionatorum pro hu-
„ jusmodi defenſione confiniorum Regni contra omnes
„ Inimicos, Regnum ipſum inſultantes in generali Exer-
„ citu Regni univerſaliter proficiſci tenen[illegible]. (*c*)

„ Item: quia etiam Rex Hungariæ [illegible] ultra Ti-
„ tulum Regni Hungariæ horum Regnor[illegible] [illegible]ulis, vi-
„ delicet: Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galli-
„ ciæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, & Bulgariæ, quæ ſcili-
„ cet Regna ſunt, ab antiquo eidem Regno Hungariæ
„ incorporata, & ad horum cujuslibet conſervationem,
„ & confiniorum defenſionem per Regem, Reginam,
„ Prælatos, Viros Eccleſiaſticos, & communitatem No-
„ bilium & poſſeſſionatorum Hominum neceſſario ſem-
„ per eſt intelligendum (*d*).

(*a*) Inſigne hoc Monumentum non poteſt ad Categoriam *Decreti* reduci, quia ex *Comitiis* non emanavit, ſed tantum materiam pro Comitiis præparat, formam etiam, nec *Diplomatis*, ſeu *Privilegii*, nec *Edicti*, ſed nec ſimplicis *Reſcripti* habet, cum longe alio, quam ejusmodi Inſtrumenta ſolebant, ſtylo conceptum ſit. Itaque nil aliud eſt, quam connotatio ſtabilitorum *in Regis Conſilio*, Punctorum, quæ Sigismundus *circa Regulationem Inſurrectionis* ſingulis Comitatibus pro Deliberatione proponi voluit. Moderno loquendi modo *Protocollum* diceremus, patet id cum e verbis Tituli: *notata ſunt infraſcripta*, tum e pluribus aliis, ac potiſſimum ex Art. X. ubi dicitur: *vult, & mandat Sua Majeſtas Regia per V. Cancellarium - - - ad quemlibet Comitatum copiam hujus Regeſti - - - pro informatione cujuslibet Comitatus cum Litera ejusdem Majeſtatis - - -*

hac

Digitized by Google

hac illac deſtinari. Id enim non niſi *in conſilio Regis* decerni potuit. Et ideo nos Inſtrumentum hoc Planum *Propoſitionum* appellavimus. Pro *formalibus* enim *Propoſitionibus*, Litteræ tantum illæ haberi poſſunt, per quas Puncta hæc Comitatibus reipſa intimabantur. Ac has quidem nemo hactenus protulit, quod tamen eas reipſa dimiſſas fuiſſe admodum probabile ſit, nos argumenta infra proferemus.

Hoc ſtante, primum hoc eſt, quod hactenus eruimus, *Propoſitionum Regiarum*; & quidem non in ipſa Diæta, uti uſus ſubinde obtinuit, factarum, ſed ſingulo ſeorſim Comitatui prævie communicatarum Exemplum.

Regeſti appellationem ideo retinuimus, quia & in ipſo hoc Inſtrumento Art. X. ut jam vidimus, ita appellatur, & in Wladislai Decr. IV. Art. XXII. ſub eodem *Regeſti* nomine ad illud provocatur. Dicitur quidem hoc Articulo: *illud in Domo Tavernicali Regiæ Majeſtatis repoſitum eſſe*, videturque inde ſurgere Argumentum pro eo, quod illud ad Comitatus nunquam expeditum fuerit, cum ſecus non ad *Originale*, in Archivo Regis (nam & hoc in Domo Tavernicali conſervabatur) repoſitum, ſed factam ex eo ad Comitatus *Expeditionem* provocari debuiſſet. Verum ego ideo hic ad *Originale* provocatum fuiſſe, puto, ut cum nemo emanatas ante 69. annos Litteras ſecum adtulerit, ſi quis illud conſulere velit, ſciat ubi ejus legendi copiam nanciſci poſſit.

Major eſt de eo Difficultas, quomodo ad *Regeſtum* Sigismundi hoc Articulo provocari poſſit,

cum

cum illud in Comitiis 1435. id eſt Decreto hujus Regis V. in Legem relatum non ſit, ſed & ſub ipſo Wladislao Decreto I. Art. XVIII. XIX. XX. & XXI. & Decr. III. Art. XV. XVI. XVII. & XVIII. ac præſertim Art. XXI. & XXII. notabiles, quoad Regeſtum Sigismundi factæ ſint mutationes.

Verum tam Inſtrumentum hoc, quam & emanatæ, ut ego puto, ex illo ad Comitatus Literæ, duo objecta habent, primum conſtituunt Puncta, juxta quæ Sigismundus Inſurrectionem regulari cupiebat. Hæc poſtquam in Comitiis 1435. diſcuſſa ſunt, non omnia, ſed ea tantum, quæ ſtatuum ſuffragia tulerunt, in Legem relata, & Decreto illi inſerta fuerunt. Et in hoc ſenſu provocatur ad hoc Decretum, dum Math. Decr. III. VII. in genere tantum ſtatuitur; *ut in Exercituatione, & Levatione Banderiorum - - - teneatur idem modus, qui fuit tempore condam - - - Sigismundi Regis.*

Aliud objectum conſtituit *Syllabus* eorum, qui Banderia intertenere debebant, cum ſpecifica numeri ſinguli Banderii deſignatione, qui in præſenti Inſtrumento ab Art. XV. uſque XXX. exprimitur, & qui proprie ſub *Regeſti* compellationem venire poteſt. In hoc Sigismundus nihil novi propoſuiſſe, ſed uſum tantum illum, qui ſuo tempore vigebat, conſcripſiſſe, & ideo ad *Regeſtum* hoc toties provocari videtur. Verum in eo, quo tunc Hungaria agitabatur, turbine, Poſſeſſoriis

non

Digitized by Google

non modo varie mutatis, ſed etiam jam contractis, jam dilatatis, ne vigens quidem ſub Sigismundo uſus diu ſubſiſtere, adeoque nec *Regeſtum* illud poſterioribus temporibus poterat deſervire. Patet id & ex Ladislai Poſthumi Decr. II. Art. III. §. 2. ex quo Regem hunc jam diſtinctum *Exercituationis Regeſtum* habuiſſe apparet, & ex Wladis. Decr. III. Art. XXI. XXII. ubi omnes Banderiati de nomine deſignantur. Quod ſi enim iſthoc Wladislai *Regeſtum* cum Sigismundæo conferatur, ingens inter utrumque diſcrimen apparebit. Itaque dum ad Sigismundi, ſeu *Regeſtum*, ſeu *exercituandi modum* in genere tantum provocatur, id non aliud indicare videtur, quam quod, Rege ſeveriorem paulo Inſurrectionis formam proponente, ſtatus per vagam illam, ad Sigismundæum exercituandi modum provocationem, hanc a ſe amoliri voluerint.

(*h*) Ad genuinum Inſtrumenti hujus ſenſum aſſequendum pauca de origine Banderiorum præmittere operæ pretium videtur.

In prima Regum Periodo *Perſonalis* tantum, & a *facultatibus*, quæ poſtea *Portalis* dicta eſt, Inſurrectionis uſus fuit. Conferebant quidem Reges 1. Epochæ Bona cum obligatione deſignatum in donatione militum numerum ad caſtra regia adducendi. Ita Bela III. Bartholomæo de Veglia, Terram Modrus 1193. contulit ea lege, *ut in exercitu* (ſunt verba Diplomatis) *gratiæ noſtræ inter Limites Regni cum* 10. *Loricis aſiſtat*, extra

tra

tra Regnum vero cum 4. Loricis ſerviat. Kerch Notit. Præliminares pag. 167.

Ita Andreas II. Donationi Familiæ Radus 1224. factæ eam adjicit conditionem, *ut quoties neceſſum fuerit, in Exercitu noſtro 15. Loricatos & 100. Pedites vernaculos expeditos habebunt. Idem Ibidem pag.* 190.

Villis etiam *Liberis* in compenſationem conceſſarum iis prærogativarum, certus militum numerus imperari ſolebat. Ita Andreas II. hoſpites Teutonicos, de Zathmar-Németh 1230. obſtrinxit: *quod more Saxonum Villicus eorum armatus cum quatuor Perſonis Sagitariis nobiſcum exercituare teneatur.* Schmitt Epiſc. Agr. Part. I. pag. 140.

Ita idem Rex Hoſpitibus de Peſth 1244. impoſuit, *quod in Expeditionem, in quam perſonaliter ibimus, debent nobiſcum mittere decem milites decenter armatos.* Kapr. Hiſt. Dipl. Part. I. pag. 484.

Ita denique Bela IV. dum Hoſpites de Zolon 1254. Privilegiis ornat, inter hoc illud etiam refert: *ut quandocunque Exercitum habuerimus generalem ſub noſtro Vexillo tantummodo militare teneantur cum Comite de Zolon, in noſtro ordine deſcendentes.* Katona Hiſt. Regum Tom. VI. pag. 213.

Denique aliis etiam *Privilegiatis communitatibus* certa præſtandorum militum obligatio imponi conſueverat. Ita Andreas II. in Privilegio Sa-

xonibus

Digitized by Google

xonibus Tranſylvanis 1224. conceſſo, eam ipſis obligationem impoſuit, ut *milites* 500. *inter Regnum, & Regni expeditionem deputentur, extra vero Regnum* 100. *ſi Rex in perſóna propria iverit: ſi vero Jobagionem miſerit* (id eſt, ſi aliquem Baronem Exercitui præfecerit) *ſive in adjutorium amici ſui, ſive in propriis negotiis* 50. *tantum milites mittere teneantur.* Toppelt orig. Tran. pag. 16.

Ita etiam Stephanus V. in Privilegio Saxonum Scepuſienſium 1271 elargito eos ita adſtrinxit: *cum Nos in Regno noſtro, vel extra Regnum noſtrum exercituare - - - coegerit, temporis neceſſitas, ut parati cum viris* 50. *armatis venire teneantur, ſub vexillo Regis viriliter pugnaturi.* Wagn. Anal. Scep. Part. I. pag. 189.

In ipſis *Nobilitationis Literis* Reges I. Periodi ſequentibus expreſſionibus utuntur. Bela IV. 1265. aliquos e Villa Padány ea cum clauſula nobilitat: ut *quandocunque nos habere Exercitum continget - - iidem inter Regni noſtri Nobiles computentur, & Nobiſcum, & non cum alio exercituare teneantur.* E Collect. Heveneſſ. Ladislaus etiam IV. jam penultimus I. Periodi Rex in Literis, quibus filios Ilmeren 1283. nobilitat, ſequenti utitur expreſſione, *ut de cætero iidem - - illa gauderent libertate, qua cæteri Regni ſui Nobiles gauderent ſub vexillo ſuo regio militantes.* Wagn. Dipl. Sáros. pag. 292.

Omnes

Omnes hæ Literæ nullam formalis *Banderii*, id eſt eductæ ſub proprio *Privati* alicujus *vexillo*, & *imperio* Phalangis idæam indicant. Imo cum e provocato 1254. Zolienſium Privilegio appareat, quod miles Civitatis hujus *cum Comite de Zolon* id eſt, ſub hujus *immediato*; Regis autem tantum *mediato* vexillo militare debuerit, tuto conjicere licet, quod adſcriptus etiam reliquis ſeu *Villis* ſeu Communitatibus, ſeu etiam *Privatis*, miles vexillum reſpectivi Comitis ſequi debuerit.

Quid? quod copioſiſſimæ ſeu fundationis, ſeu dotationis eccleſiaſticorum Beneficiorum Literæ, de prima Periodo jam prolatæ ſint, & tamen nulla in iis adducendi, ad caſtra regia Banderii obligatio impoſita fuiſſe legatur. Jam quidem S. Stephanus 1015. Monaſterium ad radices montis ferrei, id eſt Abbatiam Péch-Varadienſem, aliqua *domeſticæ militiæ* ſpecie donauit, neque tamen hanc ad caſtra regia, ubi opus fuerit, adducendi obligationem Monaſterio impoſuit, ſed illam unice pro ſecuritate Monaſterii, & comitiva Abbatis deſtinavit. Dicit enim S. Rex: *Dotavimus - - Liberis - - 200. militibus, quos ſub talem redegimus militiam, ut ſi forte in Regione ſuboriatur ſeditio, ad Monaſterii armata manu concurrant cuſtodiam, & Abbati regalem viſitanti præſentiam 12. Equites ſervitium ſtudeant exhibere.* Kat. Hiſt. Reg. Tom. I. pag. 195.

Sane ego nullum adhuc I. Periodi Inſtrumentum deprehendi, in quo vel nomen *Banderii* occurre-

curreret, præter Privilegium Draganichenſe de 1260. a Kerch. Hiſt. Eccle. Zagr. pag. 329. exhibitum, quod ſequentem clauſulam habet: *Banderium noſtrum regium, in Gyro fidelium noſtrorum aulicorum trepide tenentium, ad honorem, & perpetuum incrementum noſtrum regium, & totius Regni noſtri feliciter reſervantes.* Verum Inſtrumentum hoc mihi multis aliis etiam nominibus, quæ hic recenſere non intereſt, ſuſpectum ſemper fuit.

Itaque donec certiores Litteræ proferantur, ego non tantum Inſtitutum, ſed Nomen ipſum *Banderii* prima Periodo ignotum fuiſſe & Nobiles, ſub Regis; reliquam totam militiam ſub reſpectivorum Comitum *vexillo*, & *immediato imperio* militaſſe ſuſtinebo.

Cum ipſum *Banderii* vocabulum italicæ ſit originis, non improbabile videtur, quod Inſtitutum hoc Carolus I. Hungariæ invexerit, motivumque illud amplectendi, dederit innatus Genti huic ſtimulus honoris nimirum, licet nulla id lege ſancitum fuerit, ſolebant tamen Prælati & Optimates jam in prima Periodo, cum copioſa propriorum militum comitiva ad caſtra regia comparere. Verum ipſi quidem, *Regis* ut jam diximus vexillum ſequi, adductum autem ſecum militem reſpectivorum Comitatuum *Comitis* vexillo, & imperio ſubmittere debuerunt. Poſtquam ſeu Carolus, ſeu Ludovicus I. (uni enim horum origo Inſtituti hujus indubie debetur) edixit, ut qui copioſiorem

mili-

militem ſecum adduxerit, hunc ſub propriis ſignis, & imperio retinere poſſit, videtur tanta inter Optimates æmulatio exarſiſſe, ut ſingulus vexillum ſuum, jam tum *Banderium* nuncupatum, quo numeroſius efficere ſtuduerit. Et ideo principio, nulla Lege coactiva, nullo *Regeſto* opus fuit, quo Prælati, & Barones ad ſtatuenda admenſa viribus ſuis Banderia compellantur, imo probabile videtur, quod complures, honorem numeroſi, & ſplendidi Banderii cum detrimento domus ſuæ aucupati ſint. Aemulatio hæc ſucceſſive eo proceſſit, ut inducto eadem occaſione *portali* milite, potentiores, ex quorum Bonis copioſior ejusmodi miles obvenerat, hunc vexillo ſeu Banderio Comitatus ſubmittere recuſarint, ſed hanc etiam militiam, ſub ſignis & imperio proprio retinere adlaboraverint, prouti id ex Wladis. Decr. IV. Art. XXI. §. 1. elicere licet.

Verum ſub *Maria*, & primis *Sigismundi* annis videtur ardor ille jam refrixiſſe, & quia ſervitium hoc hactenus *voluntarium* tantum fuit, videntur complures Optimates Banderia, aut non eo, quo antea ſolebant, numero, aut ſimpliciter non adduxiſſe. Et hoc fuerit, quod Sigismundum permovit, ut has de regulatione Banderiorum Propoſitiones faciat, nimirum, ut defixo ſinguli Banderii numero, ſervitium hoc Lege Publica in obligationem vertatur, eadem vero occaſione reliquarum etiam duarum Inſurrectionis ſpeciérum *Perſonalis* nempe & *Portalis* regulatio perficiatur.

(*c*)

Digitized by Google

(*c*) Si Ingreſſus hic, & Art. VII. præſentis Inſtrumenti cum ingreſſu Decreti V. & ejus Articulo I. conbinetur, apparet, quod hic illis materiam præbuerit, præterquam enim, quod in ingreſſu Decreti V. & Articulo I. res fuſius deducatur, in ſubſtantia partim ingreſſus hujus, partim Art. VII. tenor ibidem repetitur.

(*d*) Hoc loco præſtabilit Rex principium illud, quod Regnicolæ non tantum ad Hungariæ, ſed ad adnexorum etiam Regnorum Limites tuendos obligentur, ſubſequo tamen ſtatim, uti & XXIII. Art. id ipſum deliberationi ſtatuum ſubſternit.

Art. I. „Videtur itaque regiæ Majeſtati, quod „ DD. Prælati & Barones in unum locum, & ad cer„ tum terminum facerent generalem convocationem, „ & aliquos de quolibet Comitatu Regni totius advo„ carent, cum quibus habito tractatu declarent, per „ expreſſum de locis, & terminis per totum circuitum „ Regni, usque quem ſcilicet locum & Terminum, ac „ quamdiu pro Regni defenſione contra inimicos con„ vocatus Regnicolarum generalis Exercitus deberet, „ ſicut tenetur, ingruente neceſſitate proficiſci, atque „ ſtare. (*a*)

(*a*) Nota eſt fundamentalis illa Lex Andreæ II. quod Nobiles inſurgentes, ultra Limites Regni proficiſci non teneantur. Cum illa non definiat, an id de *Hungariæ* tantum, vel etiam *adnexorum Regnorum* Limitibus intelligendum ſit? volebat Sigismundus, ut convocanda hunc in finem Diæta, Limites, quousque Inſurrectionalis militia procedere debeat? ſpecifice definiantur. Et cum id etiam nulla Lege determinatum fuerit: quamdiu Inſurgentes in caſtris permanere debeant, cupiebat, id quoque ibidem determinari. Primam quæſtionem noluerunt Status ingredi in ſubſecutis 1435. Comitiis,

nis, cum nullus hac de re Articulus in Decreto hoc conditus ſit.

Secundum etiam in genere tantum illis Articuli VII. ejusdem Diætæ 1435. §. I. verbis definiverunt: *quicunque - - - ante debitam, & finalem expeditionem belli - - noſtra, vel capitaneorum ipſius Exercitus absque licentia de eodem Exercitu temerarie receſſerint, tales expediti minime reputentur.*

Quæſtio tamen hæc poſtea in Comitiis Szegedienſibus 1459. in Veſt. Comit. pag. 335. prolatis Articulo X. & XI. ad morem omnium etiam aliarum, quæ *Feudali* militia utebantur Gentium deciſa, & terminus exercituationis, ad tres Menſes reſtrictus fuit.

Art. II. „Item quia præcedentia geſta generalis „Exercitus communitatis regnicolarum manifeſtam præ„buerint experientiam *generalis utilitatis* (*a*) qualis „profectus provenerit, ex generali Exercitu regnicola„rum circa defenſionem, & conſervationem Regni, „cum alii ex iisdem plurimi aut paupertate, aut ſe„nio, aut alia impotentia conſtricti potius baculis, „quam armis fulciti, verius mendicitati, quam militiæ „vacaverunt. (*b*)

„Diſponendum ergo eſſet, & providendum, quod „hi, qui irent pro defenſione Regni, non eſſent iner„mes, ſed ſaltem haberent *arcus*, & alia arma, qui„bus pro defenſione Regni ad offenſam hoſtium ſe ex„ponere poſſint.

(*a*) Vocula: *generalis* errore ſcribentis repeti videtur, ſic enim turbat ſenſum; ſi autem ſemel exmittatur, completa eſt oratio.

Digitized by Google

(*h*) Videmus jam ſub Sigismundo pauperiores Nobiles ad Exercitum inermes veniſſe, ſub Ludovico II. etiam melius habentes Rhedis comparuiſſe videbimus.

Cæterum in Decreto 1435. ad hunc quoque propoſitionum Paragraphum reflexum fuit, Articulo III. ubi ſtatuitur, ut Nobiles impoſſeſſionati *pro ſua facultate condecenter armati, & diſpoſiti, exercitualiter proficiſci teneantur.*

Art. III. „ Videtur utilius, quod de quolibet Co-
„ mitatu mitterentur numero pharetrarii equeſtres, ſe-
„ cundum facultatem cujuslibet Comitatus, & ab hu-
„ jusmodi pharetrariorum aſſignatione, nullus Nobilium
„ ſe excuſare, & abſtrahere poſſet, ſed quilibet Nobi-
„ lis in illo Comitatu, in quo poſſeſſionem habet, te-
„ neatur communiter cum communitate tale onus por-
„ tare, ita videlicet, quod videtur Majeſtati Regiæ,
„ ut in relevationem oneris pauperum, ſenum, or-
„ phanorum, & viduarum, Nobilium ac poſſeſſionato-
„ rum cujuslibet Comitatus ipſius Regni, ut de quoli-
„ bet Comitatu certi numeri equesſtres pharetrarii be-
„ ne valentes pro hujusmodi defenſione confiniorum
„ darentur, & mitti deberent pro temporis neceſſita-
„ te, ſic & ut pauperes Nobiles, Orphani, & Viduæ
„ non aggravarentur, ut per ſingula capita ſecundum
„ Regni conſuetudinem proficiſcerentur, ſed ut compu-
„ tarentur tanti ſecundum eorum facultatem, quanti ex
„ eis communi expenſarum contributione unum homi-
„ nem pharetrarium equeſtrem mittere poſſent.

Hic jam regulationem ipſius *perſonalis* Inſurrectionis Sigismundus ita proponit, ut pro ſingulo Comitatu definiatur, certus equitum pharetrariorum numerus, & ad horum conductionem, &

inter-

Digitized by Google

intertentionem ſingulus Nobilis a proportione facultatum ſuarum quottam ſuam conferat. Ita futurum, ut *Pauperes*, *Orphani*, *Viduæ*, & *Senes*, ſubleventur, & Exercitus regius validos, & bene armatos milites accipiat. Verum non debuerint accedere Status ad hoc punctum propoſitionum, cum in Decreto 1435. vetus viritim inſurgendi uſus, Articulo I. diſerte confirmetur, per clauſulam illam: *ſub Banderio regali cum Baronibus, Proceribus, & Nobilibus - - per modum generalis expeditionis exercitualis viribus conjunctis, & adunitis ſuccurrere debebunt.* Ut tamen Status huic etiam propoſitionum puncto, aliqua adminus in parte deferant, Articulo III. toties provocati Decreti, *Senes*, *Viduas*, *Orphanos*, alioſque ejusmodi impotentes ab obligatione inſurgendi perſonaliter abſolverunt.

Cæterum propoſitam hic a Sigiſmundo normam ſub Ludovico II. magnitudo periculi ultro expreſſit, dicitur enim in decreti de 1522. Art. XVII. *quod univerſi Prælati, & alii Viri Eccleſiaſtici, Sæculares & Religioſi, pariter Baronesque & Nobiles, cæterique poſſeſſionati homines non obſtante libertatis eorum prærogativa directam medietatem ſeu æqualem mediam partem univerſorum proventuum ſuorum - - - ad ipſam expeditionem prænotatam pro hac una vice contribuant.* Articulo vero XXIII. *Quapropter nemo Dominorum, nemo Nobilium, nemo poſſeſſionatorum hominum - - - in hac futura expeditio-*

ne perſonaliter, vel aliter exercituare prima fronte tenebuntur, ſed Gentes de communi & publico ærario . . conduci debebunt Veſt. Comitior. pag. 524. & 530. Quod ſub *Ludovico II* ſerotine & absque omni fructu conſtituebatur, ſi jam ſub *Sigismundo*, uti ille proponebat, decretum fuiſſet, prævertiſſet fortaſſe fatales illas circumſtantias, in quibus provocatæ Ludoviceæ Leges perferebantur.

Art. IV. „De Nobilibus autem Jobagyones ha-„bentibus fieret in quolibet Comitatu per Nobilium „communitatem certa limitatio, ſecundum limitatio-„nem facultatum, quanti homines mitti deberent, ab „eisdem, & ſic hominibus, quos tam pauperes No-„biles, quam etiam Nobiles poſſeſſiones habentes da-„re debent, ſimul computatis videretur, quanti ho-„mines de quolibet Comitatu ad hujusmodi Exercitum „mitti poſſint.

Hic Sigismundus proponit Regulationem *Portalis* Inſurrectionis.

Quod in prima Regum periodo præter perſonalem Inſurrectionem aliqui a *facultatibus* etiam ſuis milites ſtatui debuerint, conſtat. Jam ſub Colomano *a proportione pecuniariorum proventuum*, hæc obligatio Libr. I. Cap. 40. imponebatur, dicitur enim illic. *Comites ſi proprios in villis ſuis liberos habuerint, de quibus equos accipere, & 100. penſas poſſint colligere, loricatum unum, Regi de ſumptu illo procurent ſi vero 40. penſas, militem absque lorica educant. At ſi minus, ſuis hoc propriis vſibus reſervent.* Verum onus hoc *Optimatibus* tantum impoſitum fuiſ-

ſe

ſe videtur; hi enim ſoli ævo illo villas ejusmodi poſſidebant, & cum nullum amplius Inſtituti hujus veſtigium poſtea exſtet; illud non multo poſt exoluiſſe videtur. Bela IV. dum libertates Nobilium Scepuſienſium 1243. confirmat, hanc iis conditionem adſcribit: *Item in expeditione per Nos facta, ſub noſtro vexillo quatuor, qui habent terram octo aratrorum ſufficientem, unum mittere debeant, decenter armatum.* Wagn. Anal. Scep. Parte I. Pag. 132. Ita a 32. jugeribus unus miles obveniret. E converſo Kollar. in Amœnitatibus Jur. Publ. Hung. Tom. 2. pag. 86. profert §phum litterarum Belæ IV. de 1258. qui hanc clauſulam habet: *ita tamen, quod ſicut Populi de Thurocz, ſic & ipſi* (nimirum Paulus Filius Banana, quibus, ad jam præhabitam terram, adhuc unius aratri confert) *de ſingulis ſex manſionibus unum armatum ad ſuum Exercitum regium mittere tenerentur.* Atque ita apparet, quod in 1ma Periodo tantum ſervientes regii viritim, reliquæ Populi claſſes, quæ terras ſub conditionaria aliqua ſervitute poſſidebant, jam a jugerum, jam a ſeſſionum numero, prouti nempe id in eorum Privilegiis definitum fuit, militare debuerint.

Quod in hac Periodo a *numero Portarum* milites præſtiti fuerint, id quidem e nullo hactenus prolato Inſtrumento elici poteſt; quare mihi probabile admodum videtur, quod ſicut *Banderia*, ita etiam *portalis Miles* ſuam II. Epochæ, & quidem *Carolo*, aut Ludovico I. originem debeant.

Digitized by Google

Si divinare licet, puto ego, quod hoc quoque mutua potentiorum æmulatio ſuapte produxerit. Nimirum fuerint ex his aliqui, qui nullum, militiæ tantum officio adſtrictum, Populum poſſederunt. Cum hac de cauſa *Banderium* formare non potuerint, armaverint illi aliquam e *Colonis* ſuis manum, & cum hac ad exercitum comparuerint. Unius Exemplum traxerit alios, & ſic res hæc ſub duobus illis, animos Hungarorum quo vellent, flectere gnaris Regibus, in conſuetudinem abiverit. Sub *Maria*, & *Sigismundo* defervuerit, jam ſicut quoad *Banderia*, ita etiam quoad *portalem militem*, Zelus, & ideo propoſuerit Sigismundus, ut inſtitutum hoc lege publica firmetur. Nam quod antea *voluntarium* tantum fuerit, vel exinde apparet, quod Rex Articulo hoc nullum portarum numerum definiat, ſed hunc determinationi Statuum ex integro ſubmittat. Ubi tamen, ſi præcedens uſus certum portarum numerum jam ſtabiliviſſet, ad hunc indubie provocaturus erat.

Et huic propoſitionum puncto, Status in Decreto 1435. reipſa detulerunt, & determinarunt Art. II. ut tempore generalis expeditionis a ſingulis 33. Seſſionibus unus eques pharetrarius, arcu, *pharetra*, *gladio*, & *bicello*, (*) (forte quod

(*) Vox iſta explicatur in Gloſſario du Cangii ſequentibus; Sambucus *haſtulam amentatam*, Bonfinius *pugionem* explicat. Thuroczius Cap. XCVI. *in ipſum irruit, & cum bicello inter collum & ſcapulam fortiter feriendo transfixit.* In Corpore Juris Hung. ad h. l. non apte nota-

quod vernacula Lingua *Bozogány* vocatur) munitus, ſtatui debeat. Ita hac primum Lege, *portalis miles* in obligationem tranſivit, tum primum *Connumeratio*, & *Regeſtum* Colonorum, quod ejusdem Decreti Art. VI. conficiendum præcipitur, & quod a *Regeſto Banderiali* diſtinctum fuit, originem accepit.

An Legislatio temporis illius, determinationem hanc pro *temporanea* tantum, vel vero pro *ſtabili* norma haberi voluerit? non conſtat. Quod ſæpius ad eam provocatum, ſæpe etiam ab illa receſſum fuerit, conſtat. Jam poſt 19. Annos, ſub *Ladislao Poſthumo* Decreto II. Art. IV. quatuor equites, & duo pedites a 100. portis ordinabantur, ſed una interponebatur ſtatim cautela Art. XIV. ne unquam amplius inconſueta talis exercituatio imponatur; poſt quinque Annos ſub Mathia in Comitiis Szegedienſibus 1459. Art. I. & V. a 20. Jobagyionibus unus eques armiger, *gladio*, *clypeo*, *pharetra*, *arcu*, & *lancea*, munitus decernebatur. Veſt. Comitior. pag. 336. quod quidem *Ladislaiano* ferme ſuppar, *Sigismundæo* longe gravius onus fuit. Verum ſub eodem hoc Rege poſt 22. annos, nempe 1471. Art. III. Sigismundæa norma denuo reſtabiliebatur. Hoc tamen non obſtante ſub *Wladislao* 1492. Art. XX. iterum

notatur; *Fors ſcribi deberet bacillos, ſeu ſagittas.* Fors intelligendum eſt, quod vulgo dicitur Tsákány, nam pugione tantum transfigi, cambuca, ſive Bozogány tantum feriri, Tsákány autem & ad feriendum, & ad transfigendum, & quidem feriendo transfigendum aptum eſt.

Digitized by Google

rum a 20. Seſſionibus Jobagyionalibus unus eques, *lancea*, *clypeo*, & ſi fieri poterit, *lorica*, munitus; Anno e converſo 1498. Art. XVI. a 36. Seſſionibus unus eques, *clypeum*, *lanceam*, *loricam*, & *caſſidem* habens imperabatur; quorum prius, *Sigismundæo* gravius, poſterius vero tantisper levius fuit: attentione dignum eſt, quod cum in *Sigismundæa*, & *Mathiæ* norma, *gladii* præſcribantur, in *Wladislaiana* hi utrobique exmiſſi ſint. Interea ſub hoc etiam Rege 1500. Art. XXII. *Sigismundæa* norma iterum revocabatur.

Sub *Ludovico* demum II. ingruente jam fatali Regni Epocha 1518. in Conventu Tolnenſi Art. I. iterum a 20. Colonis unus eques adminus *lanceam*, & *clypeum* habens; Anno vero 1523. a ſingulis 10. Jobagyionibus unus eques, *haſtam* cum *clypeo*, & *arcum* manualem cum *pharetra* habens decernebatur. Denique 1526. Art. X. diſponebatur, ut univerſi ruſtici *viritim* armentur. Eo nimirum neceſſitatis Regnum adduxerat, vigens inde a 35 annis ſub duobus poſtremis Regibus Statuum *diſſenſio*, ut integris adhuc Regni limitibus ſupremæ vires intendi debuerint, & tamen ne hæ quidem illud ab exitio potuerint præſervare.

Art. V. „Et quod omnes tales ad Exercitum ire „ debentes, proficiſcerentur ſub conductu proprii Co- „ mitis Provincialis, ſicut fuit antiquitus conſvetum, „ prout etiam ſuper hoc capi poteſt exemplum, & in- „ formatio de geſtis ſpecialiter Regis Salamonis, Gei- „ zæ Ducis, & de Comite Wydwarienſi, etiam Comi- „ tis Sopronienſis, qui in Expeditionibus eorundem Re-

„ gis,

„ gis, & Ducis contra Runos, & Biſſenos, circa Nan-
„ doralbam cum Vaczienſe, & Sopronienſe militarunt.

Cum hic Sigismundus primo ſtatuendum proponat, ut *portalis miles*, ſub ductu *Provincialis*, id eſt Supremi *Comitis* militare debeat, apparet, quod antea ſub proprio Domino terreſtri militare debuerit. Confirmatur per hoc deprompta paulo antea, de origine *portalis militis* conjectura, nimirum quod honor educendæ propriæ phalangis, fuerit illicium, ad portalem militem principio ſponte præſtandum.

Cæterum huic etiam Propoſitionum Puncto, Status Art. III. ejusdem Decreti cum certis modificationibus detulerunt, per verba: *Alii autem cum Comite eorum Parochiali - - - ſimiliter pro ſua facultate condecenter armati exercitualiter proficiſci teneantur.* Verum in hoc quoque inſtituto poſtea frequenter variatum eſt. In Decreto Szegedienſi 1459. Art. I. *Mathiæ I.* datur facultas *portalem militem* ſub tali, quod ipſi collibuerit, Banderio collocandi Veſt. Comitior. pag. 336.

Sub Wladislao, licet bis decretus fuerit, *portalis miles*, cujus tamen Imperio parere debeat, nil definitur. Videtur Status, ſub Rege hoc, ſollicitudo illa totos occupaſſe, ut coloni, quibus obligatio *exercitualis pecuniæ* præſtandæ incumbebat, rite connumerentur.

Sub Ludovico II. quod 1523. Status ipſi petierint, ut Rex Gentibus Comitatuum, peritos Capitaneos præficiat, infra videbimus.

Ut

Ut Status ad portalem militem Parochialis Comitis ductui ſubjiciendum perſuadeat Sigismundus; adfert exemplum ex Hiſtoria Regis *Salamonis.* Aptius adhuc provocare poterat, ad inſtitutum totius primæ Periodi; nam quod in hac ſingulus Comes, & *Caſtrenſes*, & quasvis alias Comitatus ſui *Gentes* (præter *Nobiles*, qui vexillum Regis ſequebantur) duxerit, omnes Hiſtoriæ, omnia Diplomata teſtantur.

Cæterum totus hic locus, ubi exemplum Salamonis provocat, foede corruptus eſt, & ita legendus videtur? *prouti ſuper hoc capi poterit informatio, de geſtis ſpecialiter Regis Salamonis, Geizæ Ducis, & de Comite Vid Bachienſi, & Jan Comite Sopronienſi, qui in expeditionibus eorundem Regis, & Ducis contra Græcos, & Biſſenos, circa Nandoralbam cum Bachienſi, & Sopronienſi militarunt.* Hic enim Sigismundus manifeſte reſpicit Thuroczii Part. II. Caput 50. ubi pugnam hanc enarrat, eidemque *Vid* Bachienſem, & *Jan* Sopronienſem Comitem interfuiſſe prodit, ac poſterioris, cum agminibus Sopronienſibus fortitudinem dilaudat.

Art. VI. „Item videretur etiam diſponendum, ſub „ gravibus poenis, quod exercituantes, ſive ſint Regis, ſive Reginæ, ſive Prælatorum, vel Baronum, „ aut generalis Exercitus Regni, dum, & quandocunque ad Exercitum ſe profecturos levabunt, neminem „ in ſuo tranſitu vel reditu deberent damnificare, quia „ ſæpe Regnum ab hujusmodi Exercituantibus plus offenditur, & damnificatur, quam ab Inimicis.

Huic

Huic quoque Propoſitionum puncto ſtatus detulerunt, condito in toties memorato Decreto Art. VIII. quo damna per Inſurgentes inferri prohibentur, & ut id tanto magis impediatur, ſtatuitur, ut ante adventum militiæ ſingulus Comitatus pro ſingulo expeditionis caſu æquanimem neceſſarii commeatus limitationem defigat. An generalis hæc prohibitio effectum produxerit, non conſtat, ſub ſucceſſoribus certe *Sigismundi*, *Mathia I.*, *Wladislao*, *& Ludovico II.* exceſſus iſti ita invaluerunt, ut licet in ſingulis ferme Comitiis vetiti; licet modus damna ejusmodi vindicandi inſpecifico elaboratus fuerit, ſemper tamen recruduerint, ita, ut id, quod hic Sigismundus innuit; reipſa evenerit, nimirum *quod Regnum ab hujusmodi Exercituantibus plus offendatur, & damnificetur, quam ab Inimicis.* Sub Math. I. ſtipendiatus, quem ille copioſum alebat, miles, exceſſus hos potiſſimum exercebat.

Art. VII. „Item quod Regia Majeſtas *non nunciat eis talismodi diſpoſitionem faciendam ex eo,* „ quod aliquam novam diſpoſitionem in eorum medium introduceret, vel ipſos aggravaret, ſed ideo, „ quia ut apparet, Suæ Majeſtati ex tali diſpoſitione „ multo major utilitas, & profectus Regno Hungariæ „ provenient, & quamvis iſto modo numerus exercituantium eſſet minor, quam ſi tota communitas per „ ſingula capita inſurgerent, tamen multo plures utilitates inde Regno poſſent provenire, & talismodi „ Exercituatio non propter quascunque leves cauſas inſurgere debeat, ſed ſolummodo tunc, cum tam magna potentia Inimicorum Regnum Hungariæ vellet

„ inva-

„ invadere, aut ei inſultare, cui Dominus Rex cum ſuo „ Exercitu proprio nequaquam reſiſtere valeret.

Hoc X. XVII. & XVIII. Articulo jam ſtylus ipſe præſcribitur, qualiter dimittendarum ad Comitatus litterarum, quibus propoſitiones hæ iisdem communicari debebant; nimirum quod Sigismundus per has propoſitiones non cupiat Juribus Regnicolarum derogare, ſed tantum majorem ſecuritatem Regno procurare velit. Vel e perturbato hoc materiarum ordine ſatis apparet, quod puncta hæc prouti in conſilio Regis ſparſim propoſita, & concluſa fuerunt, ita eadem ſerie in ſcriptum, ſeu in Prothocollum redacta fuerint.

Art. VIII. „ Item quia communitas Regni Hungariæ ſolet allegare, quod dum in generali Exercitu „ contra Inimicorum inſultus inſurrexerit, non vult amplius citra metas, ſeu confinia Regni ſtare, quam „ per 15. dies, ideo videretur Majeſtati Regiæ, ut ſi „ modo præmiſſo per ipſam communitatem Nobilium, „ & poſſeſſionatorum hominum dicti equeſtres ex eorum medio pro Exercitu generali deputatos contra „ quod tunc eſſet diſponendum, quod hujusmodi equeſtres in metis illis, quæ juxta præattacta ſcripta per „ communitatem Nobilium declarabuntur, ſeu limitabuntur, non tantummodo per dies 15. contra Inimicorum inſultus ſtare deberent, ſed tamdiu, quousque Domino Regi, ſi vel ipſe in tali Exercitu præſens foret, vel Capitaneis, & Ductoribus Exercituum, „ ſua Majeſtate abſente congruum & neceſſarium fore „ videretur, deberent permanere.

Perturbatus Articuli hujus ſenſus in id demum recidere videtur: ut ſi regnicolæ ad ſtipendiariam militiam, in vicem *Perſonalis Inſurrectionis*

Digitized by Google

nis acceſſerint, militia hæc non tantum per 15. dies, uti Inſurgentes prætendere ſolebant, ſed ad arbitrium Regis, aut illius, qui hujus loco Exercitum duxerit, in Caſtris permanere obligetur.

Cæterum non puto ego id ad litteram ſummendum eſſe, quod Inſurgentes non niſi 15. diebus Caſtra tenuerint, ſecus enim nulla unquam Inſurrectio aliquem effectum produxiſſet. Verum videtur hic illud innui, quod in Mathiæ I. Decreto Peſthienſi de 1458. Articulo IV. in Veſt. Comitior. pag. 301. uberius explicatur, nimirum, quod ſi intra quindenam a die, quo Exercitus congregatus fuit, nullus de imminente hoſte nuncius ſupervenit, potuerint Inſurgentes ad propria remeare. Quanquam & hoc periculoſum pro ſalute Regni ut jam ibidem adnotavimus, fuerit inſtitutum.

Cum Status ad propoſitam per Sigismundum Inſurrectionis perſonalis redemptionem, non acceſſerint, de hoc etiam propoſitionum puncto, nulla in quæſtionato Decreto mentio comperitur.

Art. IX. „Et videretur Majeſtati Regiæ, quod " præmiſſa ſic, ut ſcripta ſunt, diſponantur, in alle„viationem oneris pauperum Nobilium, qui ſunt im„potentes ad exercituandum, teneantur ſecundum an„tiquam conſvetudinem Regni, ſic & taliter equis, „& armis decentibus apti, & fulciti in Exercitum ac„cedere, aut ſuos mittere, ut non ſint ſic iner„mes, ſicut præteritis temporibus fuerunt, quia tali„ter nihil boni eveniret, ex talium exercituatione, ſic„ut & alias de hoc ſufficienter fuit expertum.

Hic

Digitized by Google

Hic inutiliter repetitur illud, quod jam Art. II. dictum, & ideo hoc quoque propoſitionum punctum, per provocatum, in nota ad eundem Articulum, reſolutum fuit. Plures inutiles ejusmodi repetitiones etiam infra videbimus. Forte in dimiſſa ad Comitatus littera, eædem evitatæ fuerunt.

Art. X. „Ut autem ad diſponenda præmiſſa *con-*
„ *ſenſu Nobilium & poſſeſſionatorum hominum cujusli-*
„ *bet Comitatus accedente*, facilior & habilior modus
„ habeatur, videtur, quod etiam præattacta ad quemli-
„ bet Comitatum ſint pro informatione in eodem exi-
„ ſtentium inſinuanda, ut in quolibet Comitatu con-
„ gregentur in unum propter habendam notitiam eis
„ intimatorum, & propter deliberare, ſi quid melius diſ-
„ ponendum eis videbitur, in præmiſſis, ut cum ſic
„ deliberata eorum intentione aliquos ex iis inſtructos
„ poſſint *ad Congregationem Prælatorum & Baronum*
„ deſtinare.

„Et cum præmiſſa omnia ad notitiam communi-
„ tatis cujuslibet Comitatus deduci poſſint, *vult* &
„ *mandat* ſua Majeſtas Regia per V. Cancellarium ma-
„ joris Sigilli ſui regii ad quemlibet Comitatum co-
„ piam hujus *Regeſti* de verbo ad verbum ſcriptam
„ pro informatione communitatis cujuslibet Comitatus
„ ſimul cum litera ejusdem Majeſtatis tenorem lite-
„ ræ ſuæ hac illac deſtinari continentem, pro majori
„ certitudine voluntatem dictæ Majeſtatis.

Hic quoque ſtylus pro dimittendis ad Comitatus litteris præſcribitur. Si Compilator ordinate cogitaſſet, præpoſuiſſet utique II. Art. hujus membrum primo & tunc ſequens ſenſus prodiviſſet; *apponat V. Cancellarius litteram ad omnes Comitatus, penès quam & propoſitiones iſtæ, &*

rege-

Digitized by Google

regeſtum eo fine iis communicetur, ut has ſingulus in ſua Congregatione expendat, & hæ litteræ majori Regis ſigillo obſignentur.

Subnexuiſſet deinde Articulum XVII. XVIII. & XX. & ſic continuaſſet: *Et cum Sua Majeſtas ad Concilium Baſilieenſe diſcedere debeat, cupit, ut usque reditum ſuum ſeu una ſeu alia exercituationis modalitas fixe determinetur, quo illa ſtatim cum reditu ſuo, niſi interea res cum Huſſitis placide componatur, ad recuperandam, quam illi occuparunt, Regni plagam procedere poſſit. Cuperet autem Sua Majeſtas, ut de hoc negotio in Comitatibus plena cum libertate deliberetur, vota per capita colligantur, ſicque demum Ablegati pro perferenda, quæ e pluralitate votorum reſultatura eſt, determinatione ad Diætam eligantur.*

Concluſiſſet denique cum Articulo VII. qui præpoſtere jam præmiſſus eſt, in hunc ferme modum: *Et hæc ſua Majeſtas, non novitatem aliquam inducendi, aut regnicolas novo onere aggravandi animo, ſed unice fine majoris ſecuritatis Regno procurandæ proponenda duxit.* Quod hic ſit genuinus omnium horum ordinate combinatorum Articulorum ſenſus, quisque in rudi ejus ævi ſtylo vel tantisper verſatus facile agnoſcet. Forte editæ ad Comitatus literæ reipſa ordinatius conceptæ, & ipſa propoſitionum puncta meliori ordine digeſta fuerint; puncta certe hæc, prout in Conſilio permixtim tractabantur, ita eadem ſerie

in

Digitized by Google

in præſenti Prothocollo, in ſcriptum redacta fuiſſe, etiam hinc apparet.

Art. XI. Item videretur Regiæ Majeſtati, quod ſi „ aliqui Nobiles a Rege, vel Regina, Prælatis, Baro- „ nibus, Viris Eccleſiaſticis, ſeu aliis quibuscunque „ eſſent ſtipendiati, vel haberent officiolatus, tunc „ horum nullus propter ſervitia Dominorum ſuorum ab „ Exercituatione, quam ratione poſſeſſionum ſuarum „ facere debet, excuſatus, ſeu ſupportatus haberetur, „ ſed pro ſe aut diſponere per communitatem Comi- „ tatus ratione poſſeſſionum ſuarum mittere teneretur, „ qui non ſecum, ſed cum generali Exercitu Regnico- „ larum proficiſceretur, ut ſic quilibet ratione poſſeſ- „ ſionum ſuarum cum communitate onus portaret.

Huic quoque propoſitionum puncto Status detulerunt, condito ad ejus tenorem in memorato Decreto Art. IV. §. 1.

Art. XII. „ Item: videtur etiam diſponendum, „ quantum pro una lancea, pharetra equeſtri per Re- „ gem, Reginam, Prælatos, Barones & alios quos- „ cunque exercituantes, ſtipendiariis ſolvi debeat, non „ tantum ad tres, ſed ad unam integram Exercitua- „ tionem.

„ Quia aliquando breviori tempore, & aliquando „ longiori poterit ipſa Exercituatio expediri, & vide- „ tur, quod limitetur, & taxetur, hujusmodi pecunia „ pro lancea, & pharetris ad unum flor. auri, ad quo- „ rum rationem ſolvatur cum moneta, quam pro eo- „ rum velle ex permiſſione regia, Prælati, & Baro- „ nes Locumtenentes Majeſtatis Regiæ, & Regnicolæ „ cudi facient, quod nec dantes, minus date nec et- „ iam ſtipendiarii recipientes ad plus dandum tenean- „ tur, ſicut etiam fuit factum per quondam Comites „ Piponem, & Deſzpoth.

In

Digitized by Google

In ſuppoſito illo, quod Status ad *ſtipendiatum*; loco *inſurrectionalis* militis, acceſſuri ſint, proponit Sigismundus, ut ſtipendium etiam, quod ſingulo ejusmodi, lancea, & pharetra, armato equiti dependi debeat, determinetur. Cum Status huic de veteri inſtituto commutationi non acceſſerint, nulla utique in provocato Decreto Lex eatenus condi potuit.

Cæterum Comes Pipo, ſeu Philippus de Ozora, Comes Temeſſienſis, natione Florentinus, ad cujus exemplum provocat, eſt ille, cui Sigismundus ſupremum Exercitus Imperium contra Venetos 1412. ſiniſtro eventu contulerat. Per *Deſpotum* vero intelligitur, *Georgius* Raſciæ Deſpota, qui 1422. Caſtrum Nandor Albenſe, ſeu Belgradum pro numeroſis in Hungaria Dinaſtiis, cum Sigismundo permutaverat.

Art. XIII. „Et ut Solutio nec ſolventi, nec recipienti redire poſſet, in damnum, ſed eſſet in pretii moderamine æqualitas utrique Parti, videretur itaque diſponendum, & taxandum, ut venderentur, & emerentur ſales non eo modo, prout nunc fit, ſed eo modo haberent pretium taxatum ad quodlibet ſal, ſicuti fuit tempore quondam Domini Regis Ludovici, ut venderetur, quod ſales ponderarent unum centenarium, & ſtatuerunt pretium floreni auri, ut ſic ſciretur, quanto pretio emeretur centenarius ſalis, & quanti libra una, ut tam lapides, quam etiam minuta ſalium haberent curſum in vendendo, & quod fieret talis limitatio, ut ultra expenſas ſecturæ, & etiam portaturæ ſalium, de Camera ad Cameram, *Proventus regales in ſalibus non diminuerentur.*

„In Polonia autem, & per totam Alemanniam, & „Italiam, ac in toto mundo ſal venditur, ad pon- „dus, & menſuram, ut ſic ubilibet inter emendum & „vendendum ſat bona æqualitas habeatur, propter „quod etiam Regia Majeſtas deſiderat diſponi, pro „communi æquitate, ut in Regno Hungariæ ad pon- „dus, & menſuram ſal, & minuta ſalium vendantur, „*ſi tamen eis videbitur.*

„Item ordinaretur inſuper, quod de ſalibus re- „galibus, qui de Camera ad Cameram portarentur, „& etiam eorum conductoribus nullibi tributum re- „ciperetur, & contrafacientes ſubirent poenam, illa „autem, qua pro defenſione Regni, & confiniorum „ipſius, de proventibus regalibus ſuis ſunt diſponen- „da, interim, & hac vice diſponant, *prout ab ipſa „Majeſtate Regia per priora ſcripta habent in hoc „datam eis facultatem.*

Heterogeneus hic de ſale Articulus ad objectum, ubi unice de regulatione Inſurrectionis agitur, inordinate iterum irrepſit. Et ideo Status nullam ejus in Decreto 1435. quod erga propoſitiones has conditum eſt, rationem habuerunt. (*)

Quod in prima, & ſub initium ſecundæ Periodi ſal, non ad *pondus* ſed ad certam *menſuram*,

(*) Objectum de ſalis pretio heterogeneum quidem cum exercituatione, connexum tamen eſt cum ſtipendiis & victualibus militum. Superius in Regulamento militari de ſalis quoque quæſtu agitur, ſtipendia militibus ſaltem ex parte in ſalibus data fuiſſe videntur. Certe poſteriori ætate id obtinuiſſe videbimus ex ſalariatu, quem ad Annum 1504. producemus, & qui temporibus Mathiæ I. Corvini jam in uſu fuiſſe dicitur. Quo altius autem ad originem Reip. Hung. aſcendimus, eo rarior pecunia, & frequentior pretii in naturalibus perſolutio occurrit.

ram, quæ jam *Zvani*, jam *Tumini* ſcribebatur, venditus fuerit, e pluribus Diplomatibus conſtat; ſicut Sal maritimus hodiedum in Croatia ad certam menſuram *Kuplenik* dictam venditur. Diſcimus ex hoc Articulo quod jam *Ludovicus I.* ejus venditionem ad *Pondus* reduxerit, ſed quod uſus hic denuo interciderit. Et ideo cupiebat *Sigismundus* licet improprio admodum loco, ordinationem illam renovari, ratio, quæ eum ad id permovit, fuit illa, ut hac ratione ærarium etiam e fragmentis ſalium, quæ hic *minuta* appellatur, fructum capere poſſit. Apparet itaque antea ipſos tantum lapides vendi conſueviſſe.

Proponit etiam, ut ultra ſumptus transportus pretium centenarii, ſalis in uno floreno defigatur, & pretium hoc amplius non diminuatur. E quo apparet, quod limitatio pretii ſalis jam tum ad legislationen pertinuerit, diſerte enim ſubjicit: *ſi tamen eis videbitur*, nempe Statibus.

Art. XIV. „ Videtur etiam neceſſario diſponendum, quod omnes exercituantes generaliter, & ſingulariter, debeant, & teneantur conſtitui de ſtatu & loco, in quo mandabitur eos debere, & quod hi, qui in die & loco ſtatutis non conſtituerentur, ſubeant poenam, quam vult Regia Majeſtas contra tales, quia ſicut notum eſt, frequenter hi, qui prius venerant, fatigiis, & tædio afficiantur, & usque dum ultimi adveniunt, in diſſolutionem ſe converterunt.

Detulerunt huic propoſitionum puncto Status per jam provocatum Art. VII. tantum quod ad Exercitum tardius comparentes, non infligendæ

arbitrio Regis poenæ, ſed amiſſioni Bonorum ſuorum ſubjecerint. Ad hanc evitandam, ſolebant Regnicolæ, qui indictam legitime expeditionem rite peregerant, ſuper eo teſtimonium, quod technice *expeditoria* vocabatur a Rege impetrare. Et ideo dicitur hoc Articulo, quod tales, qui pro præfixo, expeditionis termino non comparuerint, pro expeditis non habeantur, *expeditoriarum* ejusmodi exempla jam plura per ſcriptores prolata ſunt.

Art. XV. „Item videtur etiam diſponendum, " quod nullus exercituantium de Exercitu ante debitum „ ipſius tempus, & ſine licentia Capitanei Exercitus „ recedere præſumerent ſub poenis gravibus ſuper hoc „ ſtatutis & ſtatuendis.

Hoc quoque propoſitionum punctum in eundem Art. relatum eſt.

Art. XVI. „Et ut præmiſſa, ſicut ſcripta & enar- „ rata ſuper expeditionibus exercitualibus undecunque „ contra Inimicos Regni Hungariæ inſultantes, futuris „ ſemper temporibus ſucceſſivis pro defenſione Regni „ faciendis, verum tamen, quia inter reſpectum *Guerra-* „ *rum, Turcarum, & Huſſitarum,* diſtincte & ſeparatim „ fieri debent expeditiones exercituales, *ideo hæc, quæ* „ *ſequuntur, Majeſtas Regia duxit præmiſſis addenda.*

Articulus hic aut hiat, aut improbo plane ſtylo conceptus eſt. Si cum ſubſequis combinetur, videtur Compillator id exprimere voluiſſe, *Et hæc ſunt, quæ Majeſtas Regia pro regulanda contra quemcunque hoſtem Inſurrectione ſtatui cupit. Quia tamen Bellum in Huſſitas, & Bellum in Turcam diſtinctam ſubeunt conſiderationem, ſequentia adhuc proponenda duxit.*

Art.

Digitized by Google

Art. XVII. „ Item quia Dominus Rex eſt certifi-
„ catus, quod oratores Huſſitarum modis omnibus in
„ ſacro Baſilienſi Concilio exiſterent, cum pleno man-
„ dato in materia fidei, qui, uti ſpes firma habetur,
„ ſuſcepta a ſacro Concilio plena informatione dimiſ-
„ ſis erroribus ad obediendum Sanctæ Matri Eccleſiæ
„ ſe reducent, & quia etiam ab ipſo ſacro Concilio
„ jam frequenter & litteris & nunciis *monita eſt ipſa*
„ *Majeſtas*, *ut perſonaliter ſe ad ipſum Concilium*
„ *conferat*, tum pro facto fidei, tum etiam reformatio-
„ ne morum, & pace Chriſti fidelium quorumvis, ipſius
„ Majeſtatis attento, quod reditio Bohemorum, Huſſita-
„ rum in facto temporalitatis, ſine ipſius principalita-
„ te debite & faciliter fieri non poſſet, cum & hoc
„ idem ſcriptum eſt a Concilio ejus Majeſtati, attento
„ etiam, quod temporale Dominium Bohemorum con-
„ cernit Suam Majeſtatem. *Decernit itaque Majeſtas*
„ *ſua negotiis* imperialibus in Italia, & ſpecialiter
„ cum Florentinis ad ſtatum votivæ diſpoſitionis dedu-
„ ctis, citius *ut poterit*, *ad ipſum Baſileenſe Concilium*
„ *tranſire*, ubi, ſi ipſi Bohemi Huſſitæ ad obediendum
„ Eccleſiæ & voluntatem (unitatem) fidei reducti ex-
„ ſtiterint, ſicut ſpes bona habetur de eisdem, ex tunc
„ ſine armis Regnum Hungariæ cum terris ab eisdem
„ occupatis plenarie liberabitur, ab Huſſitis, & ipſis
„ reductis poterit concilium, ſub nomine *Paſſagii* a
„ tota Chriſtianitate de magna providentia providere,
„ cum qua Deo auxiliante Majeſtas perſonaliter profi-
„ ciſcendo poterit Regnum Hungariæ cum cæteris ei-
„ dem adnexis a Turcis penitus liberare, & Dominia
„ ſua dilatare, atque ampliare.

„ Si autem Huſſitæ a Concilio reduci non poterint,
„ extunc tota Chriſtianitas, providente ipſo ſacro Con-
„ cilio, levabit manus ſuas in potentatu maximo, con-
„ tra ipſos Huſſitas, quo ſic habito *decrevit Majeſtas*
„ *Regia* ipſa modis omnibus *in Hungariam reverti per-*
„ *ſonaliter*, & *Tyrnaviam*, *Szakolczam*, *ac alias ter-*

 „ *ras*

Digitized by Google

„ *ras*, *& metas Regni Hungariæ ab ipſorum Huſſita-*
„ *rum manibus*, & poteſtate *liberare*.

Improbo perinde ſtylo conceptus hic Articulus id in ſubſtantia ſignificat: *cum Huſſitæ pro complanandis controverſis fidei Articulis oratores, irreſtricto cum mandatariatu, ad Concilium Baſilienſe miſerint, Bohemia vero, in qua ſecta hæc ſedem habet, ad Imperium Suæ Majeſtatis pertineat, ſcriptum eſt Suæ Majeſtati, ut pro exſtirpanda hac hæreſi, ad antelatum Concilium perſonaliter compareat. Si negotium hoc, ut ſpes eſt, per concedendas iisdem a Concilio liberi commeatus, ſeu ſalvi conductus literas poterit complanari, tunc Sua Majeſtas hoc Bello liberata, poterit totius Regni vires contra Turcas convertere. Si autem res cum Huſſitis complanari non poſſit, tunc decrevit Sua Majeſtas, ſtatim cum ſuo e Concilio reditu eos aggredi, & Szakolczam, Tyrnaviam, aliaque per eos occupata Hungariæ loca recuperare.*

Art. XVIII. „Cum autem oportunum ſit, ante
„ reverſionem Suæ Majeſtatis in Hungariam, per Præ-
„ latos, Barones, & Regnicolas ſic diſponere, & pro-
„ videre de Comitatibus, quorum Nobiles, & alii poſ-
„ ſeſſionati homines pro defenſione Regni ex parte
„ Bohemiæ contra Huſſitas ſunt deputati *ſive per ſingu-*
„ *la capita* ſecundum antiquam conſvetudinem Re-
„ gni, veniant, *ſive de quolibet Comitatu pharetrarii*
„ *ſub certo* numero mittantur, ut omnes, & ſinguli
„ *ad reditum ipſius Majeſtati ſuæ* pro recuperatione
„ Civitatum terrarum, metarum Regni ab Huſſitis oc-
„ cupatarum *ſic promtos, & diſpoſitos ſe conſervent*,
„ ut quamprimum moniti fuerint, ſtatim poſſint ad ex-
„ ercituantes ſe movere, & verſus Tyrnaviam profici-

„ ſci,

Digitized by Google

„ ſci, & ipſa Majeſtas in medium promptarum Gentium
„ exercituantium veniendo, *ſtatim valeat agere* pro
„ rehabitione Tyrnaviæ, & aliarum terrarum ſupradi-
„ ctarum.

Hic quoque Articulus interprete indiget, & in ſubſtantia id indicat. *Et in hunc caſum cenſet Sua Majeſtas, pro depellendis Huſſitis, non totius Regni, ſed aliquorum tantum Comitatuum copias adhibendas eſſe. Ut itaque eosdem Huſſitas ſtatim cum Reditu ſuo in Regnum aggredi poſſit, cupit interea definiri, qui in ſpecie Comitatus? ac quæ Gentes ad expeditionem hanc deſtinandæ ſint? ſeu deinde Status ad propoſitum per ſe ſtipendiarium militem accedant, ſeu uſum perſonalis Inſurrectionis porro etiam retinere velint.*

Planum autem, quas copias contra Huſſitas deſtinandas eſſe cenſeat? Sigismundus infra in regeſto Inſurrectionis dabit.

Art. XIX. „ Quæ quidem Gentes, non tantum
„ modo quindecim diebus, prout conſueverunt, ſed
„ usque neceſſe fuerit, debeant in agendis perſevera-
„ re, quia ſi per totum ipſius recuperationis loco-
„ rum præfatorum tempus remanere noluerint, utique
„ & id, quod incoeptum fuit, pro recuperatione hu-
„ jusmodi tranſibit in vanum, nec etiam ipſis aliter fa-
„ cientibus Regia Majeſtas his perſonaliter vellet in-
„ tereſſe, *& qualitercunque hæc diſpoſita fuerint, cer-*
„ *tificetur ſuperinde Majeſtas Sua, priusquam Regnum*
„ *Hungariæ ingredietur*.

Hic repetit, quod jam Art. VIII. propoſuit: nimirum, ut pernicioſa illa conſuetudo abrogetur, quod Inſurgentes ultra 15. dies in caſtris perma-

nere

Digitized by Google

nere non debeant, declaratque ſe ſecus in expeditionem hanc perſonaliter non iturum; adeo illi punctum hoc, & quidem merito, cordi fuit. Status tamen, ne quidem erga repetitam hanc propoſitionem, abuſum hunc in condito ſuperinde Decreto abrogarunt.

Repetit etiam denuo id, ut Status de hoc etiam puncto ante reditum ſuum certi quid concludant.

Art. XX. „ Diſponatur id etiam, quod Ruſtici o-
„ mnium, & ſingularum villarum partium ſuperiorum,
„ de quibus ſaltem Huſſitis ſolvunt, & ipſis obediunt,
„ ut ad faciendos omnes labores, qui in recupera-
„ tione terrarum occupatarum fieri debent, illo tem-
„ pore, quo ſuper hoc eis juſſum fuerit, venire te-
„ neantur, & ſint adſtricti

Perturbatus iterum Articuli hujus ſtylus dubium facit, an reliqui tantum partium vicinarum Ruſtici, vel ipſorum etiam illorum, quæ Huſſitæ occupaverant, locorum coloni, ad peragendos, qui pro promotione, & operatione copiarum neceſſarii ſunt, labores adſtringi debeant? ſi textus ad literam ſummatur, videtur prior ſenſus indicari. Verum id ipſi rei naturæ repugnat, antea enim debuiſſent Huſſitæ e locis his proturbari, quam Ruſtici ejates ad labores adigi potuiſſent. Itaque hic mendum compilatoris in ipſo ſtylo cubare videtur. (*)

Art.

(*) Non dubito, quin ipſi coloni Huſſitis jam ſubjecti intelligantur, prout aperte textus habet. Difficultas obmota

Art. XXI. „Interim autem agant, ut melius po-
„ terint pro bono, & utilitate Regni, in offenſionem
„ Huſſitarum, & recuperationem terrarum ab iisdem
„ alienatarum, & occupatarum. Præfatus autem Do-
„ minus Rex, & Sereniſſima Domina Regina de pro-
„ ventibus ſuis levabunt potentiam ſuam, in reoccupa-
„ tionem præmiſſorum, & etiam Prælatorum potentiam,
„ qui per Prælatos, Barones, & Regnicolas contra Huſ-
„ ſitas deputabuntur, illuc accedere faciet, quam ſci-
„ licet potentiam cum ſua & dictæ D. Reginæ potentia
„ retinebit, & ſtare faciet ibidem pro defenſione Re-
„ gni, & in recuperationem locorum ab Huſſitis oc-
„ cupatorum per totum tempus recuperationis, prout
„ fuerit oportunum.

Commendat hic Statibus Sigismundus, ut interea etiam dum ipſe rediverit, provideant omni meliori modo circa recuperationem occupatorum ab Huſſitis locorum, & declarat, quod illi, quam Status ad expeditionem hanc deſtinabunt, ſeu regiarum copiarum, ſeu Banderiorum, ſeu etiam Gentium Comitatuum parti, Mandatum ſtatim daturus ſit, ut eo proficiſcatur.

Art. XXII. „Et nihilominus iidem Prælati, Ba-
„ rones, & Regnicolæ diſponant, & provideant, qui
„ ex Prælatis, & Baronibus Regni contra Turcas ver-
„ ſus Valachiam, Serviam, & alias partes Danubii,
„ ac verſus Bosniam teneantur pro defenſione Regni
„ agere, & invigilare, Majeſtas autem Regia faciet et-
„ iam ad illas partes totum poſſe ſuum.

Sicut

mota diluitur per poſteriorem uſum, ſiquidem coloni in partibus Turcis dedittitiis etiam medietatem contributionis ſolvere, & plura præſtare debuerint. Hic alioquin habetur, ut *venire teneantur*.

Digitized by Google

Sicut partem tantum copiarum Regni, contra *Huſſitas* deſtinari ſupra propoſuit, ita nunc ſvadet, ut alia pars contra *Turcam*, tertia in *Bosniam* deſtinetur. Ac hic quidem duplicis tantum verſus meridionales partes conſtandi Exercitus meminit; in ipſa tamen diviſione, ſeu Regeſto, quod ſubjicit, Exercitum hunc plane quadrifariam dividendum proponit.

Art. XXIII. „Item videretur Majeſtati Regiæ, „ quod Nobiles poſſeſſionati homines cujuslibet Comi„ tatus congregarentur, ſub certis Gravaminibus, & „ Birſagiis, quemadmodum ſolitum eſt, congregari, „ & quod in unum convenientes pariter condeſcende„ rent, & quilibet eorum absque quolibet timore libe„ re ſecundum ſuum ſenſum opiniorem dicerent ſuam „ ad ſingula, nec quisquam ditior, vel potentior, au„ deret quovis modo inferioribus adhibere, aut minas „ imponere, ut non diceret, quod ſibi appareret, & „ hoc ordine obſervato requirerent, quilibet diſtinctim „ & ſeorſive per capita ſuper ſua opinione, in præmiſ„ ſis & opinionem cujuslibet extenſive præſcriberent, „ hisque ſic peractis tandem a tota communitate No„ bilium divitum, & pauperum, & non tantum a po„ tentioribus, & ditioribus eligerentur, de quolibet Co„ mitatu certi Nobiles, & idonei viri, qui attentiorem „ haberent reſpectum, & diligentiorem conſiderationem „ ad procurandas communitatis utilitates, quod de hu„ jusmodi opinionibus, & totali intentione eorum ple„ ne informatos ad Prælatos & Barones Regni congre„ gatos pro facienda in omnibus concluſione futuris „ ſemper temporibus deſtinarent.

Jam bis nempe Art. I. & X. præmiſſum eſt, ut hæ propoſitiones primum in Comitatibus, deinde in Diæta pertractentur. Hic jam modum proponit,

Digitized by Google

ponit, quomodo illæ, per libera vota, in Comitatibus determinari poſſint.

Art. XXIV. „Videtur etiam, quod non eſſent „ admittendi quilibet Nobiles alterius Comitatus in medium congregatorum alicujus Comitatus, nec daretur „ vox talibus in declaratione facienda, ſed quod quilibet Nobilis in ſuo Comitatu, ubi habet domicilium, deberet dicere, & ſuam proferre opinionem.

Ad votorum libertatem tanto certius procurandam ſuadet, ut Nobiles in illo tantum Comitatu, ubi reſident, ad ſuffragia admittantur. Ex quo apparet, quod jam tunc Nobiles in pluribus Comitatibus poſſeſſionatis, in ſingulo eorum, *Jure Juſſragii* gaviſi fuerint. Sigismundus enim, ut Jus hoc tantum in ſpecifico hoc caſu reſtringatur, cupiviſſe videtur.

Art. XXV. „Item omnia præmiſſa circa defenſionem Regni deſcripta *relinquuntur per Majeſtatem Regiam arbitrio & diſpoſitioni Prælatorum, & Baronum, & communitatum Regni*, ut quidquid pro „ meliori ſtatu Regni diſponendum videbitur, ſtatuant, „ ordinent, & diſponant.

Vel hinc apparet, quod Inſtrumentum hoc nil niſi propoſitiones regias de regulanda Inſurrectione contineat. Determinationem enim earum Rex Statibus ita liberam relinquit, ut ipſe ſuo, quod e conſtitutione Regni eidem competebat, *libero veto* per clauſulam hanc renunciaſſe videatur.

Art. XXVI. „Licet in præcedentibus ſufficienter per Majeſtatem Regiam, ſit tactum quomodo ſua „ Majeſtas vult per Prælatos, Barones, & Regnicolas „ per expreſſum declarare, usque quem locum & ter-

„ minum

Digitized by Google

„ minum communitas Regnicolarum Generalis Exerci-
„ tus ingruente neceſſitate teneantur proficiſci, & et-
„ iam quamdiu ſtare deberet in eodem, verum tamen
„ ſicuti prius ſcriptum eſt, Regna Dalmatiæ, Croatiæ,
„ Ramæ, Serviæ, Bosniæ, Galliciæ, Lodomeriæ, &
„ Bulgariæ dudum, & etiam tempore Sereniſſimi D.
„ Ludovici Regis recolendæ memoriæ ad Coronam,
„ & Regnum Hungariæ pertinuerunt.

„Scit enim bene D. Nicolaus de Gara Palatinus,
„ & quam plures alii, quod Terræ & Provinciæ, ut
„ ſunt, Jalomfeöld, *Hlevna*, (*) Berzezchel & aliæ, quæ
„ nunc occupatæ tenentur per Regem Bosniæ, & Bos-
„ nenſes ipſi prædicto Domino Regi Ludovico tene-
„ bantur, & poſſidebantur, per Banum Regni Croatiæ.

„Scit etiam Idem Palatinus, & quam plures alii,
„ qualiter Caſtra Greben, & alia Caſtra ibi circumquaque
„ exiſtentia, cum ſuis pertinentiis tempore dicti quon-
„ dam D. Regis Ludovici tenta fuerint per Hungaros.

„Item ſciunt, quod Eccleſia Bosnyenſis, cujus
„ Epiſcopus nunc in Diako reſidet, eſt ultra Savum,
„ quo ſimiliter nunc cum ſuis Terris a Bosnyenſibus
„ poſſidetur, & ſciunt multi, quoniam Servia, ſive
„ Raſcia, Bulgaria, ſive Valachia, & ſpecialiter par-
„ tes Syrmienſes tentæ, & conſervatæ fuerint, per Re-
„ gem, & Regni Hungariæ Coronam. His igitur re-
„ ſpectibus Majeſtas Regia per Prælatos & Barones, &
„ Regnicolas Regni pro metis ipſius ſe vult declarare,
„ utrum iidem dicant, & velint eſſe, dicta Regna in-
„ corporata fore Regno Hungariæ, intelliganturque in-
„ cludi, & exiſtere, ſub metis ejusdem, quæ ſi ſub
„ metis Regni Hungariæ intelligunt, & dicunt exſtitiſſe,

„ &

(*) In Appendice ad commentationem de Patria & vita Gabr. Kolinovich Chronico ejusdem Templariorum a me præfixa commemoratur identidem *Campus Cleunæ*, an hic etiam Cleuna vel reipſa Hleuna ſcribendum ſit, determinare non poſſum, utrobique de Bosnia ſermo eſt.

Digitized by Google

„ & debere eſſe, extunc petit Sua Majeſtas, ut de-
„ clarentur, & exponantur, quæ loca per totum cir-
„ cuitum Regni pro metis ipſius Regni habeantur, &
„ ad qnem locum communitas regnicolarum Generalis
„ Exercitus pro recuperatione terrarum alienatarum
„ proficiſci debeat, ut dicta Majeſtas ſua ſciat, dum
„ opus fuerit, ad quæ loca poſſit facere tranſire Re-
„ gnicolas ſuos, aut pro Regni defenſione, aut terrarum
„ alienatarum recuperatione, nec Sua Majeſtas & Regna
„ debent deficere in iis agendis cum Eccleſiis Regni.

Vidimus quod altero ingreſſus membro, jam præſuppoſuerit Sigismundus, quod Inſurrectionalis militia non tantum Hungariæ, ſed etiam adnexorum Regnorum, & Provinciarum Limites tueri debeat. Ac nihilominus, quod Art quidem I. *explicite*; per præcedentem vero Articulum *implicite* id ipſum Statuum determinationi ſubmiſerit, ut Status ad diſertam hac de re Legem condendam perſuadeat, enumerat varios adnexorum Regnorum, & Provinciarum Diſtrictus, qui poſt fata Ludovici I. amiſſi ſunt, & cum ſupponat, id a Statibus ultro agnitum iri, quod omnia hæc adnexa Regna, & Provinciæ Limitibus Jurisdictionis S. Coronæ includantur, proponit denuo, ut per omnia hæc Regna & Provincias Limites in ſpecifico declarentur, quousque Inſurrectionalis militia debeat proficiſci? verum Status, ut jam ad Art. I. vidimus, punctum hoc ingredi noluerunt. (*)

Art. XXVII. „ Conſiderat namque Sua Majeſtas,
„ quod Regnum Hungariæ cum Regnis, & Terris ei-
„ dem incorporatis eſt taliter, & adeo amplum, poten-
„ tiſſimum, & copioſum Gentibus, ut contra quos-
„ cunque Inimicos, ex quacunque parte Regni exiſten-

„ tes,

„ tes, ſi bene & ordinate Gentes Regni Hungariæ di„ vidantur, poterunt ſufficientes Gentes pro Regni de„ fenſione, & terrarum alienatarum recuperatione, ho„ ſtiumque offenſione deputari, & levari, ſicut de hu„ jusmodi defenſione per Majeſtatem Regiam in ſe„ quentibus, prout ſibi apparuit, diſpoſita fuerint, & „ ſuſcipere poterunt informationem, & in his præcipit „ & mandat Sua Majeſtas per Prælatos, Barones, & „ Regnicolas ſuos, *antequam Regnum Hungariæ in*„ *grediatur, pleniſſime informari*, quidquid ab iisdem „ fuerit circa hanc materiam diſpoſitum, ordinatum, „ declaratum, & concluſum, ut ſecundum ea ſciat Re„ gia Majeſtas & poſſit ſe, ſicut & intendit conſervare.

Hæc eſt proprie concluſio propoſitionum. Quod ſequitur, eſt planum ſecundum, quod Sigismundus copias Regni juxta propoſitiones jam præmiſſas, in ſpecifico partiendas arbitrabatur. In quo cum ſingulus Banderiatus cum ſpecifica numeri militum, quem educere debebat, conſignatione exprimatur, totum hoc Inſtrumentum, licet improprie *Regeſti Banderialis appellationem accepit.*

In concluſione hac, poſtquam præmiſiſſet Sigismundus, quod Hungaria tantis viribus polleat, ut ſi hæ debite diuidantur, & amiſſa recuperari, & quibuscunque hoſtibus reſiſti poſſit, mandat jam regia authoritate, ut Status usque reditum ſuum, circa prævias ſuas propoſitiones certi quid determinent.

Hic itaque locus eſſe videtur, uberius demonſtrandi, & quando inſtrumentum hoc emanaverit? & quod decretæ in hoc Protocollo literæ ad Comitatus reipſa dimiſſæ ſint, & quod toto,

quo

quo ille abfuit tempore nihil de propoſitionibus his determinatum fuerit, ſed quod poſt reditum primo ejus, in Comitiis 1435. propoſitiones hæ reaſſumptæ, Decretumque Sigismundi, quod V. inſcribitur, ex his propoſitionibus conditum ſit.

Quod Inſtrumentum hoc emanaverit, antequam Sigismundus in Italiam, & ad Concilium Baſileenſe profectus eſt, Art. XVII. diſerte docet: id autem 1431. factum eſſe extra dubium verſatur. Ultimæ, quas Sigismundus hoc anno in Hungaria dedit, e prolatis hactenus, Literæ menſem Martium præſeferunt. Dobnerus autem, apud Katona Tom. XII. pag. 568. e Chronico Bartoſſy oſtendit, eum totam ferme hanc æſtatem Egræ, Norünbergæ, & Baſileæ conſumpſiſſe. Cum eum Menſe Julio Norünbergæ plenipotentiales edidiſſe, totumque Auguſtum in Italia exegiſſe e prolatis a Pray Annal. Par. II. pag. 302. Tabulis appareat; 25. vero Novembris Mediolani Corona ferrea redimitum eſſe, plerique ſcriptores conſentiant, pronum foret exiſtimare, eum toto 1431. abfuiſſe; verum protulit Kaprin. Hiſt. Dipl. Parte I. pag. 464. ejus Diploma, quo Privilegia Judæorum confirmat, & quod Datum Budæ, & feſtum B. Lucæ præſefert. Prolatum etiam eſt ejusdem Edictum de valore Denariorum, Datum Budæ 1432. in feſto Fabiani & Sebaſtiani, id eſt 19. January. Et ideo donec certiora edoceamur, Sigismundum in Autumno 1431. rediiſſe, hyemem 1432. in Hungaria exegiiſſe, & hujus anni vere, prouti id

etiam

etiam Chronicon Bartoſſy apud Dobner indicat, Mediolani Coronam ſuſcepiſſe, adeoque Inſtrumentum hoc aut ultimis 1431. aut primis 1432. Menſibus emanaſſe ſtatuere debemus.

Ut autem decretas in eodem Literas ad Comitatus reipſa dimiſſas fuiſſe credam, plura me adducunt. Jam primum ut ſolennis adeo Conſilii Regii in tam gravi momento deliberationis nullus effectus ſecutus ſit, ſed res penes ſolum hoc Protocollum ſubſtiterit, in animum meum inducere non poſſum. Deinde ad hoc Sigismundi *Regeſtum*, ut jam oſtendi, in poſterioribus Legibus frequens fit provocatio. Debuit itaque illud ad Statuum notitiam pervenire; jam vero ſi Inſtrumentum hoc qua ſimplex Protocollum ad Archivum Regium repoſitum fuiſſet, non poterat ejus tenor ad Statuum Notitiam devenire. Obvertet fortaſſe aliquis, quod poſterior tantum ejus Pars ſeu *Regeſtum* ad Comitatus penetrare potuerit. Verum utraque Inſtrumenti hujus pars ita nexa eſt, ut nec *Propoſitiones* ſine *Regeſto*, nec hoc ſine illis ad Comitatus expediri potuerit. Denique Leges Decreti V. jam *poſt reditum* Sigismundi conditi cum propoſitionibus his ita conſentiunt, ut illas ex his emanaſſe tuto, ut mox oſtendemus, ſtatui poſſit. Propoſitiones autem has non potuit Sigismundus poſt reditum ſuum primo facere, quia totus Inſtrumenti hujus tenor ſententiæ huic repugnat. Forte felix aliqua manus ipſarum etiam hoc no-

mine

mine ad Comitatus datarum literarum Exemplar aliquando producet.

Quod de propoſitionibus his toto, quo Sigismundus abſuit, tempore non obſtante poſitivo, & ſæpius, ut vidimus, iterato Sigismundi mandato per Status nil actum fuerit, e combinatione Inſtrumentorum, quæ de his annis hactenus prolata ſunt, conficitur. Fit quidem mentio in literis Joannis Epiſcopi Zagrabienſis 1432. feria II. poſt feſtum Bartholomæi ad Sigismundum datis, quas Farlatus Tom. V. pag. 466. produxit, *Conventus Prælatorum & Baronum* Budæ in feſto Laurentii celebrati, ſed clauſula hæc, *Diætam* non indicat, ſed illorum tantum Baronum, & Prælatorum congreſſum, quorum Conſilio Georgius Archiepiſcopus Strigonienſis, aliique, quibus Sigismundus vicariam per tempus abſentiæ ſuæ poteſtatem concrediderat, utebantur. Celebratæ Anno 1433. *Diætæ* nullum hactenus vel tenue veſtigium erutum eſt, e converſo Anno 1434. Diætam reipſa celebratam fuiſſe Diploma Sigismundi a Wagnero, inter Saroſſienſia pag. VII. proditum evincit, ubi dicitur: per *Literas Prælatorum & Baronum dicti Regni noſtri Hungariæ cognoſcentes totum Regnum noſtrum pridem Budæ congregatum - - ſuper ſedecimis, ſuper Clerum - - - & quinquageſimis - - - de ſæcularibus Perſonis - - - gratum - - nobis reſponſum dediſſe, & feciſſe.* Nimirum apparet e literis, quas Wagner ibidem pag. 3. protulit, quod Concilium Baſileenſe omnibus

Chriſtianis Principibus indulſerit, ut a Clero *ſedecimam* Decimarum, a Sæcularibus vero *quinquageſimam* proventuum partem pro inferendo Huſſitis Bello exigere poſſint, & quod Sigismundus dimiſſis ad ſingulos Comitatus literis, exactionem hanc perfici ordinaverit. Non debuerit res, *hac via* ſuccedere, ſed vicarii Regis, *Diætam* convocarint, in qua Status impoſitioni huic acceſſerunt quidem pro uno anno, ſecuritatem tamen ſibi a Sigismundo dari poſtularunt, quod illam porro non ſit exacturus, quam iis Sigismundus ipſis his literis reipſa largitur. Cum priores ad Saroſſienſem Comitatum literæ 8. Aprilis, poſteriores 29. Junii emanaverint, *Diæta* hæc intra iſtud intervallum debuit celebrari. Verum quod *Diæta* hæc longe diverſum a propoſitionibus Sigismundi de Regulatione Inſurrectionis objectum habuerit, ſatis apparet. Alterius, usque reditum Sigismundi, Diætæ nullum indicium exſtat, adeoque Status propoſitiones has interea non pertractaſſe, probabile evadit. Forte, *Vicarii Regis*, propter ingratum illud, de redimenda Inſurrectione, punctum, propoſitiones has abſente Rege in pertractationem aſſumere, minus expediens arbitrabantur.

Supereſt, ut propoſitiones has 1435, reipſa reaſſumptas, & ex his Sigismundi Decretum V. conditum eſſe oſtendamus. Omnes, quæ inde a Vere 1432. usque Autumnum 1434. hactenus prolatæ ſunt, Sigismundi literæ, extra Regnum emanarunt primæ, quas eum in Regno ſignaſſe hacte-

nus

ſius erui, ſunt illæ, quas Wagner. Annal. Scep. Parte III. pag. 214. prodidit, & hæ in feſto B. Martini emanarunt. Redierit itaque Sigismundus Menſe Septembri, aut Octobri, & cum Decretum quintum, ſequenti Anno Menſe Martio conditum ſit, habuit plane ſufficiens tempus ad Diætam illam præparandam. Itaque cum parte ex una, propoſitiones has, ſub tempus abſentiæ Regis non pertractatas, parte vero ex alia: omnia illarum puncta, præter ea, quæ ad ſtylum concinnandarum ad Comitatus literarum referuntur, uti & circa definiendos, quousque Inſurrectionalis militia procedere debeat? limites, & redemptionem Inſurrectionis, in Articulos ejusdem Decreti, cum conſuetis, in comitiali pertractatione, modificationibus relatos eſſe, jam ſupra oſtenſum ſit, vix dubitare licet, quod ipſæ hæ propoſitiones, materiam Decreto illi præbuerint. Nam quod Status ad definiendos Inſurrectionali militiæ limites, & redemptionem Inſurrectionis non acceſſerint, & hæc puncta, hac ſolum de cauſa e Decreto illo emanſerint, quisque ſibi facile perſuadebit. Ac me quidem alia adhuc conjectura in ſententia hac confirmat, nimirum præter illa, quæ ingreſſu, & concluſione carent, nullum eſt in Corpore Juris Decretum, quod adeo paradoxam formam habeat, ſicut hoc Sigismundeum, & illud, quod ſub Mathia I. 1474. conditum eſt. De hoc alibi. Quod Sigismundeum adtinet, illud formale Decretum eſſe Art. II. ſatis indicat, ubi dicitur: *Concluſum*

eſt - - - per Noſtram Majeſtatem cum Prælatis, Baronibus, & Regnicolis noſtris - - -; & tamen in *præfatione* nulla ſit convocationis Statuum mentio, in *concluſione* vero conſueta obligativa clauſula, *Nos ipſi obſervabimus, & per alios obſervari faciemus*, exmittitur, ita, ut totum inſtrumentum *Edicti* potius, quam *Decreti* formam præſeferat. Quid? ſi disguſtus Sigismundi, propter non acceptata præmemorata duo puncta, quæ plane ſibi maxime cordi erant, minus ordinatæ Decreti hujus formæ anſam dedit? mihi certe id haud improbabile videtur.

Cæterum cum de *Vicariis Regis* mentio injecta ſit, libet hoc quoque *ſtatiſticæ* Hungariæ punctum paucis illuſtrare. Hungaria nullam habuit usque Mathiam I. pro caſu ſeu *Interregni*, ſeu *minorennitatis*, ſeu longioris *Regis abſentiæ* legalem proviſionem. In prima Periodo, nullus longioris *Interregni; minorennitatis* unicus, poſt fata *Emerici*, caſus emerſit, & tunc Rex hic & tutorem, filio ſuo *Ladislao*, & adminiſtratorem Regni, Fratrem ſuum *Andream II.* Teſtamento conſtituit, ut id e provocatis per Katonam Tom. IV. pag. 759. ex Dobnero Innocentii III. ad Andream datis literis, apparet, ubi dicitur, *cum ex Regis ipſius diſpoſitione, ob teneram filii ejus Ladislai ætatem, pueri curam, & Regimen Regni ſuſceperit.* Quod Andreas, dum puer Ladislaus vixit, *Gubernatoris* titulo uſus ſit, ex iisdem literis apparet. An tamen? & ſi ita, quos habuerit poteſtatis limi-

tes

tes non conſtat. Secunda Epocha unicum & *longioris Interregni*, & *minorennitatis* caſum in *Ladislao Poſthumo* produxit. Sed hunc Mater ejus Eliſabetha e Regno clam eduxit, & tutelæ Friderici Imperatoris commiſit. Status vero, ut infra videbimus, adminiſtrationem Regni primum *ſeptem Capitaneis*, poſtea ſoli Joanni Hunyadio, ſub titulo *Gubernatoris* detulerunt, & tunc quibus limitibus, munus hoc circumſcriptum fuerit, e Decreto 1446. tenemus.

Longioris e Regno *abſentiæ* caſus in prima Periodo apud nullum Regem ſe evolvit, præter *Andream II.* qui expeditionem Hieroſolymitanam ſuſcepit. Sed hic primogenitum ſuum *Belam IV.* adhuc ante abitum ſuum coronari fecit, eidemque omnem, usque reditum ſuum, regiam poteſtatem commiſit, additis eidem aliquot Conſiliariis, uti id e prolatis a Pray in Hier. Part. II. pag. 52. literis apparet. Qui hi fuerint? hactenus nemo prodidit, id conſtat, lapſum eſſe Bonfinium, dum adminiſtrationem Regni, ſoli *Bank* Bano commiſſam fuiſſe prodidit.

In ſecunda Epocha Ludovicus I. dum Neapolim cum Exercitu proficiſceretur, bis quidem longiuſcule abfuit, abſentia tamen hæc neutra vice vel integro anno perduravit, & ideo Rex hic nullam peculiarem circa adminiſtrationem Regni pro tempore abſentiæ ſuæ proviſionem conſtituiſſe comperitur.

 Sigis-

Digitized by Google

Sigiſmundus ab Anno 1414. usque 1419. primæ ſuæ imperialis coronationis, Conciliique Conſtantienſis cauſa continuo abfuit, & ideo adminiſtrationem Regni Joanni Archiepiſcopo Strigonienſi, & Nicolao de Gará Palatino commiſerat, uti id Katona Tom. XII. pag. 179. e manuſcriptis Cornideſii edocuit. Ac hos quidem præter *Gubernatoris* etiam *Vicarii* titulo uſos fuiſſe docent, prolatæ a Kerchelichio Hiſt. Eccl. Zagrab. pag. 158. de Anno 1414. literæ, ubi laudatus Archiepiſcopus hoc titulo utitur: *Aulæ Regis Romanorum ſummus Cancellarius, ejusdemque in Regnis Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Gubernator, & Vicarius Generalis.*

Ab Anno 1432. ſecundæ coronationis ſuæ, & Concilii Baſileenſis cauſa eum denuo toto ferme triennio abfuiſſe vidimus. Quod tunc quoque, Georgio Strigonienſi Archiepiſcopo, adminiſtrationem Regni commiſerit, apparet e jam provocatis, quas 1434. ad Comitatum Saroſſienſem, quoad exigendas ſedecimas, & quinquageſimas, dedit literis, in his enim eum & *Vicarium noſtræ Majeſtatis* appellat, & ut Præceptoriis ſuis, ſub Archiepiſcopi hujus ſigillo emanandis, omnis obedientia præſtetur, mandat. Quod tamen non ſoli huic, adminiſtrationem Regni crediderit, apparet ex aliis ejusdem, quas Katona Tomo XII. pag. 604. e manuſcriptis Cornideſii excitavit, literis, quæ hanc notam adjectam habent: *Scribatur Vicariis, ut propter aliquam neceſſitatem ad*

aliqua

aliqua alia agenda non compellant Cives Budenſes. Ubi per *Vicarios* eos intelligi, quibus adminiſtrationem Regni commiſerat, ſuapte patet. Qui tamen hi, præter Archiepiſcopum Strigonienſem, fuerint, nemo hactenus eruit. (*)

Sub *Ladislai Poſthumi* minorennitate, quod Status primum ſeptem Capitaneis, qui ſe perinde *Vicarios Regni* inſcribebant, adminiſtrationem Regni detulerint, dein vero hanc in Joannem Hunyadi, additis tamen eidem aliquot Conſiliariis, ſub titulo, *Gubernatoris* tranſtulerint, infra videbimus.

Tandem ſub *Mathia I.* 1485. Vicaria Regni adminiſtratio, & pro *minorennitatis*, & pro *longioris abſentiæ* Regis caſu Palatini muneri eſt attributa.

SE-

(*) Ego vero, ut complura alia, ita & iſtud feliciter erui ex quodam mandato delegatorio Sigismundi Regis in cauſa violentiali Ladislai de Kanyſa contra Clementem probabiliter de Azzonfalva Epiſcopum Jaurinenſem Ferrariæ tertia die feſti Exaltationis S. Crucis A. D. 1433. edito in quo recenſentur:

„Georgius (de Palocz) Archiepiſcopus Strigo-
„nienſis, Petrus de Rozgon Epiſcopus Agrienſis, Ni-
„colaus de Gara Palatinus, Mathias de Palócz Judex
„Curiæ, Petrus de Tharkew Magiſter Thavernicorum
„Regalium, & Joannes de Rozgon Theſaurarius; Re-
„gii in Regno Vicarii Generales."

Ceterum jam Anno 1417. occurrit in Diplomate Joannes de Kanyſa Archiepiſcopus Strigonienſis *Vicarius* Sigismundi Regis *in Regno Hungariæ Generalis.*

Digitized by Google

SEQUITUR DIVISIO.

Art. XXVIII. „Quemadmodum Prælati, & Ba-
„ rones Regni Hungariæ jam plures concitaverunt, &
„ moverunt Regnicolas contra Huſſitas, ſic & nunc *re-*
„ *linquitur per Majeſtatem Regiam arbitrio eorundem*
„ *Prælatorum & Baronum*, ut in levatione Regnicola-
„ rum contra Huſſitas faciant illud, quod eis videbitur
„ faciendum, quia tamen Majeſtas Sua reſpectum, &
„ conſiderationem habet, ad Guerras, quæ tam ex
„ parte Huſſitarum, quam Turcarum, & aliunde ha-
„ bentur, eo attento potiſſimum, quod Rex Bosniæ,
„ & Bosnyenſes multis inſolentiis, & injuriis affecerint
„ Regnum, & Regnicolas Hungariæ; ideo Majeſtas Sua
„ hoc reſpectu Prælatos, Barones, & Nobiles Regni
„ ſui ordine ſubſcripto diviſit, ſi eis ſic faciendum ap-
„ pareat, quorum una pars contra Turcos, alia con-
„ tra Huſſitas, tertia contra Bosnam continuum reſpe-
„ ctum, pro Regni defenſione, & Hoſtium offenſione,
„ habere teneantur, ſicut hæc diviſio apparet in ſub-
„ ſcriptis.

Hic eſt ingreſſus ad diviſionem copiarum, quam ſtatim ſubjungit, & in ſubſtantia id dicit. Cum Regnicolæ jam ſponte ſua contra Huſſitas animati eſſe videantur, ſe expeditionem hanc, libenter eorum arbitrio plene committere. Quia tamen res hæc nexum habet, cum expeditione contra *Turcas*, & *Regem Bosnyæ*, qui ex cliente hoſtem Hungariæ ſe effecit, ideo cenſeret omnes Regni copias ſequenti modalitate partiendas eſſe.

Venetorum nullam quidem hoc loco mentionem facit, quod tamen ad hos etiam, in ipſa copiarum partione reflexerit, mox apparebit, quod

Inſtru-

Inſtrumentum hoc propoſitiones Regis contineat, oſtendit hujus etiam Articuli clauſula illa: *ſi eis* nempe Statibus, *ſic faciendum appareat.*

Art. XXIX. „Hæc eſt diſpoſitio contra Turcos „ & ejus colligatos, ac adhærentes:

§. 1. A parte Dalmatiæ ſeu Maris (*a*) & Croatiæ.

„ Banus Croatiæ	Banderium (*b*)
„ Raguzium	cum potentia
„ Comes Corbaviæ	Banderium
„ Comes Czetinæ	Banderium
„ Comes Segniæ	Banderium
„ Totum Regnum Croatiæ & Valachi in eo exiſten. . . .	Cum potentiis eorum
„ Regale	Banderium.

§. 2. „Item verſus Fluvium Wy (*c*)

„ Banus Sclavoniæ	Banderium
„ Domini de Blagay . . .	Banderium
„ Prior Auranæ	Banderium
„ Epiſcopus Zagrabienſis . .	Banderium
„ Ladislaus Toth	Equos 100.

§. 3. „Item ad Wzura (*d*)

„ Deſpotus	Cum quantis poteſt (*e*)
„ Magiſter Curiæ Comes de Poſega	Equis C.
„ Epiſcopus Bosnyenſis . . .	Equis C.
„ Petrus Cheh de Nema . .	Equis C. (*f*)
„ Bani Machovien. . . .	Equis CCCC. (*g*)
„ Joannes filius Gregorii . .	Banderium
„ Mathko nomine Zebernik .	Equites m̄ (1000.)
„ Joannes Banus de Maroth .	Equites m̄ (1000.)
„ Epiſcopus Quinqueeccleſienſis	Banderium
„ Filii Bothos	Equites C.
„ Joannes de Gara	Equites C.

„ Hen-

Digitized by Google

„ Henricus filius Vajvodæ . . Equis C.
„ Georgius filius Lorandi de Serke Equis C.

„ Comitatus Zagrabienſis. „ Comitatus Varasdinenſis.
„ Comitatus de Poſega. „ Comitatus de Valko. (*h*)
„ Comitatus de Bodrogh. (*i*) „ Comitatus Tolnenſis.
„ Comitatus Szaladienſis. „ Comitatus Criſienſis.
„ Comitatus de Werövcze. „ Comitatus Zewrinienſis.
„ Comitatus Bachienſis. „ Comitatus de Baranya.
„ Comitatus Simeghienſis.

„ Si volunt iſti contra Bosnyenſes ordinare, faci-
„ lius habebitur, ſi vero iſti Comitatus nollent adju-
„ vare, manebunt priores cum eorum Banderiis. (*k*)

(*a*) Cum hic Maris mentio fiat, Pars hæc copiarum magis contra *Venetos*, quam contra *Turcas* deſtinata fuiſſe videtur, hi enim ad *Maritima* Croatiæ Loca, populando tantum hactenus pertigerant.

(*h*) Cum infra ſubjiciatur: *Totum Regnum Croatiæ cum Potentiis eorum & Valachis in eo exiſtentibus*, hic *officioſum* Bani Croatiæ Banderium intelligi debet, & quia objectum *officioſorum Banderiorum* a nemine hactenus elucubratum eſt, libed illud paucis illuſtrare.

Banderia ejusmodi certis Officiis affixa fuerunt, & neceſſaria pro eorum intertentione ſumma ex ærario regio dependebatur, uti id e Lad. Poſth. Decreto II. Art. II. §. 2. apparet, ubi dicitur: *Honores Baronatuum tenentes, quia ſcilicet more alias conſueto, Banderia exercitualiter ſoliti fuerunt elevare, de eisdem noſtris proventibus regalibus, ſtipendia eorum extradentur.* Patet e lege hac, quod Barones hi Banderia ex *officio*, ut dicimus, jam antea ſervare conſueverint. An tamen ſtipendia pro iis ex ærario regio jam antea

per-

perceperint? vel vero hæc ipſis iſta primum lege addicta ſint? non ſatis conſtat. Cum tamen nec in præſenti inſtrumento, nec in Decreto V. Sigismundi, ſed nec in Albertino Decreto, aut ullo ſeu *Sigismundi*, ſeu *Alberti* inſtrumento *ſtipendiatorum Banderiorum* mentio fiat, mihi probabilius videtur, inſtitutum hoc ſub *Ladislao Poſthumo* primum exortum eſſe. Non puto tamen Barones illos, officioſa Banderia, ſtipendio conducere debuiſſe, ſed potuiſſe illa e Bonis propriis ita conflare, ut ſi quis oneri Banderii alioquin obnoxius, talem Magiſtratum adeptus eſt, cui obligatio Banderii incumbebat, *proprium* Banderium, in vicem *officioſi* potuerit imputare.

Sed nec id ſatis conſtat, quibus in ſpecie Baronatibus officioſa Banderia adhæſerint? e præſenti inſtrumento videntur illa, Officiis, *Bani Croatiæ*, *Bani Sclavoniæ*, *Bani Machovienſis*, *Vajvodæ Tranſylvaniæ*, *Comiti Siculorum*, & *Tavernicorum Magiſtro* affixa fuiſſe. Hi enim ſoli *per officia*, reliqui ſæculares *per nomina propria* in Regeſto hoc deſignantur. *Comes Temeſſienſis* inter Banderiatos hic necdum collocatur, indubie quia limites Regni tunc ultra caſtrum illud, adhuc ſat procul remoti fuerunt. De *Magiſtro Curiæ Regiæ*, licet & hic per Officium tantum exprimatur, quia tamen una additur, & *Comes de Poſega*, dubitari poteſt, an non eidem *qua tali* Banderium adſcriptum ſit; cum tamen nulli præterea *Parochiali Comiti* Banderium toto hoc Regeſto

geſto aſſignetur, puto ego officio etiam Magiſtri Curiæ 100. illos Equites adhæſiſſe.

Poſtquam ſub *Ladislao Poſthumo officioſa Banderia* ad Regium ſtipendium recepta ſunt, an omnia hæc retenta ſint? non conſtat. Hujus enim Regis Regeſtum, ad quod Decreti ejus II. Art. III. §. 2. provocatur, non exſtat.

Sub *Mathia I.* in prolato in Veſt. Comitior. Szegedienſi, de 1459. Decreto Art. IV. in genere tantum dicitur, *Barones, ſeculares, quibus D. Rex ad levanda eorum Banderia, de proventibus Regalibus ſalaria dare tenetur*: an tamen eadem, quæ ſub Sigismundo? vel plura, aut pauciora Officia *ſtipendiata Banderia* ſub hoc Rege adnexa habuerint? non liquet. Si conjicere licet, videtur hic, *Parſimoniæ* minus ſtudioſus Rex, ſi non omnia, complura certe officioſa Banderia abrogaſſe, & ſumptus illos, in augendum proprium ſtipendiarium militem convertiſſe.

Wladislai Regeſtum in Decreto ejus tertio de 1498. tenemus, patet ex Articuli XXI. §phis 2. 3. 4. & 5. quod ſub hoc Rege tantum Vajvoda Tranſylvaniæ, Comes Siculorum, Banus Croatiæ, & qui in Regeſto Sigismundæo non continetur, Comes Temeſſienſis, *officioſa Banderia* habuerint, ſeu hæc ſola *Mathias* conſervaverit, ſeu illa primis Wladislai annis fuerint reſtaurata.

Sub *Ludovico II.* in Decreto 1522. Art. XXI. univerſim tantum dicitur: *Officiales Regiæ Majeſtatis, ratione officiorum ſuorum Gentes,*

&

& Banderia eorum conſervare debebunt Veſt. Comit. pag. 526. In ſubſequis tamen, de 1525. Rakoſſienſibus Comitiis, Art. XVI. videntur *officioſa Banderia* jam ad Præfectos tantum finitimorum caſtrorum reſtringi, dum dicitur: *Officiales quoque finitimi tam ratione Bonorum ſuorum, quam etiam Officiorum ipſorum Gentes ipſorum integre conſervare teneantur. Ibidem pag.* 582. E nullo tamen Regis hujus Decreto elucet, quæ in ſpecie Officia, *ſtipendiata ejusmodi Banderia* adnexa habuerint: attentione dignum videtur, quod tota II. Periodo officioſi *Palatinalis Banderii* mentio nuſpiam occurrat. Cum ſub nullo Rege adeo tenue fuerit ærarium Regium, atque ſub *Ludovico II.* facile conjicere licet, ſtipendia hæc raro, aut non niſi cum magna falcidia depenſa fuiſſe, & ideo officioſa etiam illa Banderia, ſub hoc Rege, admodum vacillaſſe. Poſt cladem Mohachienſem nulla jam *ſtipendiata Banderia* memorantur, ut adeo inſtitutum hoc cum fine II Epochæ intercidiſſe videatur.

(*c*) Quis fluvius per ly: *Wy* intelligatur, tuto ſtatuere non licet, nullius enim ſeu Croatiæ, ſeu Bosnyæ, ſeu Serviæ fluvii Nomen ad vocabulum hoc vel a procul accedit, videtur tamen in originali ſcriptum fuiſſe *Savy*, & prima ſyllaba ſeu vetuſtate eroſa, ſeu oſcitantia Scriptoris exmiſſa, prodiviſſe illud *Vy* apparet id e Banderiis, quæ ad ſtationem hanc deſtinantur, hæc enim omnia in Sclavonia ſituabantur: Nam Ladislaus Toth erat Poſſeſſor Caſtri Szomſzédvár, familia Blagay ampla in Sclavonia Bona habuit. Ipſe Prioratus Auranæ,

ranæ, licet ſedem ſuam in partibus maritimis habuerit, aliquot tamen in Sclavonia Dinaſtias poſſidebat. (*)

(*d*) Scribi debebat *Oſoram*, ita enim appellatur Diſtrictus Bosnyæ ad ejusdem nominis fluvium ſituatus, ubi *Ludovico* I. dum Bellum illic gereret, Regium ſuum ſigillum ſublatum fuit, uti id productum a Verböczio Part. II. tt. 14. §. 21. Diploma teſtatur, in quo Diſtrictus hic etiam *Uzura* appellatur. Pars hæc copiarum contra *Hervojam* pluresque, qui poſt mortem *Oſtojæ* Regis Bosnyam inter

(*) Et hunc fluvium in Diplomatibus regeſto hoc longe antiquioribus reperio. Exſtat nimirum in Coll. Dipl Com. Fran. Széchényi Tom. VI. N. 88. (ubi adnotatur Inſtrumentum eſſe deſumtum ex charta originali Archivi Cameræ Viennenſis) & beneficio Illuſtris Poſſeſſoris cum aliis pro me deſcriptis in meo Diplomatario univerſali Proceſſus octavalis Joannis de Maroth ad dandam rationem contradictionis ſtatutioni Oppidi & Caſtelli Welyke, contra Adalbertum de Ungh, alias etiam de Nagy Mihál Priorem Auranæ, in quo ex parte Prioratus producta ſenſualiter continetur Belæ IV. Regis Hung. Donatio A. 1269. primum facta, dein per Stephanum V. A. 1270. per Ladislaum IV. A. 1272. per Carolum I. 1322. & 1327. denique per Ludovicum I. A. 1357. & 1364. ſucceſſive confirmata, qua mediante antelatus Rex Bela IV. pro Civitate Zennya (hodie probabiliter Segnia) & Comitatu *Gwchke*, ad ſe per conventionem receptis Domui Militiæ Templi Hieroſolymitani, ſeu Templariis Comitatum de Dubycha cum omni Diſtrictu jurisdictione, honore, & pertinentiis; nominatim autem cum mardurinis, & deſcenſu Bani, vulgo Zuluſina dicto, aliisque reditibus; reſervata duntaxat collecta, quæ per totam Sclavoniam ratione lucri Cameræ fieri conſueviſſet (en antiquitatem lucri Cameræ) ſub evictione Fiſci Regii, & cum inſertione ſeriei metalium, terris quoque *Urbaz*, Meſenyche, Wandycha, Rakovech, & Iſtrobycha, Villis

inter ſe diviſerant, & Turcarum auxilio ſuffulti 1415. notabilem Hungaris cladem intulerant, Regulos deſtinatur. Clades enim hæc ad illud usque tempus necdum vindicata fuit.

(*e*) Deſpotus Raſciæ, fuit Clientelaris Hungariæ Princeps, & ideo non *Banderio, ſed auxiliaribus copiis*, quantas contrahere potuit tenebatur.

(*f*) Scribi debuiſſet *Petrus Cheh de Leva.* Idem enim hic eſſe debuit cum eo, quem in provocatis ſupra e Wagnero de 18. Aprilis 1434. literis Sigismundus, conducendarum ex impoſitione *ſedecimæ* & *quinquageſimæ*, Gentium generalem Capitaneum declaraverat, ibi autem ita ſcribitur. (*).

(*g*)

Villis item Wrachiche, & Simiga, ac Pridol, Gwerſenycha, Kalyſta, Pryſega, Gosd, Wracha, Vyſenych, Pathuch, & Lonffew vocatis locis, in quibus fluvii: *Koſſachyna, Zava, Pwkwr, Ozywpwkwr, Revenche, Velyke Klokovech, Granych, Nagachen, Iſpyas, Lykonch, Meſenycha, Thempniſew, Jelamech patak, Strygomnya, Jalſaycha, Zuhodol, Jelſonych, UY, Chaztanycha, Thorycha, Thorya & Pulchka;* nec non Montes Rakſew, Kohmaſew, Thodynaſew, Kokonychſew, & Kaynanycha dicti, atque foſſatum Jaynyk, pro ſignis metalibus exponuntur, in perpetuum contulit. Cui hoc tam evidens Documentum nondum ſatisfacit, illi conjecturam ex alia lectione paulo poſt proponam, ut quod rectius viſum fuerit, eligat. Mihi lectio Wy ſeu Uy præplacet, tum quod in omnibus Exemplaribus occurrat, tum quod exiſtente hujus nominis fluvio (a quo forte, & Uylak ibidem ſita Ducis Laurentii appellationem nacta eſt) nulla ratio ſuperſit, cur ad conjecturas recurramus.

(*) Familia *Cheh* ſcribebatur quidem de *Lewa*, quod e plurimis Diplomatibus conſtat, poſſidebat tamen circa Annum 1445. etiam *Caſtrum Newna* in *Sclavonia* cum plurimis aliis bonis. Hæc igitur Lectio non plane omni fundamento caret, cum *Newna* & *Nema*, uti in vetuſta Diplomatum orthographia ſæpe fit, idem nomen eſſe poſſit. Ceterum Prædicatum de Lewa præferendum eſt.

(g) Cum Bano Machovienſi 400. Equites adſcribantur, non debuerunt hi *integrum* Banderium efficere, ſecus eidem *Banderium* in genere, uti aliis ſupra adſcriptum fuiſſet. Et tamen ſub *Wladislao* 1492. Art. XX. quadringentos Equites integrum efficere Banderium ſtatuitur, nimirum marceſcente jam ſub hoc Rege bellicoſo nationis ſpiritu, militaria onera quoquomodo alleviari procurabantur.

(*h*) Comitatum Valkojenſem hac adhuc ætate ſuperfuiſſe, adeoque Sclavoniam ſeptem Comitatus numeraſſe, e converſo Comitatum *Zagoriæ*, & *Cilleæ*, aut jam non ſuperfuiſſe, aut non legalis Comitatus, ſed Dinaſtiæ tantum Comitum Cilleæ, *Comitatus* nomine, ambitioſe decoratæ, formam habuiſſe, apparet.

(*i*) *Bodroghienſem* etiam eotum a *Bachienſi* diſtinctum adhuc fuiſſe Comitatum apparet.

(*k*) Vidimus ſupra verſus fluvium Savum ſat exiguas copias diſpoſitas fuiſſe, & tamen Comitatuum, qui hic verſus *Oſoram*, id eſt in *Bosnyam* deſtinantur, inimicis Savi tranſitum impedire plurimum intererat, ſubdubitavit itaque Sigismundus ipſe, an hi Comitatus Gentes ſuas in Bosnyam educi admiſſuri ſint. Et ideo reflectit, ut in caſum contrarium, reliqua ibidem ſpecifica Banderia in Bosnya adhibeantur Ly: *facilius habebitur*, eſt idiotismus ex illo Hungarico: *könyeb-leſz*.

Art. XXX. „Verſus Temeskeöz usque Szewri-
„ nium incluſive (*a*)

„ Archiepiſcopus Coloczenſis . . . . . Banderium.
„ Epiſcopus Varadienſis . . . . . . Banderium.
„ Epiſcopus Chanadienſis . . . . . . Banderium.
„ Regia Majeſtas . . . . Banderium.
„ Comitatus Temeſſienſis. „ Comitatus Chongradien.
„ Comitatus Horodienſis. „ Comitatus de Kewer (*b*).

„ Co-

„ Comitatus Chanadienſis. „ Comitatus Craſſo.
„ Comitatus de Zarand. „ Comitatus de Thorontal.
„ Deſpotus (*c*) . . . . Cum quantis poteſt.
„ Valachi, Sclavi, & Jvanchi (*d*)
„ Comani & Philiſtei.

Verſus partes Tranſylvanas.

„ Epiſcopus Tranſylvanienſis . . . . . Banderium.
„ Vajvoda Tranſylvaniæ . . . . . . Banderia 2.
„ Siculorum Comes . . . . Banderia 2.
„ Vajvoda Moldavus (*e*) contra Turcos, & partes Transalpinas cum tota potentia.
„ Saxones, Siculi, Nobiles, Valachi partium Tranſylvanarum cum Potentia.
„ Comitatus Biharienſis. „ Comitatus de Bekes.
„ Comitatus Szathmarienſis. „ Comitatus de Zabolch.
„ Comitatus Maramaroſien. „ Comitatus de Beregh.
„ Comitatus de Ugocha. „ Comitatus de Kraſzna.
„ Comitat. Szolnok medioc. „ Comitatus Szolnok exter.

Regale Banderium.

„ Et hæ tres partes tam ſcilicet verſus Temesvar, quam
„ verſus partes Transalpinas reſpectum habent, mutuis
„ ſemper reſpectibus contra Thurcos ad loca, ad quæ
„ neceſſe fuerit, juvare poterunt & debent.

(*a*) Ubi ſitum fuerit *Temeskö*, & *Szeverinum* necdum eſt expeditum. Id conſtat, quod copiæ hæ, ad extremos meridionali orientales Regni limites, ordinatæ fuerint.

(*b*) Zarand & Kövar nunc ad Tranſylvaniam ſunt appliciti, tantas viciſſitudines, Regni, in Comitatus Partitio ſubivit! Si quid eſt in adminiſtratione publica momentoſum, abrogatio certe prioris, aut erectio novi Comitatus, vel ipſa ejus ſeu reſtrictio, ſeu protenſio, magnum momentum habet; & tamen nondum deteximus publicas Tabulas, quibus

Regni in Comitatus partitio, horum limites, aut aliæ mutationes cum illis factæ inſcriptæ fuerint, ut adeo Hungariam jam plures, jam pauciores habuiſſe Comitatus, conſtet quidem e Fragmentis veterum literarum, qui tamen Comitatus? quando inſtituti? quando aut contracti, aut dilatati? quando? quomodo? & per quem abrogati ſint? non conſtet. Id unum ex Inſtrumento hoc apparet, quod cum ſub Sigismundo, Hungaria, Sclavonia (de Croatia enim tantum in abſtracto diſponitur) 59, reales Comitatus numeraverit. *Borſodienſis* enim, & *exterior Szolnok* indubie ſcribentis errore bis connumerantur. Apparet etiam, quod *Pilisienſis* hac ætate diſtinctus fuerit, a Peſthienſi.

(*c*) Deſpoti Raſciæ copias, in Bosnyam deſtinatas fuiſſe, ſupra vidimus. Hic etiam contra Turcas diſponuntur. Et vero Provincia, cui imperabat, ita ſituatur, ut in utramque partem auxilia commode ſubmittere potuerit. E converſo dum Archiepiſcopum Strigonienſem, Epiſcopum Agrienſem, Stiborium, & Petrum Cheb, bis adſcribi videmus, debemus ſcriptoris errorem agnoſcere.

(*d*) In voce: *Ivanchi* errorem cubare manifeſtum eſt. Quid tamen legi debeat? non ita pronum eſt definire.

(*e*) *Moldaviæ* Vajvoda perinde, atque *Raſciæ* Deſpotus, clientelaris Hungariæ Princeps fuit, & ideo de hujus quoque auxiliaribus copiis diſponitur. E converſo *Valachiæ Princeps*, jam Turcæ adhærebat, & ideo hujus nulla mentio injicitur. Nulla etiam fit de *Bulgaria* & *Servia* diſpoſitio, quia illam totam, hujus reliquam a *Raſcia* partem jam Turca ſubegerat.

Art. XXXI. „Pro Cuſtodia Caſtri Poſonienſis (*a*)
„ Epiſcopus Veſzprimienſis Lanceas L.
„ Epiſcopus Jaurinenſis Lanceas L.

„ Ab-

„ Abbas Sancti Martini Lanceas XXV.
„ Do. de Hedervar.

„ Per quartam partem toto anno pro cuſtodia; &
„ de reſiduo pro defenſione Caſtrorum, & Civitatum,
„ & Civitatis Poſonienſis; fiat diſpoſitio in Comitatu
„ Poſonienſi de proventibus regalibus (*b*).

(*a*) Occupata per Huſſitas, Szakolcza, & Tyrnavia, ipſum jam Poſonium in periculo verſabatur. Quare de ejus defenſione Articulo hoc peculiariter diſponitur. Debuit periculum Civitatis hujus 1433. increſcere. Sigismundus enim eodem hoc Anno, *Senis* ſecundo die Purificationis, paulo ampliorem de ejus defenſione fecit proviſionem. Nimirum ultra deſignata hoc Art. Banderia, quæ ibidem diſerte rememorat, inſuper in defenſionem Urbis hujus, ordinavit ſpecificatas illic octo Civitates, & Nobiles decem lanceatorum, uti id prolatum a Katona e Manuſcriptis Cornidelianis Tom. XII. pag. 603. Inſtrumentum oſtendit.

(*b*) Poſt voculam: de *reſiduo* aliquid exmiſſum videtur. Forte in originali continebatur, *de reſiduo vero exercituet cum copiis mox deſignandis contra Huſſitas*: ſic enim ſequentem ſenſum faceret. *D. de Hedervara Gentes uno trimeſtri excubent pro cuſtodia Civitatis Poſonienſis, reliqua Anni parte militent cum mox deſignandis copiis contra Huſſitas. Cæterum neceſſarii pro defenſione Poſonii, aliorumque Caſtrorum, & Civitatum ſumptus ſuppeditentur e proventibus regalibus Comitatus Poſonienſis.* Nam ut nunc jacet hic Articulus, nullum ſenſum facit. Hedervarius vero Bona ampla in hac peripheria poſſidebat, neque alio commode applicari poterat. Et ideo nuſpiam etiam alibi in Regeſto hoc memoratur. Fuerit hic Laurentius de Hedervara, unus ex iis, quos Sigismundus Plenipotentiarios ſuos ad conficiendum cum Duce Mediolanenſi tractatum 1432. Norim-

bergæ conſtituerat, & qui in plenipotentialibus his *Mareſchallus*, in aliis vero literis *Agazonum Regalium Magiſter* ſcribitur ſubinde *Palatinatum* Regni adeptus.

Art. XXXII. „ Contra Huſſitas. (*a*)

„ Archiepiſcopus Strigonienſis . . . . Banderium.
„ Epiſcopus Agrienſis . . . . Banderium.

„ Comitatus Sopronienſis.
„ Comitatus Veſzprimienſis.
„ Comitatus Jaurinenſis.
„ Comitatus Pilis.
„ Comitatus Moſſonienſis.
„ Comitatus Nitrienſis.
„ Comitatus de Turocz.
„ Comitatus Liptovienſis.
„ Comitatus Scepuſienſis.
„ Comitatus Zemplinienſis.
„ Comitatus Borſodienſis.
„ Comitatus Gömörienſis.
„ Comitatus Heveſſienſis.
„ Comitatus Szolnok exter.
„ Comitatus Borſodienſis.

„ Comitatus Caſtriferrei.
„ Comitatus Albenſis.
„ Comitatus Strigonienſis.
„ Comitatus Komaromien.
„ Comitatus Poſonienſis.
„ Comitatus Trinchinienſis.
„ Comitatus de Arva.
„ Comitatus Zolienſis.
„ Comitatus de Saaros.
„ Comitatus Abaujvarienſis.
„ Comitatus de Tolna.
„ Comitatus Neogradienſis.
„ Comitatus Peſthienſis.
„ Comitatus Hontenſis.
„ Comitatus de Ungh.

„ Et ſi Deo placebit Regia Majeſtas perſonaliter.

„ Archiepiſcopus Strigonienſis.
„ Epiſcopus Agrienſis.
„ Petrus Cheh.
„ Comites de Bozin.
„ Comes de S. Georgio.
„ Stiborius.
„ Volfardus de Modor.
„ Ladislaus de Szechen Nicolaus filius Bani de Galgocz (*b*).
„ Nicolaus filius Blaſii de

„ Domini de Pelſeöcz.
„ Emericus de Derenchen.
„ Joannes filius Emerici de Peren.
„ Emericus de Palocz.
„ Domini de Homona.
„ Nicolaus de Kahmo.
„ Henricus & Demetrius de Berzencze.
„ Paulus Kompolt.
„ Kwkalffus. (Rykalphus)
„ Joannes Sudar.

Gyar-

Gyarmath.
„ Petrus & Joannes Forgach.
„ Rubertus de Thár.
„ Filii Noffri.
„ Stephanus de Aran.
„ Stiborius.
„ Joannes filius Jacobi.
„ Michael Ernye.
„ Osvaldus de Zelchen.
„ Stephanns Saffar.
„ Sebaſtianus de Degh.
„ Magiſter Tavernicorum.
„ Frank de Semſe.
„ Nicolaus & Georgius Soos.
„ Andreas de Budamer.
„ Georgius de Agaád.
„ Tomoteus de Neſa.
„ Frank de Szech.
„ Ladislaus de Kaniſa.
„ Ladislaus Petheo.
„ Mathias de Hathvan.
„ Leuſtacius & alii Nobiles de Serk (*c*).

(*a*) Debuit Sigismundo expeditio contra Huſſitas maxime cordi eſſe. Contra hos enim maximam copiarum partem deſtinat, utpote 28. Comitatus, & plurima Banderia.

(*b*) Legendum videtur: Nicolaus filius Bani de Galgocz. Forte jam tum, Præfecti finitimorum Caſtrorum, titulum *Bani*, ambitioſe affectarunt. Forte *Galgoczium* pro finitimo adverſus Huſſitas, & Bohemos Caſtro reputabatur. Forte tota hæc Stirps *de Galgocz* ſcribebatur; *Nicolai* autem Parens, realem alicubi Banatum geſſerit. Alterutrum certe horum fieri debuit, ſecus enim expreſſio illa: *Bani de Galgocz* non poteſt explicari.

(*c*) Univerſim in Regeſto hoc attentionem meretur. 1. Quod Banderia Epiſcoporum Croatiæ, ſeorſim a reliquis, ut dicitur, *Regni hujus Potentiis*, non exprimantur, uti id in Hungaria, & Sclavonia factum eſt. Illos enim ad ſervanda Banderia perinde adſtrictos ſuiſſe conſtat.

2. Quod Vaczienſis Epiſcopi Banderium in Regeſto hoc non exprimatur, forte ſicut aliquos bis repeti vidimus, ita hic errore ſcribæ emanſerit.

3. Quod in omnibus reliquis diviſionibus ſingulo Banderiato optimati, aut integrum Banderium, aut certus equitum numerus adſcribatur, in ſola

hac, quæ contra Huſſitas deſtinabatur, diviſione 37. familiæ recenſeantur, quibus nullus militum numerus præſcribitur. Idem poſtea fit in Regeſto Wladislai 1498. Art. XXII. ubi 36. familiæ eodem modo recenſentur. Si illa, Articuli hujus clauſula: *qui . . ſecundum numerum Jobagyionum ſuorum exercituare tenebuntur*, rite expendatur, una vero id in conſiderationem ſumatur, quod reliqui 4. *minores Nobiles* ſub nomenclatione reſpectivorum Comitatuum alioquin comprehendantur, confirmabitur deprompta ſupra ad Articulum IV. conjectura noſtra, quod hæ Procerum familiæ *formalia Banderia*, quæ e Populo ab omni alia præſtatione libero conflabantur, non habuerint, ut tamen ambitioni eorum aliquid deferatur, conceſſum iis fuerit, ut obvenientem a Bonis ſuis *portalem militem* ſub proprio Banderio educere poſſint; denique

4. Si Regeſtum hoc cum Wladislaiano conferatur, apparebit, quanta intra hos 69. annos in familiis Procerum mutatio interceſſerit. Nulli jam ſub Wladislao Comites de *Modra*, *Segniæ*, & *Czetinæ*, cum Banderio comparent. Ipſi Comites *Corbaviæ*, jam ad numerum colonorum, id eſt portalem militem reducuntur. E 43. quæ in Sigismundæo Regeſto nominantur, Procerum familiis, tantum 12. nempe Comitum a *Bozin*, a *S. Georgio* de *Peren* de *Palsöcz*, de *Rozgon*, de *Hedervara*, de *Palocz*, de *Kaniſa*, de *Homona*, de *Szeech* & de *Kompolt*, in Wladislaiano, comparent. Reliquæ omnes novæ ſunt, niſi forte Cognomina mutaverint, aut ad illas referantur, quæ in Sigismundæo tantum per ly: *Filius T.* exprimuntur.

Ipſe *Banus Machovienſis* in Wladislaiano Regeſto jam non comparet, & vicem ejus occupaſſe videtur *Comes Temeſſienſis*.

Art.

Digitized by Google

Art. XXXIII. „Item quamvis Regia Majeſtas,
„ & Regnum Hungariæ a dictis partibus habeat Gueras, tamen quia nunc inter ſuam Majeſtatem, & Florentinos ſperat eadem Majeſtas, quod etiam Veneti per medium Florentinorum concordabunt cum Sua Majeſtate, qua habita ſperat Sua Majeſtas, quod poterit nedum totam Turciam, imo verius totam Italiam relinquere in bona pace, & tranquillitate, & ſi habebitur concordia cum Venetis, hæ Gentes, quæ contra ipſos ſunt deputatæ, poterunt, libere ſe contra alios divertere, ſi vero non concordaverint, tunc Sua Regia Majeſtas vult, ut omnes Gentes, quibus per Suam Majeſtatem ſcriptum eſt, intrent primam fori Julii, in quarum medio, in ipſam primam fori Julii etiam Majeſtas Sua perſonaliter proficiſcetur, ad gerenda bella contra Venetos, & ſi cum Turcis, vel Huſſitis concordia habebitur, & commode fieri poterit, tunc vult Sua Majeſtas, quod etiam de illis partibus contra Turcos, vel Huſſitas deputati, quanto plures poterunt, tanto plures ipſam propriam (fors primam ut paulo ante) fori Julii intrent.

Aperit hic mentem ſuam Sigismundus, qualiter diviſarum hac ratione Regni copiarum uſus fieri debeat. Nimirum, ſi cum Venetis tranſigi poterit, deſtinatæ contra illos copiæ alio convertantur. Si id non ſuccedat, & cum Turca pax confici poſſit, tunc deſignatæ etiam contra hunc copiæ, in illos convertantur, & prima irruptio fiat in forum Julium, cui Rex ipſe ſe ad futurum declarat.

Art. XXXIV. „Item de Huſſitis ſpes bona habetur, quod per Sacrum Conſilium Baſileenſe ipſi Huſſitæ in Spiritualibus ad obediendum S. Eccleſiæ, & in Temporalibus ad obediendum Suæ Majeſtati re-

„ ducen-

„ ducentur, quod ſi ſic factum fuerit, ſicut ſperatur,
„ tunc & illæ Gentes contra Huſſitas deputatæ pote-
„ runt contra alios Inimicos Regis & Regni ſe conver-
„ tere.

Idem diſponit, in caſum, quo cum Huſſitis res componetur. Nimirum, ut deſtinatæ in hos copiæ in alios convertantur.

Art. XXXV. „ Habetur etiam tractatus de Treu-
„ gis ineundis cum Turcis, quæ ſi factæ fuerint, non
„ erit opus contra ipſos Turcas aliquam potentiam mo-
„ vere, & ſic potentia tota, ſeu illa, quæ contra Tur-
„ cos eſt, deputata, poterit converti contra alios Ini-
„ micos Regni Hungariæ hoſtiliter invadendos, & ſi cum
„ quocunque ex prædictis concordia habebitur, talis
„ potentia, quæ deputata fuit, contra talem, qui con-
„ cordat, ſe poterit convertere ad partem cum Sua
„ Majeſtate, & Regno concordare nolentem.

Repetit hic in genere, ut cum quocunque demum hoſte pax ineatur, deſtinatæ contra illum copiæ in alios convertantur.

Art. XXXVI. „ Caſu autem quo favente altiſſimo
„ cum quolibet prædictorum concordia fiet, ſicut ſpe-
„ ratur, tunc licet ut prædictæ Gentes ad præſens ab
„ omni exercituatione penitus conquieſcant, & ſint
„ ſupportatæ, verum tamen utile eſt, & valde neceſſa-
„ rium, in omnem eventum Regni pro futura defen-
„ ſione ſuper exercituatione facienda, nunc omnino
„ diſpoſitio fiat, ut tempore neceſſitatis occurrente,
„ Nobiles quarumlibet partium, & Regnicolæ ſciant,
„ ad quas partes reſpectum habeant, & ſe conſervare
„ debeant, pro Regni defenſione facienda, & præci-
„ pit, atque mandat Majeſtas Sua per Prælatos, & Ba-
„ rones diſponi, ſicut et in præcedentibus ſcriptum eſt,
„ quantum dari debeat pro qualibet lancea ad ratio-

„ nem

„ nem floreni auri, & quod etiam exercituantes tem-
„ pore, quo ſe levant, & in Exercitum proficiſcuntur,
„ & ab illo revertuntur, neminem lædere, & offende-
„ re, & in ſuis Bonis damnificare præſummant, &
„ quod tempore, ſeu die conſtituto, omnes exerci-
„ tuantes in loco deputato conſtitui teneantur, diſpo-
„ nant etiam, ut quamdiu neceſſe fuerit, in loco ne-
„ ceſſario debeant remanere, & decernere pænas con-
„ tra hos, qui in aliquo præmiſſorum contrarium fa-
„ cere præſumpſerint, quovis modo.

Concludit Sigismundus, ut etiamſi cum omnibus Inimicis Pax ineatur, Status tamen de propoſitionibus ſuis, quas hic compendio repetit, certi quid concludant, ad hoc, ut Regnum paratam in omnem eventum habeat proviſionem. Cum Sigismundus tantam per totum hoc Inſtrumentum ſollicitudinem de eo remonſtret, Status autem, usque ejus reditum, de propoſitionibus his nil concluſiſſe, ſupra oſtenſum ſit, jam quidem vix dubitari poteſt, quod eas mox cum reditu ſuo reſumpſerit, indeque enatum ſit ejus Decretum V. uti ad Art. XXVII. ſupra ſtatuimus.

In hoc Regeſto Art. XXIX. & ſeqq. in exemplaribus, quæ nactus ſum, non exponitur, quem quisque Comitatuum, & aliorum Banderiatorum equitum numerum educendum habuerit, exponitur vero id in memorato jam extractu Telegdiano; in quo præterea nonnullæ variantes occurrunt, quarum non aliam rationem eſſe puto, quam quod Telegdius antiquum aut exemplar, aut Codicem, a Feſtetichiano certe diverſum nactus fuerit, in quo Regeſtum Sigismundi cum numero Equitum

Ban-

Banderiatorum reperit, & ex eo hanc diviſionem non ſenſualiter excerpſerit, ſed ut eam invenit, ad ſuum Codicem fideliter tranſcripſit, quæ tanto utilior eſt, quod numerum equitum cujusvis Banderiati Lector inde videre poſſit, qui in Regeſto Codicis Feſtetichiani forte Librarii oſcitantia expreſſus non eſt. Ceterum prima ſuſpicio mea, quam ſuperius inſinuavi, extractum iſtum me primo obtutu pro hiſtorica relatione, quomodo nimirum erga propoſitiones Sigismundi Gentes exercituantes re ipſa diviſæ fuerint, habuiſſe, cum his omnibus non incongrue conciliari, quin imo aliqua in parte verificari poſſe videtur. In ipſo nimirum Regeſto, ut illud juſſu Regis ad Comitatus expeditum fuit, poterat quidem Prælatis, Baronibus officioſa Banderia tenentibus, & nonnullis principalibus Familiis, quæ Banderia quocunque titulo educere conſueverunt, certus numerus educendarum Gentium ſpecifice præſcribi, prout etiam factum eſt, ſed de Comitatibus iſtud adhuc tunc tanto minus fieri poterat, quod Articulo III. de eo adhuc primo conſultandum Rex proponat, *quot de quolibet Comitatu mitterentur numero pharetrarii equeſtres ſecundum facultatem cujuslibet Comitatus, de Nobilibus autem Jobagyiones habentibus Art. IV. fieret in quolibet Comitatu per Nobilium Communitatem certa limitatio, ſecundum limitationem facultatum, quanti homines mitti deberent.* Ex his primum numerus pro quolibet Comitatu definiendus erat, in Regeſto proin-

de

de nondum exponi potuit. Numerus igitur, qui in extractu Telegdiano ſingulis Comitatibus in ſpecie adjicitur, ſerius alicui exemplari ipſius Regeſti, nimirum poſt factam ad ſenſum Art. III. & IV. conſcriptionem facultatum, & limitationem, ſeu repartitionem, quot cuique Comitatui ſtatuendæ gentes obveniant, inſcriptus fuerit, ex quo deinde Telegdi vel alter extractus hujus, qui jam in Codice Nadasdiano Anni 1558. habetur, Autor, eundem deſumſerit. Atque hinc novum ad aſſerendam Regeſto Sigismundi autoritatem duci poteſt argumentum, cum illud re ipſa in Comitatibus aſſumtum, & ſecundum ejus præſcriptum gentes ad exercituandum deſtinatæ fuerint, prout iſtud, certe non ſine fundamento conſcriptum hoc adminus hiſtoricum antiquitatis monumentum aperte refert. Utcunqne iſta ſint, tantum abeſt, ut pro informi & infideli extractu, quem imperita manus tardius efformaſſet, & quo Lector velut in aliquot locis ab ipſo Regeſto differente facile confundi poſſet, habendus ſit, ut potius Regeſtum hac in parte integritati reſtituat, & plurimum illuſtret, Telegdino vero grates referendæ ſint, quod vel hac ſua diligentia aliquid ſinceri, forte ex ipſo exemplari ad Comitatus expedito deſumtum ſaltem dum certiora detegamus, nobis conſervaverit, nec enim dubito, quin iſte ita dictus extractus ex Codice Telegdiano ad Feſtetichianum, in quo Regeſtum ipſum jam præmiſſum fuit, alio loco velut aliquid ab eo diverſum dimanaverit. Forte Codex

MS.

MS. Thomæ de Nadad Palatini Anni 1558. quem in *ſubſidiis* recenſebo, proximam cum Telegdiano affinitatem habet. Ita vero ibi habetur:

„Tempore Sigismundi Regis Ungariæ, qui etiam „ Romanorum Imperator fuit, Regnum ipſum Ungariæ, „ plures ex diverſis partibus habuit inimicos, propterea „ Rex ipſe ex conſilio Dominorum Regnicolarum ſuo„ rum ordine infraſcripto diviſerat gentes ſuas, & Do„ minorum Regnicolarum, qui omnes de Regno exire „ potuerunt.

§. 1. „Et primo militabant verſus mare Adriaticum, „ contra Turcos, & eis adherentes.

„ A parte Maris Adriatici, & Dalmatiæ iſti militabant.

„ Banderium Regale Equites	M.
„ Banus Croatiæ Banderium	1
„ Raguſium cum ſua potentia	—
„ Comes Corbaviæ Banderium	1
„ Comes Cetinæ Banderium	1
„ Comes Segniæ Banderium	1

„ Totum Regnum Sclavoniæ, Croatiæ, & Walachii „ in eo exiſtentes cum potentiis eorum.

§. 2. „Ittem verſus fluvium Wy (*a*) militabant iſti:

„ Banus Sclavoniæ Banderium	1
„ Prior Auranæ Banderium	1
„ Epiſcopus Zagrabienſis Banderium	1
„ Laurentius Tah (1) Banderium	1
„ Domini de Blagay Banderium	1

(*a*) Codex MS. Nadasdianus habet *Wn*, & ut videtur, recte. Memorat eundem hoc ipſo nomine Eliſabeth Regina in Inſtrumento Anni 1440. apud Katona Hiſt. Crit. T. XIII. pag. 17. lin. 1. & ita legendum eſt etiam in Regeſto Art. XXIX. puto autem non alium Fluvium quam Wunnam, ſeu Un-

Unnam deſignari. Atque ita Lector inter conjecturas, ſeu *Wy*, ſeu *Wn* utrumque realem fluvium eligat.

(1) Cod. Nadasd. *Thot.*

§. 3 „ Item ad partes Vzuræ militabant iſti Deſpotus: cum octo millia Equitum.

„ Comes de Poſega Equites	100
„ Epiſcopus Quinqueeccleſierſis Banderium .	1
„ Bulgaria quatuor millia Equitum	—
„ Epiſcopus Boznenſis Equites	100
„ Filii *Boros* (1) Equites	100
„ Joannes de Gara Equites 100. (2) Banderium	1
„ Petrus Cheh de Leva Equites 100. Bander. (3)	1
„ Bani Machovien Equites	400
„ Johannes filius Gregorii Banderium . . .	1
„ Mathko ratione Zrebernik Equites . . .	M.
„ Jo Banus de Maroth Equites	M.
„ Henricus filius Wayvodæ Equites . . .	100
„ Geor. Lorand de Serke Equites (4) . . .	100
„ Comitatus Zagrabienſis.	
„ Comitatus Criſien.	
„ Comitatus Warasdien.	

(1) Cod. Nadasd. *Bothos.*
(2) Cod. Nadasd. *Equites* 100. deletum.
(3) Cod. Nadasd. *Nema Equites* 100. deletum.
(4) Cod Nadasd. *Herke.*

§. 4. „ Univerſi Status (*a*) Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavo„niæ. Item Bozna & partes ejus, ~~item~~ ducatus „ Sancti Sabae conſtabat, armatorum novem mil„lium.

„ Comitatus de Werewcze	200 (1)
„ Comitatus Simigien.	500
„ Comitatus Zaladien.	600
„ Comitatus de Baronya	500
„ Comitatus Bachien.	500

„ Co-

„ Comitatus de Poſega	300 (2)
„ Comitatus de Walko	200
„ Comitatus de Bodrog	300
„ Comitatus Syrmien	200
„ Comitatus Tholnen.	200

(*a*) Cod. Nadasd. *Univerſitas.*

(1) Cod. Nadasd. videtur eſſe correctum tantum *centum.*

(2) Cod. Nadasd. videtur eſſe correctum tantum *ducentos.*

§. 5. „Item verſus Theomeoskewz (*a*) militabant iſti:

„ Archiepiſcopus Colocen. Banderium . . .	1
„ Epiſcopus Waradien. Banderium	1
„ Banderium Regale Equites	M.
„ Epiſcopus Chanadien. Equites	200
„ Walachi Philiſtei & Comani	200
„ Comitatus Themeſien.	200
„ Comitatus de Kewe	100
„ Comitatus de Zarand.	300
„ Comitatus Orodien.	100
„ Comitatus Chanadien.	300
„ Comitatus de Thorontal.	100
„ Comitatus Craſſo.	100
„ Comitatus Chongradien.	200

(*a*) Cod. Nadasd. *Themeskewz.*

§. 6. „Item verſus Tranſylvaniam militabant iſti:

„ Banderium regale Equites	M.
„ Epiſcopus Tranſylvanien. Banderium . .	1
„ Wayvoda Tranſylvanien. Banderia	2
„ Wayvoda Moldavus & Transalpinus cum omnibus ſuis paneratis decem Millia (1).	
„ Saxones & Siculi	4000
„ Nobilitas Tranſylvanien. tota	3000
„ Comitatus Byhorien.	600

„ Co-

„ Comitatus Bekes.	200
„ Comitatus Zatthmarien.	200
„ Comitatus Zabolch.	200
„ Comitatus Wgocha	100
„ Comitatus Maromaroſien.	50
„ Comitatus Beregh.	100
„ Comitatus Krazna	100
„ Comitatus uterque Zolnok	400

(1) *Vajvodæ* Moldavus & Transalpinus Pancerinatos *duo* Millia ita habetur in Cod. Nadasd.

§. 7. „Ittem contra Germaniam & Hwzyſtas militabant iſti videlicet. (*a*)

„ Regia Majeſtas perſonaliter 4000 Equitibus.

„ Archiepiſcopus Strigonien. Banderia	2
„ Epiſcopus Agrien. Banderia	2
„ Comes de Sancto Georgio Banderium	1
„ Comes Stiborius Banderia	2
„ Ladislaus de Zechen Equites	100
„ Emericus de Derenchen	50
„ Emericus de Palocz	100
„ Nicolaus de Kahmo	50
„ Henricus de Berzencze & Demetrius de eadem	50
„ Johannes Zwdar	50
„ Simon Zwdar	50
„ Nicolaus & Geor Sos	50
„ Georgius de Agard	50
„ Frank de Zeez (1)	100
„ Ladislaus Pethew	50
„ Euſtathius de Serk	50
„ Nicolaus de Gyarmath	50
„ Robertus de Thar	50
„ Stephanus de Aran	50
„ Johannes filius Jacobi	100
„ Osvaldus de Zechen	50
„ Domini de Homonna	200

„ Pau-

„	Paulus Kompolt	100
„	Jo. filius Emerici de Peren	200
„	Domini de Pelſewcz	200
„	Sebaſtianus de Dergh	50
„	Magiſter Thavernicorum	50
„	Stephanus Saffar	50
„	Michael Erhye	50
„	Filii Noffry	50
„	Czoborius	50
„	Petrus & Jo. Forgach	50
„	Nico. filius Bani de Galgocz	100
„	Comitatus Sopron.	100
„	Comitatus Jaurien.	100
„	Comitatus Weſprimien.	100
„	Comitatus Pyliſien.	50
„	Comitatus Moſonien.	25
„	Comitatus Nittrien. & Thwrocz	600
„	Comitatus Liptovien. & Scepuſien.	200
„	Comitatus Zemplinien. & Borſodien.	300
„	Comitatus Geomeorien. & Heweſien.	400
„	Comitatus Caſtriferrei & Alben.	1000
„	Comitatus Strigonien. Comaromien.	200
„	Poſonien. Thrinchinien. Arwa	300
„	Zolien. Saros. Abawyvarien.	600
„	Tholna Newgradien. Peſthien.	1000
„	Comitatus Honten. & Bereg. (2) (*)	100

(*a*) Ita habetur in Cod. Nadasd. Item verſus Germaniam contra Huzyſtas.

(1) Cod. Nadasd Zechen en *recentiori manu ſcriptum.*

(2) Cod. Nadasd e *recentiori manu additum.*

§ 8. „ Ittem pro cuſtodia Arcis Poſonien. militabant iſti:

„ Epiſcopus Jaurien. Lancearum 50

„ Epi-

(*) Certum quidem eſt quod *Bars* debeat eſſe, ſed etiam in Codice ipſo eſt *Beregh.*

„ Epiſcopus Weſprimien. Lan. 50
„ Abbas Sancti Martini Lan. 25
„ Domini de Hederwara. 100

In hac Diviſione, uti & Regeſti Art. XXVIII. & ſeqq. tantum Comitatus, Prælati, & Proceres Banderiati ſpeciatim recenſentur, de aliis jurisdictionibus, & communitatibus, ut ſunt: Jazyges, Cumani, Saxones, Liberæ Regiæ Civitates, Oppida privilegiata, pluresque aliæ, quæ titulo conceſſarum ſibi prærogativarum, & immunitatum excercituare tenebantur, fortaſſis Rex ideo nihil commemorat, quod cum hæc arbitrio regnicolarum decidenda, vel aliter ordinanda reliquerit, illos, quibus cum ſolus plenum & omnimodum diſponendi jus habebat, ſibi in omnem caſum reſervaverit, ut quo neceſſitas poſtularet, eo ipſos inviaret. Mox vero talis caſus emerſit, occupata enim Szakolcza, Tyrnavia, & aliis vicinis locis Huſſitæ jam Caſtro Poſonienſi imminebant, a cujus conſervatione ſalus totius late patentis viciniæ dependebat. Sigismundus de periculo edoctus ſine mora Poſonio defendendo ſubſidia e reſervatis illis privilegiatis communitatibus deſtinavit, uti e ſequenti Inſtrumento jam ſæpius in ſuperioribus commemorato ex Coll. Dipl. MS. Cornideſiana, qui ſe illud ex copia antiqua deſumſiſſe profitetur, edito apud Katona Hiſt. Crit. Tom. XII. p. 603. patebit.

„ Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex ſemper
„ Auguſtus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex. Magnifice fideles ſincere dilecti. Audien-

Banderiatorum reperit, & ex eo hanc diviſionem non ſenſualiter excerpſerit, ſed ut eam invenit, ad ſuum Codicem fideliter tranſcripſit, quæ tanto utilior eſt, quod numerum equitum cujusvis Banderiati Lector inde videre poſſit, qui in Regeſto Codicis Feſtetichiani forte Librarii oſcitantia expreſſus non eſt. Ceterum prima ſuſpicio mea, quam ſuperius inſinuavi, extractum iſtum me primo obtutu pro hiſtorica relatione, quomodo nimirum erga propoſitiones Sigismundi Gentes exercituantes re ipſa diviſæ fuerint, habuiſſe, cum his omnibus non incongrue conciliari, quin imo aliqua in parte verificari poſſe videtur. In ipſo nimirum Regeſto, ut illud juſſu Regis ad Comitatus expeditum fuit, poterat quidem Prælatis, Baronibus officioſa Banderia tenentibus, & nonnullis principalibus Familiis, quæ Banderia quocunque titulo educere conſueverunt, certus numerus educendarum Gentium ſpecifice præſcribi, prout etiam factum eſt, ſed de Comitatibus iſtud adhuc tunc tanto minus fieri poterat, quod Articulo III. de eo adhuc primo conſultandum Rex proponat, *quot de quolibet Comitatu mitterentur numero pharetrarii equeſtres ſecundum facultatem cujuslibet Comitatus, de Nobilibus autem Jobagyiones habentibus Art. IV. fieret in quolibet Comitatu per Nobilium Communitatem certa limitatio, ſecundum limitationem facultatum, quanti homines mitti deberent.* Ex his primum numerus pro quolibet Comitatu definiendus erat, in Regeſto proinde

de nondum exponi potuit. Numerus igitur, qui in extractu Telegdiano ſingulis Comitatibus in ſpecie adjicitur, ſerius alicui exemplari ipſius Regeſti, nimirum poſt factam ad ſenſum Art. III. & IV. conſcriptionem facultatum, & limitationem, ſeu repartitionem, quot cuique Comitatui ſtatuendæ gentes obveniant, inſcriptus fuerit, ex quo deinde Telegdi vel alter extractus hujus, qui jam in Codice Nadasdiano Anni 1558. habetur, Autor, eundem deſumſerit. Atque hinc novum ad aſſerendam Regeſto Sigismundi autoritatem duci poteſt argumentum, cum illud re ipſa in Comitatibus aſſumtum, & ſecundum ejus præſcriptum gentes ad exercituandum deſtinatæ fuerint, prout iſtud, certe non ſine fundamento conſcriptum hoc adminus hiſtoricum antiquitatis monumentum aperte refert. Utcunqne iſta ſint, tantum abeſt, ut pro informi & infideli extractu, quem imperita manus tardius efformaſſet, & quo Lector velut in aliquot locis ab ipſo Regeſto differente facile confundi poſſet, habendus ſit, ut potius Regeſtum hac in parte integritati reſtituat, & plurimum illuſtret, Telegdino vero grates referendæ ſint, quod vel hac ſua diligentia aliquid ſinceri, forte ex ipſo exemplari ad Comitatus expedito deſumtum ſaltem dum certiora detegamus, nobis conſervaverit, nec enim dubito, quin iſte ita dictus extractus ex Codice Telegdiano ad Feſtetichianum, in quo Regeſtum ipſum jam præmiſſum fuit, alio loco velut aliquid ab eo diverſum dimanaverit. Forte Codex

MS.

MS. Thomæ de Nadad Palatini Anni 1558. quem in *ſubſidiis* recenſebo, proximam cum Telegdiano affinitatem habet. Ita vero ibi habetur:

„Tempore Sigismundi Regis Ungariæ, qui etiam
„ Romanorum Imperator fuit, Regnum ipſum Ungariæ,
„ plures ex diverſis partibus habuit inimicos, propterea
„ Rex ipſe ex conſilio Dominorum Regnicolarum ſuo-
„ rum ordine infraſcripto diviſerat gentes ſuas, & Do-
„ minorum Regnicolarum, qui omnes de Regno exire
„ potuerunt.

§. 1. „Et primo militabant verſus mare Adriaticum,
„ contra Turcos, & eis adherentes.

„ A parte Maris Adriatici, & Dalmatiæ iſti militabant.
„ Banderium Regale Equites . . . . M.
„ Banus Croatiæ Banderium 1
„ Raguſium cum ſua potentia . . . . —
„ Comes Corbaviæ Banderium 1
„ Comes Cetinæ Banderium 1
„ Comes Segniæ Banderium 1
„ Totum Regnum Sclavoniæ, Croatiæ, & Walachii
„ in eo exiſtentes cum potentiis eorum.

§. 2. „Ittem verſus fluvium Wy (*a*) militabant iſti:

„ Banus Sclavoniæ Banderium 1
„ Prior Auranæ Banderium 1
„ Epiſcopus Zagrabienſis Banderium 1
„ Laurentius Tah (1) Banderium 1
„ Domini de Blagay Banderium 1

(*a*) Codex MS. Nadasdianus habet *Wn*, & ut videtur, recte. Memorat eundem hoc ipſo nomine Eliſabeth Regina in Inſtrumento Anni 1440. apud Katona Hiſt. Crit. T. XIII. pag. 17. lin. 1. & ita legendum eſt etiam in Regeſto Art. XXIX. puto autem non alium Fluvium quam Wunnam, ſeu

Un-

Digitized by Google

Unnam deſignari. Atque ita Lector inter conjecturas, ſeu *Wy*, ſeu *Wn* utrumque realem fluvium eligat.

(1) Cod. Nadasd. *Thot.*

§. 3 „ Item ad partes Vzuræ militabant iſti Deſpotus: cum octo millia Equitum.

„ Comes de Poſega Equites	100
„ Epiſcopus Quinqueeccleſierſis Banderium .	1
„ Bulgaria quatuor millia Equitum	—
„ Epiſcopus Boznenſis Equites	100
„ Filii *Boros* (1) Equites	100
„ Joannes de Gara Equites 100. (2) Banderium	1
„ Petrus Cheh de Leva Equites 100. Bander. (3)	1
„ Bani Machovien Equites	400
„ Johannes filius Gregorii Banderium . . .	1
„ Mathko ratione Zrebernik Equites . . .	M.
„ Jo Banus de Maroth Equites	M.
„ Henricus filius Wayvodæ Equites . . .	100
„ Geor. Lorand de Serke Equites (4) . . .	100
„ Comitatus Zagrabienſis.	
„ Comitatus Criſien.	
„ Comitatus Warasdien.	

(1) Cod. Nadasd. *Bothos.*
(2) Cod. Nadasd. *Equites* 100. deletum.
(3) Cod. Nadasd. *Nema Equites* 100. deletum.
(4) Cod Nadasd. *Herke.*

§. 4. „ Univerſi Status (*a*) Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavo-
„ niæ. Item Bozna & partes ejus, ~~item~~ ducatus
„ Sancti Sabae conſtabat, armatorum novem mil-
„ lium.

„ Comitatus de Werewcze	200 (1)
„ Comitatus Simigien.	500
„ Comitatus Zaladien.	600
„ Comitatus de Baronya	500
„ Comitatus Bachien.	500

„ Co-

„ Comitatus de Poſega	300 (2)
„ Comitatus de Walko	200
„ Comitatus de Bodrog	300
„ Comitatus Syrmien	200
„ Comitatus Tholnen.	200

(*a*) Cod. Nadasd. *Univerſitas.*

(1) Cod. Nadasd. videtur eſſe correctum tantum *centum.*

(2) Cod. Nadasd. videtur eſſe correctum tantum *ducentos.*

§. 5. „Item verſus Theomeoskewz (*a*) militabant iſti:

„ Archiepiſcopus Colocen. Banderium	1
„ Epiſcopus Waradien. Banderium	1
„ Banderium Regale Equites	M.
„ Epiſcopus Chanadien. Equites	200
„ Walachi Philiſtei & Comani	200
„ Comitatus Themeſien.	200
„ Comitatus de Kewe	100
„ Comitatus de Zarand.	300
„ Comitatus Orodien.	100
„ Comitatus Chanadien.	300
„ Comitatus de Thorontal.	100
„ Comitatus Craſſo.	100
„ Comitatus Chongradien.	200

(*a*) Cod. Nadasd. *Themeskewz.*

§. 6. „Item verſus Tranſylvaniam militabant iſti:

„ Banderium regale Equites	M.
„ Epiſcopus Tranſylvanien. Banderium	1
„ Wayvoda Tranſylvanien. Banderia	2
„ Wayvoda Moldavus & Transalpinus cum omnibus ſuis paneratis decem Millia (1).	
„ Saxones & Siculi	4000
„ Nobilitas Tranſylvanien. tota	3000
„ Comitatus Byhorien.	600

„ Co-

„	Comitatus Bekes.	200
„	Comitatus Zatthmarien.	200
„	Comitatus Zabolch.	200
„	Comitatus Wgocha	100
„	Comitatus Maromaroſien.	50
„	Comitatus Beregh.	100
„	Comitatus Krazna	100
„	Comitatus uterque Zolnok	400

(1) *Vajvodæ* Moldavus & Transalpinus Pancerinatos *duo* Millia ita habetur in Cod. Nadasd.

§. 7. „Ittem contra Germaniam & Hwzyſtas militabant iſti videlicet. (*a*)

„	Regia Majeſtas perſonaliter 4000 Equitibus.	
„	Archiepiſcopus Strigonien. Banderia	2
„	Epiſcopus Agrien. Banderia	2
„	Comes de Sancto Georgio Banderium	1
„	Comes Stiborius Banderia	2
„	Ladislaus de Zechen Equites	100
„	Emericus de Derenchen	50
„	Emericus de Palocz	100
„	Nicolaus de Kahmo	50
„	Henricus de Berzencze & Demetrius de eadem	50
„	Johannes Zwdar	50
„	Simon Zwdar	50
„	Nicolaus & Geor Sos	50
„	Georgius de Agard	50
„	Frank de Zeez (1)	100
„	Ladislaus Pethew	50
„	Euſtathius de Serk	50
„	Nicolaus de Gyarmath	50
„	Robertus de Thar	50
„	Stephanus de Aran	50
„	Johannes filius Jacobi	100
„	Osvaldus de Zechen	50
„	Domini de Homonna	200

„ Pau-

„ Paulus Kompolt	100
„ Jo. filius Emerici de Peren	200
„ Domini de Pelſewcz	200
„ Sebaſtianus de Dergh	50
„ Magiſter Thavernicorum	50
„ Stephanus Saffar	50
„ Michael Erhye	50
„ Filii Noffry	50
„ Czoborius	50
„ Petrus & Jo. Forgach	50
„ Nico. filius Bani de Galgocz	100
„ Comitatus Sopron.	100
„ Comitatus Jaurien.	100
„ Comitatus Weſprimien.	100
„ Comitatus Pyliſien.	50
„ Comitatus Moſonien.	25
„ Comitatus Nittrien. & Thwrocz	600
„ Comitatus Liptovien. & Scepuſien. . .	200
„ Comitatus Zemplinien. & Borſodien. . .	300
„ Comitatus Geomeorien. & Heweſien. . .	400
„ Comitatus Caſtriferrei & Alben.	1000
„ Comitatus Strigonien. Comaromien. . .	200
„ Poſonien. Thrinchinien. Arwa	300
„ Zolien. Saros. Abawyvarien.	600
„ Tholna Newgradien. Peſthien.	1000
„ Comitatus Honten. & Bereg. (2) (*) . .	100

(*a*) Ita habetur in Cod. Nadasd. Item verſus Germaniam contra Huzyſtas.

(1) Cod. Nadasd Zechen en *recentiori manu ſcriptum.*

(2) Cod. Nadasd e *recentiori manu additum.*

§ 8. „ Ittem pro cuſtodia Arcis Poſonien. militabant iſti:

„ Epiſcopus Jaurien. Lancearum 50

„ Epi-

(*) Certum quidem eſt quod *Bars* debeat eſſe, ſed etiam in Codice ipſo eſt *Beregh.*

Digitized by Google

„ Epiſcopus Wesprimien. Lan. 50
„ Abbas Sancti Martini Lan. 25
„ Domini de Hederwara. 100

In hac Diviſione, uti & Regeſti Art. XXVIII. & ſeqq. tantum Comitatus, Prælati, & Proceres Banderiati ſpeciatim recenſentur, de aliis jurisdictionibus, & communitatibus, ut ſunt: Jazyges, Cumani, Saxones, Liberæ Regiæ Civitates, Oppida privilegiata, pluresque aliæ, quæ titulo conceſſarum ſibi prærogativarum, & immunitatum excercituare tenebantur, fortaſſis Rex ideo nihil commemorat, quod cum hæc arbitrio regnicolarum decidenda, vel aliter ordinanda reliquerit, illos, quibus cum ſolus plenum & omnimodum diſponendi jus habebat, ſibi in omnem caſum reſervaverit, ut quo neceſſitas poſtularet, eo ipſos inviaret. Mox vero talis caſus emerſit, occupata enim Szakolcza, Tyrnavia, & aliis vicinis locis Huſſitæ jam Caſtro Poſonienſi imminebant, a cujus conſervatione ſalus totius late patentis viciniæ dependebat. Sigismundus de periculo edoctus ſine mora Poſonio defendendo ſubſidia e reſervatis illis privilegiatis communitatibus deſtinavit, uti e ſequenti Inſtrumento jam ſæpius in ſuperioribus commemorato ex Coll. Dipl. MS. Cornideſiana, qui ſe illud ex copia antiqua deſumſiſſe profitetur, edito apud Katona Hiſt. Crit. Tom. XII. p. 603. patebit.

„ Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex ſemper „ Auguſtus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex. Magnifice fideles ſincere dilecti. Audien-

 tes

„ tes quod Caſtrum & Civitas Poſonienſis propter Huſ-
„ ſitarum ſævas inſultationes pluribus jam ſubjaceret
„ periculis, & volentes ipſorum cuſtodiæ, & defen-
„ ſioni, quantum in nobis eſt opportune providere, diſ-
„ poſuimus animo deliberato, ut etiam Civitates no-
„ ſtræ regales, nec non Nobiles decem lanceatorum
„ terræ Scepuſienſis, pro commoda locorum defenſio-
„ ne, & cuſtodia ſuccurſus, & auxilia præbeant, prout
„ ex Regiſtro præſentibus involuto poteritis vobis ple-
„ nius & latius ſuperinde informare. Quapropter vo-
„ lumus & vobis præcipimus, quatenus reſpectu ſolu-
„ tionis hujusmodi vobis faciendæ, vos ultra illas gen-
„ tes, quas ſecundum diſpoſitionem per Nos alias vo-
„ bis factam, in dicto Poſonio tenemur conſervare alias
„ gentes, quæ de ſolutione prætactarum Civitatum, nec
„ non Nobilium decem lanceatorum juxta modum in
„ dicto Regiſtro deſcriptum, pro toto anno ſuſtentari
„ poterunt conveniatis, conducatis, & ſtipendietis, vo-
„ bisque ab eisdem Civitatibus, & Nobilibus, quibus ſu-
„ perinde ſcripſimus, ſingillatim eandem ſolutionem in
„ terminis, qui per noſtros in Regno noſtro Hungariæ
„ Vicarios, & Locumtenentes, quibus ſimiliter ſcripſi-
„ mus ſtatuentur & præfigentur, fieri, & exhiberi po-
„ ſtuletis. Datum Senis ſecundo die feſti Purificationis
„ Virginis Mariæ glorioſæ. Anno Domini M. CCCC.
„ XXXIII. Regnorum noſtrorum anno Hungariæ &c.
„ XXVI. Romanorum XXIII. & Bohemiæ XIII.

„ Adjutorium per Dominum Regem ad Poſonium
„ deputatum.

„ Vult Majeſtas Regia, ut pro conſervatione & cu-
„ ſtodia Caſtri Poſonienſis Civitates Regales infraſcri-
„ ptæ faciant adjutorium, & ſubſidium modo infraſcripto.

„ Civitas Budenſis, Alba Regalis, Strigonienſis,
„ Sopronienſis, Caſſovia, Epperies, Bartpha, Civitas
„ Terræ Scepuſienſis erga manus Regiæ Majeſtatis exi-
„ ſten. Epiſcopus Veſprimienſis, Epiſcopus Jaurien. Ab-
„ bas S. Martini, Abbas Pechvaradien.

„ Scri-

„ Scribatur Vicariis, ut propter aliquam neceſſi-
„ tatem aliqua alia agenda non compellantur Cives
„ Budenſes, quia vult Regia Majeſtas, ut pro defenſione
„ Caſtri & Civitatis Poſonienſis iidem pro illis genti-
„ bus decem lancearum, cum quibus ex debito prout
„ in eorum Privilegiis continetur, ad unam regiam
„ expeditionem exercitualem tenentur, debeant ad u-
„ num annum pro conſervando ibidem tantas gentes
„ ſolvere cum pecuniis flor. Mille ſexcentos octvagin-
„ ta auri, & hanc ſolutionem facient quater in Anno
„ de tribus menſibus in tres menſes, in qua ſolutione
„ pro qualibet vice cedunt CCCC. XX. flor. auri.

„ Item quod Civitas Alba Regalis faciat ſolutio-
„ nem ſimiliter quater in anno, pro decem equitibus
„ pharetrariis de tribus menſibus ad tres menſes, quæ
„ ſolutio ad totum annum extendit ſe ad florenos auri
„ CCCC. XX. Et pro qualibet vice quatuor ſolutionis
„ cedunt flor. C. V. auri.

Ad quos mandatum iſtud in Hungaria directum fuerit, non ſatis tute definire poſſumus. Ad Vicarios in abſentia ſui miſſum non fuiſſe, patet ex illa clauſula: *Qui per noſtros, in Regno noſtro Hungariæ Vicarios & Locumtenentes, quibus ſimiliter ſcripſimus, ſtatuentur.*

Anno 1434. Comitia celebrata eſſe, & in Veſtigiis p. 223. dubie indicatum, & ſuperius in notis ad Art. 27. Regeſti præmiſſum eſt. Produco hic tria Diplomata, objectum illud, de quo cumprimis in illis Comitiis actum eſt, concernentia, quæ licet omnia ipſa Comitia non concernant, & præterea duo prima C. Wagner in Dipl. Comit. Saroſſ. p. 3. & 7. & ex illo Katona Hiſt. Crit. T. XII. p. 631. & 641. ediderint, cum ta-

men invicem combinata etiam ad pleniorem notionem poteſtatis executivæ non parum faciant, ac tertium quoque ad eandem materiam pertineat, nondum notum, ſpero ſaltem apud eos Lectores, quibus illa ſuperius nominata opera ad manus non ſunt, eadem huc inſerendo me gratiam initurum, aut ſaltem veniam obtenturum eſſe.

Sigismundi Rom. Imp. & Hung. Regis Mandatum, quo Comitatui Saroſſienſi imponitur, ut Vigeſiman decimarum ab Eccleſiaſticis, Quinquageſimam a ſecularibus, Milleſimam a rebus mobilibus æſtimabilibus, & 6. denarios a perſona nullos certos proventus habente per Concilium Baſileenſe Chriſtianitati pro extirpandis Huſſitis impoſitam exigat, & ſub Comite Parochiali Gentes exercituales expediat 1434.

„Sigismundus Dei Gratia Romanorum Imperator „ ſemper Auguſtus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalma- „ tiæ, Croatiæ &c. Rex fidelibus noſtris grate dilectis „ univerſis & ſingulis Prælatis, Baronibus, Nobilibus, „ & quibusvis poſſeſſionatis hominibus, item Civitati- „ bis & Oppidis, ac quibuscunque poſſeſſionibus tam „ noſtris & reginalibus, quam aliorum quorumcunque „ in quibuslibet Comitatibus Regni noſtri, & ſignan- „ ter in Comitatu de Sarus conſtitutis & exiſtentibus „ Salutem & Gratiam. Quia Sacrum Baſileenſe Con- „ cilium ad exſtirpationem & deſtructionem hæretico- „ rum Huſſitarum de Regno noſtro Bohemiæ ſpeciali- „ ter intendens inter ceteras providas ordinationes pro „ hujusmodi ſalubri negotio feliciter exequendo ſta- „ tuit, & concluſit, ut per totam Chriſtianitatem ſe- „ midecimæ, id eſt vigeſima pars Decimarum, & - -

„ omnium

„ omnium aliorum certorum proventuum annualium
„ ab omni Clero cujusvis Ordinis & libertatis exiſtat,
„ tam exemto, quam non exemto, ab univerſis vero
„ Principibus, Comitibus, Baronibus, Proceribus,
„ Militibus, Clientibus, Civibus, Civiſſis, Familiari-
„ bus, Mancipiis, divitibus, & pauperibus, qui an-
„ nuales proventus & cenſus habent, ſive tales pro-
„ ventus exiſtant in promta pecunia, ſive in vino, bla-
„ do, vel aliis quibuscunque rebus æſtimari, & pre-
„ tiari poſſibilibus quinquageſima pars ſeu quinquage-
„ ſimus Denarius, utpote de 50. florenis unus, de
„ aliis vero rebus mobilibus in promto repoſitis, ut-
„ pote theſauris atque pecuniis ad debita mutuatis, ad
„ valorem juſtum æſtimatis, de 1000. florenis unus,
„ ut ubi 1000. florenis minus, vel majus exiſterent,
„ ſecundum æſtimationem, exceptis tamen equis, ar-
„ mis, & ad ea ſpectantibus argenteis ornatibus & ve-
„ ſtibus, quæ ad perſonas eorum ſpectant, item a qua-
„ libet perſona nullos certos proventus habente 6. De-
„ narii uſuales exigantur, ad congregandas, & ſtipen-
„ diandas Gentes armatas, & alia oportuna remedia
„ deſtruendi, eliminandi, & exſtirpandi hæreticos me-
„ moratos, nosque advertentes, & oculis noſtris viſi-
„ biliter conſpicientes Oratores, Ambaſciatores, & Le-
„ gatos omnium Principum, & Regnorum fere totius
„ Chriſtianitatis in ipſo S. Concilio conſtitutos, præ-
„ tactam ipſius S. Concilii ordinationem nominibus
„ Principum & Regnorum, a quibus miſſi ſunt, affe-
„ ctuoſis voluntatibus acceptaſſe. Gonſiderantes nihilo-
„ minus ipſum Regnum noſtrum Hungariæ vicinius,
„ graviusque non ſolum ipſorum hæreticorum, verum
„ etiam Turcarum, & aliorum noſtrorum æmulorum
„ perturbari, & lacerari, quam alia Regna remotiora,
„ quæ ad eorumdem hæreticorum deſtructionem, &
„ eliminationem anhelando, prædictam impoſitionem,
„ & ordinationem nedum acceptare; verum magis
„ procurare cupierunt, una cum fidelibus & Conſilia-

Digitized by Google

„ riis noſtris nobiſcum hic exiſtentibus mature ſuperin-
„ de deliberantes decrevimus eandem diſpoſitionem
„ noſtro, & Regni noſtri Hungariæ, & aliorum Re-
„ gnorum noſtrorum nominibus rationabiliter acceptan-
„ dam, nec aliqua cauſa honeſta refutare debente, cum
„ in hoc negotio præſertim Regni noſtri Hungariæ,
„ cujus magna pars per inſultus dictorum hæreticorum
„ jam devaſtata eſt, & in locis non mediocribus ho-
„ ſtiliter occupata in hac parte. . . . Fidelitati veſtræ,
„ & veſtrum cuilibet firmiſſimo præcipimus ſub edicto,
„ quatenus ſtatim viſis præſentibus, ac dilationibus &
„ ſubterfugiis procul motis ad prætactam impoſitionem
„ ipſius quinquageſimæ, & aliarum impoſitionum ſu-
„ pra declaratarum vel ſi conſiderata - - - guerrarum
„ Regno noſtro ex parte ipſorum Huſſitarum, & alio-
„ rum æmulorum ingruentium prædicta impoſitio parva
„ fore viſa fuerit extunc majoris impoſitionis ſecun-
„ dum deliberationem Prælatorum, Baronum, & Re-
„ gnicolarum noſtrorum limitandæ ex medio veſtræ
„ univerſitatis certas, & idoneas perſonas fide dignas
„ Nobiles, notabiles, & ſuper præmiſſis rationes dan-
„ di facultatem habentes, qui vobis viſi fuerint, eli-
„ gere, & deputare debeatis, qui videlicet dictas im-
„ poſitiones ab univerſis & ſingulis prænotatis cujusvis
„ ſtatus & conditionis hominibus in dicto Comitatu
„ poſſeſſiones ſeculari jure exigant, & congregent, &
„ de eisdem ſecundum unanimem & concordem ordi-
„ nationem & commiſſionem Vicariorum noſtrorum &
„ veſtram, ceterorumque fidelium regnicolarum no-
„ ſtrorum Gentes, & homines exercituales in rebus bel-
„ licis bene peritos una cum Comite veſtro Parochia-
„ li, quem adjuncto ſibi aliquo de veſtri medio per
„ vos eligendo ipſis Gentibus exercitualibus pro Capi-
„ taneo præeſſe volumus, de veſtri medio ſtipendietis,
„ & appromtuetis taliter, & cum tanta diligentia, ut
„ in æſtate præſenti tempore debito, adverſus dictos
„ hæreticos, & ſi neceſſe fuerit, contra Turcos, &

„ alios

„ alios æmulos una cum eisdem procedere valeant,
„ & Nos, prout Domino duce in brevi propoſuimus,
„ cum auxiliis earumdem Gentium ad deſtructionem
„ dictorum hæreticorum & Turcorum promti eſſe va-
„ leamus providentes tamen, ut ipſi per vos deputati
„ prædictas collectiones pecuniales ſuper ſingulis expen-
„ ſis per eos fiendis non minuent, neque gravent eos,
„ a quibus erunt exigendæ. In generales autem, &
„ pincipales Capitaneos omnium Gentium contra Huſ-
„ ſitas exercituare debentium conſtituimus & præfeci-
„ mus fideles noſtros Magnificos Petrum Cheh de Le-
„ wa, alias Banum noſtrum Machovienſem, ac Stibo-
„ rium de Bolondok, quibus pro eorumdem Banderiis
„ & Gentibus, ſecundum moderationem Prælatorum,
„ Baronum & Regnicolarum noſtrorum de prætactis
„ pecuniis, & impoſitionibus ab Eccleſiaſticis, & Secu-
„ laribus exigendi diſpoſitionem, & ſolutionem fieri vo-
„ lumus competentem; ſub quorum Capitaneatu ad-
„ verſus dictos hæreticos, quoties expediens fuerit,
„ procedere, & eorum commiſſionibus & diſpoſitioni-
„ bus obedire teneantur. Ceterum, cum ex cauſis ani-
„ mum noſtrum inducentibus ſigilla noſtra penes Ma-
„ jeſtatem noſtram reſervanda duximus, fidelitati veſtræ,
„ & cujuslibet veſtrum firmiſſime mandamus, quate-
„ nus univerſas & ſingulas literas noſtras præceptorias
„ nomine noſtro imperiali & regali ſcribendas, ſigil-
„ loque Reverendiſſimi in Chriſto Patris D. Georgii
„ Archiepiſcopi Strigonienſis Vicarii noſtræ Majeſtatis,
„ cui ad id faciendum cum plena noſtra auctoritate
„ mandatum dedimus ſpeciale conſignandas, tamquam
„ proprio noſtro *ſigillatas* omnimodam obedientiam
„ adhibere debeatis; fideli noſtro Comiti dicti Comita-
„ tus hoc idem firmis noſtris dantes in mandatis; &
„ aliud in præmiſſis nullo modo facere præſumatis.
„ Datum in noſtra imperiali Civitate Baſileenſi feria 5.
„ prox. poſt feſtum B. Ambroſii Epiſcopi A. D. 1434.
„ Regnorum noſtrorum Hungariæ 48. Romani 24. Bo-

„ he-

„ hemiæ 14. Imperii vero primo. Quia autem poſt „ literarum præſentium expeditionem fama obitus præ„ fati Stiborii Nobis innotuit, ideo loco ejusdem du„ ximus Magnificum Laurentium de Hedrehvar Magi„ ſtrum Agazonum noſtrorum omnino ſub præmiſſis „ conditionibus prænotato Petro Cheh Bano in Capi„ taneum Generalem ſociandum. Datum ut ſupra.

Sigismundi Imperatoris & Hungariæ Regis aſſecuratio Regnicolarum & nominatim Comitatus Saroſſienſis ſuper eo, quod Vigeſima Decimarum ab Eccleſiaſticis, & Quinquageſima a Secularibus, Milleſima item a rebus æſtimabilibus, & 6. Denarii a perſona nullos certos proventus habente per Concilium Baſileenſe pro exſtirpatione Huſſitarum impoſita, hac duntaxat vice exigenda ſit. Dat. Ulmæ d. 29. Jun. 1434.

„ Sigismundus Dei Gratia Romanorum Imperator „ ſemper Auguſtus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalma„ tiæ, Croatiæ Rex. Fidelibus noſtris univerſis & ſin„ gulis Prælatis, Baronibus, Nobilibus, ac alterius cu„ jusvis ſtatus, & conditionis poſſeſſionatis & non poſ„ ſeſſionatis hominibus in Comitatu de Sáros conſtitutis, „ ac exiſtentibus ſalutem & gratiam. Per literas Præ„ latorum & Baronum dicti Regni noſtri Hungariæ co„ gnoſcentes *totum Regnum noſtrum pridem Budæ* „ *congretatum* — multis, & variis ipſius Regni noſtri „ — neceſſitatibus ſuper omnibus & ſingulis, ſuper „ quibus requiſitum fuit ipſum Regnum noſtrum noſtri „ ex parte per dimiſſos noſtros Nuncios, & ſpecialiter „ per Reverendum in Chriſto Patrem, Dominum Cle„ mentem Jauriensem, & Magnificum Laurentium de „ Hedrehvár, Magiſtrum Agazonum noſtrorum rega„ lium, & præcipue ſuper ſemidecimis, ſeu vigeſima

„ parte

„ parte Decimarum, ſuper Clerum Regni noſtri Hun-
„ gariæ, ac ſuper Quinquageſimis videlicet de 50. de-
„ nariis unum, & de 50. florenis unum, & de 100. flore-
„ nis duos, & non de illis ſecularibus perſonis, quæ
„ nullos proventus haberent, hujuscemodi denarios per
„ totum Regnum noſtrum Hungariæ, & Regna, ac Ter-
„ ras eidem annexa & connexas, dicandis, ſolvendis &
„ exigendis pro ipſius Regni noſtri commodo, utilita-
„ te, & ſalubri defenſione exponendis; gratum utique
„ Nobis reſponſum, & acceptum dediſſe & feciſſe, vo-
„ lens dictum Regnum noſtrum, quod hujusmodi im-
„ poſitionem, dicationem & exactionem Semidecimæ,
„ & Quinquageſimæ in ulteriores annos aliquo tempo-
„ ris ſucceſſu, præterquam ſemel, & iſta tantummo-
„ do vice ſuper ſe fieret, rogavit præfatos Prælatos
„ & Barones noſtros, nec non Dominum Epiſcopum
„ Jaurinenſem, ac Laurentium de Hedrehwár, Magi-
„ ſtrum Agazonum noſtrorum, ut iidem cum Inſtan-
„ tia ſe interponerent apud noſtram Majeſtatem pro
„ hujusmodi ſecuritate, ut præattactæ Semidecimæ ſu-
„ per Clerum, & Quinquageſimæ ac ſex denarii ſuper
„ Seculares perſonas nunquam de cetero, præterquam
„ ſemel, & iſta vice imponerentur, dicarentur, & exi-
„ gerentur, ad quemlibet Comitatum Regni noſtri li-
„ teras noſtras mitteremus teſtimoniales. Verum, quia
„ Sacrum Baſileenſe Concilium per totam Chriſtianita-
„ tem non pluries, ſed ſemel tantum hujusmodi Semi-
„ decimas, & Quinquageſimas, ac ſex denarios impo-
„ ni, dicari & exigi decrevit, nec etiam Nos cogita-
„ mus, nec intendimus, ut prædictæ Semidecimæ, &
„ Quinquageſimæ, ac ſex denarii, præter ſemel, & iſta
„ tantummodo vice, aliquo temporis ſuceſſu pluries
„ in Regno noſtro Hungariæ, ac Regnis, & Terris ei-
„ dem adnexis imponantur, dicenturque & exigantur,
„ aut in ulteriorem conſuetudinem trahantur, nos to-
„ tum Regnum noſtrum, & quemlibet Comitatum ejus-
„ dem per noſtras literas ſuperinde ſecurari volentes,

„ ecce

„ ecce fidelitati veſtræ, & cujuslibet veſtrum præſen-
„ tium tenore promittimus, & eandem ſecuramus, ut
„ per amplius hujusmodi Semidecimas, ſeu vigeſimam
„ partem decimarum ſuper Clerum, & Quinquageſi-
„ mam, ſeu de 50. denariis unum, de 50. florenis u-
„ num, & de 100. florenis duos, ac de non habenti-
„ bus reditus 6. denarios prænotatos ſuper perſonas
„ ſeculares, ſeu laicales imponi, dicari & exigi non
„ faciemus. Volumus autem, quod ſicut in quolibet
„ Comitatu Regni noſtri Quinquageſima per Deputa-
„ tos a Communitate cujuslibet Comitatus dicabuntur,
„ & exigentur, ita, ut earum medio apud fideles ma-
„ nus tamdiu, donec in Regno noſtro Hungariæ per-
„ ſonaliter fuerimus conſtituti, conſerventur, ut tan-
„ dem de iisdem pecuniis ſimul cum conſilio commu-
„ nitatis cujuslibet Comitatus pro Regni utilitate, pro-
„ fectu & optata defenſione diſponere valeamus. Quam
„ ob rem & per veſtram fidelitatem ad dicandas, &
„ exigendas hujusmodi pecunias probos & fide dignos
„ jubemus deputari, & exactas apud fideles manus in
„ medio veſtri facere conſervari usque ad noſtrum re-
„ ditum, Deo dante in proximo fiendum, pro Regni
„ noſtri Hungariæ, ut præmiſſum eſt, utilitate, & defen-
„ ſione diſpenſandas. Illud autem Nobis placet, & ſu-
„ per eo ſumus contenti; ut prius, & omnia ſuper Ci-
„ ves & Jobbagiones tam noſtros regales, quam re-
„ ginales, ac ſuper Jobbagiones Deſpoti, Comitis Ci-
„ liæ, Comitum de Segnia; univerſorumque Prælato-
„ rum, Baronum, Magnatum, ac totius Cleri, de qui-
„ bus in veſtra reſponſione ſit impoſitio & dicatio hu-
„ jusmodi Quinquageſimæ, & 6. denariorum, incipi &
„ inchoari debeat, poſtmodumque Nobilium Regni di-
„ care, & exigere teneantur, prout & ſuper hoc feci-
„ mus oportunum mandatum noſtris regalibus Civi-
„ bus & Jobbagionibus, & ſcripſimus etiam Sereniſſi-
„ mæ Conthorali noſtræ, ac ceteris ſupradictis, ut &
„ ipſi ſuper Cives & Jobbagiones ſuos talismodi Quin-

„ qua-

Digitized by Google

„ quageſimam & 6. denarios imponere, dicare & ex-
„ igere permittant. Placet etiam Nobis, & ſumus con-
„ tenti, imo ad hujusmodi dicationem, & exactionem
„ pro Nobis deputatis harum ſerie damus facultatem,
„ quod omnes & ſingulos, qui hujusmodi dicationem &
„ exactionem ſuper ſe, & ſuos fieri non permitterent,
„ cum gravamine 50. Marcarum gravium toties, quo-
„ ties rebelles ſe reddiderint, ad præmiſſorum exactio-
„ nem compellantur, ipſæque 50. Marcæ pertineant ad
„ Univerſitatem Nobilium cujuslibet Comitatus. Da-
„ tum Ulmæ Civitate noſtra imperiali in feſto BB. Pe-
„ tri, & Pauli Apoſtolorum A. D. M CCCC XXXIV.
„ Regnorum noſtrorum Anno Hungariæ 48. Romani
„ 24. Bohemiæ 14. Imperii vero ſecundo.
„ Commiſſio propria Domini Regis.

Magiſter Michael filius Pooch de Zygra & Georgius Marjasch filius Ladislai de Markusfalva Exactores quinquageſimæ Partis, quietam reddunt Civitatem Kesmark de ſolutione dictæ quinquageſimæ 1436. Ex Coll. Dipl. Godefr. Kéler, qui illud ex Originali in ſimplici papyro ſcripto deſumſit.

„ Nos Magiſter Michael filius Pooch de Zygra, &
„ Georgius Mariasch filius Ladislai de Markusfalva
„ Exactores quinquageſimæ partis omnium Bonorum &
„ rerum Nobilium ac Jobagyionum populorum in Co-
„ mitatu Scepus per ſacrum Concilium Baſileenſe in
„ tota Chriſtianitate decimantes, (vel Decimatores aut
„ decimatæ) memoriæ commendamus, tenore per præ-
„ ſentium ſignificamus, quod circumſpecti, & providi
„ viri Judex, Jurati cæterique Cives, ac tota Commu-
„ nitas in Civitate Keesmark ſuper ſolutione & ſatis-
„ factione Bonorum ſuorum quinquageſimæ partis de
„ medio ipſorum Sereniſſimo Domino noſtro Impera-
„ tori provenientis, per nos dican. & exigen. ipſique
„ ple-

Digitized by Google

„ plenam & condignam, & ſufficientem impendiſſent
„ ſatisfactionem, ſuper quorum quidem ſolutione & ſa-
„ tisfactione prædictæ quinquageſimæ partis ut præmit-
„ titur ipſos Judices, & Juratos, ac totam communita-
„ tem prædictæ Civitatis Keesmark reddidimus, comit-
„ timus quitos & expeditos, vigore & teſtimonio ha-
„ rum litterarum noſtrarum mediante. Datum in Kees-
„ mark prædicta. Anno Domini Milleſimo quadringen-
„ teſimo triceſimo ſexto.

Jam ante hæc, ut videtur, Comitia Sigismundus adhucdum abſens Clementi Epiſcopo Jaurinenſi ſtrictis in mandatis dedit, ut Coronam cum Clenodiis cuſtodiæ Nicolai de Gara Palatini, in Domo Tavernicali Budæ concreditam, ab ejus Relicta, & filio repetat, Georgio Archiepiſcopo Strigonienſi, & Comiti Mathius Judici Curiæ Regiæ pro conſervatione tradendam. Inſtrumentum ex Coll. Dipl. G. S. Lakics deſumtum ſequens eſt.

„ Commiſſio propria domini Imperatoris.

„ Sigismundus Dei Gratia Romanorum Imperator
„ ſemper Auguſtus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalma-
„ tiæ, Croatiæ &c. Rex fideli noſtro reverendo in Chri-
„ ſto Patri domino Clementi Epiſcopo Eccleſiæ Jauri-
„ nenſis ſalutem & gratiam. Quia dudum ante egreſ-
„ ſum noſtrum de regno noſtro Hungariæ prædicto ſa-
„ cram Coronam ipſius Regni noſtri Hungariæ cum
„ omnibus ad ſe pertinentibus in Tavernicali noſtra
„ domo circa ciſternam cis turrim condam Ducis
„ Stephani in Caſtro noſtro Budenſi ſituata, ſub noſtro
„ ſigillo reconditam cuſtodiæ & conſervationi condam
„ Nicolai de Gara Palatini commiſeramus, nunc volen-
„ tes eandem Coronam cum ad ſe pertinentibus per
„ fideles noſtros ſincere dilectos, reverendum in Chri-
„ ſto Patrem Dominum Georgium Archiepiſcopum Stri-

„ gonien-

„ gonienſem, & magnificum Comitem Mathius Judi-
„ cem Curiæ noſtræ, quibus eandem Coronam cum ad
„ ſe pertinentibus per magnificam Dominam relictam,
„ ac Magnificum Ladislaum Banum Machovienſem fi-
„ lium ipſius condam Palatini ſerie aliarum litterarum
„ noſtrarum tradi & aſſignari mandavimus, pro Nobis
„ tamdiu usque quo in dicto Regno noſtro Hungariæ
„ conſtituemur conſervari, fidelitati tuæ ſtrictiſſimo no-
„ ſtro mandato præcipien. injungimus, quatenus ipſam
„ ſacram Coronam, ſi ibidem, ubi repoſita fuerat,
„ eſt, aut alias transportata exiſtit, cum de hoc tu
„ plenam notitiam habeas, redicas, reveles, & ſvadeas
„ prædictis Dominæ relictæ, & filio condam Palatini,
„ ut ipſam Coronam, cum ad ſe pertinentibus, præ-
„ ſentibus, & videntibus hys, ſicut ipſis ſcripſimus,
„ memoratis Domino Archiepiſcopo Strigonienſi, &
„ Comiti Mathius pro Nobis conſervandam debeant
„ tradere, & conſignare. Et aliud in hoc pro noſtra
„ gratia, & ſub poena infidelitatis quam te, ſi hys
„ contrarium feceris, eo facto incurrere volumus, non
„ facturus. Datum Baſileæ die Dominico proximo an-
„ te Feſtum Beatorum Fabiani, & Sebaſtiani Marty-
„ rum, Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo tri-
„ geſimo quarto, Regnorum noſtrorum Anno Hunga-
„ riæ &c. quadrageſimo ſeptimo, Romanorum vigeſi-
„ mo quarto, Bohemiæ decimo quarto, Imperii vero
„ primo. (Locus impreſſi Sigilli.)

Idem Sigismundus Rex in quibusdam literis Stephano de Rozgon Comiti Poſonienſi eodem Anno 1434. ex Ulma feria 5. prox. poſt feſtum BB. Viti, & Modeſti ſcriptis, cetera inter hæc habet:

„ Item ſcripſimus per alias literas noſtras Prælatis
„ & Baronibus noſtris, videlicet Vicariis in Regno no-
„ ſtro per Nos conſtitutis, & Locumtenentibus.

Quæ

Quæ cum clauſulis ſimilibus in ſuperioribus & aliis Inſtrumentis intra Annos 1431., & 1434. editis, frequenter occurrentibus diligenter combinata confirmant id, quod in Veſt. Comitior. pag. 221. de vicaria adminiſtratione Reip. Hung. in abſentia Sigismundi adnotaveram, an tamen eam poſt reditum ſuum ſuſtulerit, aut quamdiu vigere permiſerit, nondum definire poſſumus, certum eſt, id ſub ſequentibus Regibus, ſive delegata, ſeu arrogata poteſtate frequenter repetitum eſſe.

In Veſtigiis Comitiorum pag. 223. gemina Comitia Anno 1435. celebrata eſſe adſtruxi, nullum tamen aliud eorum Veſtigium Diplomaticum produxi, quam gemina Decreta eodem Anno, ſine omni dubio utrumque in iisdem Comitiis, aut ſaltem eodem tempore, ut ex contextu patet, condita. Deinceps quoque peculiari cum attentione, quæſivi in omnibus hujus Anni, quæ ad manus habere poteram, Diplomatibus, ut de his Comitiis aliunde aliquid eruerem, ſed hactenus nec vola nec veſtigium occurrit; tanto vero id magis optaſſem, ut inextricabile illud dubium ex duplici Decreto intra quatuor dies utroque dato enaſcens diſſolverem. Decretum nempe hujus Anni I. quod alias V. de modo exercituandi inſcribitur, fuit, ut in Corpore Juris Hung. exprimitur, *Datum Budæ in feſto B. Gregorii PP.* ſive die 12. Martii Decretum autem ejusdem Anni ſecundum in ordine aliorum VI. alias Decretum majus dictum, habet *Datum Poſonii VIII. Id. Martii* ſeu d. 8. ejus-

dem;

dem; refert præterea Katona Hiſt. Crit. T. XII. p. 700. Sigismundum literas Poſonii d. 13. Martii datas ad Ladislaum Chaky Vajvodam Tranſylvanum ſcripſiſſe, ut adeo Sigismundum die 8. Martii Poſonii die 12. Budæ, die 13. iterum Poſonii fuiſſe oportuerit, ſi data harum literarum nullum errorem continerent. Sed meum dubium non emergit ex hac dierum vicinitate, ac locorum diſtantia, cum illud inſpectis authenticis facile ſufferri poſſit, & præterea ſimilia dubia in Diplomatibus Sigismundi intra paucos dies in diverſis & ſatis remotis locis datis paſſim occurrant, utrumque enim Decretum hujus anni Poſonii datum eſt, ut Katona l. c. obſervat, & ego inſpecto ipſo authentico Decreti V. exemplari deprehendi illud reipſa *Poſonii* & non Budæ datum eſſe. Verum id majoris eſt indaginis, quo modo factum ſit, ut in iisdem Comitiis, quod neque hactenus, nec deinceps factum eſt, duo diverſa Decreta conderentur. Mathiæ II. bimembre Decretum Anni 1608. huc in exemplum trahi non poteſt, cum conſtet Articulis ante Coronationem in vicem Diplomatis Inauguralis aſſecuratorii conditis, ac deinde aliis poſt coronationem pro legibus ſancitis. Decretorum Sigismundi alia eſt ratio; Decretum V. unicum tantum objectum habet de exercituatione, quæ fundamentalem Nobilitatis prærogativam tangebat, & hactenus uſu ſolum & conſuetudine, nunc autem primum peculiaribus legibus regulata fuit, ſextum autem, ſive majus Decretum potiſſimum leges Civiles, &

fo-

forenſes complectitur, ut adeo mirandum ſit, cur illud, quaſi fundamentales Nobilitatis prærogativas, & Regni libertates, contineret, inſtar Privilegii Regnicolæ in Decreto Mathiæ I. Corvini Anno 1464. penes Decreta Andreæ II. 1222. & Ludovici I. Anni 1351. confirmari curaverint. Utrumque in iisdem, aut ſub iisdem Comitiis conditum eſſe dubitare non licet, & quidem Decretum majus eſſe Comitiale Decretum patet ex ipſius Sigismundi Diplomatis confirmatorii præfatione, ac ipſo Decreti contextu, quod in Corpore Juris Hungarici, ſive collectione Decretorum Comitialium, ſpectata Chronologiæ ſerie Decretum V. inſcribi, & ante illud de exercituatione collocari debuiſſet, nec ulla ratio ſuppetit, cur ordine præpoſtero poſitum ſit, Decretum de exercituatione fere extra ſeriem Decretorum Comitialium reponendum eſſe videretur e ſequentibus rationibus. 1) Quia tam inconſueto in Legislatione Comitiali ſtylo conceptum eſt, ut ſi Art. II. clauſula: *concluſum eſt inſuper, ac ſtatutum, per noſtram Majeſtatem, cum Prælatis & Baronibus, ac Regnicolis noſtris prænotatis* abeſſet, ne veſtigium quidem ſupereſſet, ex quo pateret ad id Regnicolas aliquatenus concurriſſe, ſed pro edicto ſolius Regis habendum eſſet. 2) Præfationis §. 1. & ſpeciatim clauſulæ: *Regiæ Celſitudinis providentia - - - officio ſuæ dignitatis exigente, ſe obligatam profiteatur - - onus infra ſcriptum ſponte, imo ex debito Regalii, in noſtras Regias curas, & expeditiones duximus*

ximus aſſumendum indicant, Regem ſe ſponte ad defendendum ſuis ſumtibus Regnum obligaſſe, prout tota hujus obligationis ſumma §. 2. definitur, ſed ſtatim, quin ſtylo conſueto exponeret, ſe articulos ſequentes ſibi propoſitos confirmare, tranſit ad Art. I. & ſequentibus omnibus ad regulationem exercituationis, & exponendas regnicolarum in eadem obligationes, quod per totum adeo imperativo ſtylo præſcribit, ut omnino mandati edictalis genuinam ſpeciem præferat. 3. Nulla ratio ſufficiens aſſignari poteſt, cur hi ipſi Articuli Decreto majori quatriduo ante condito & approbato inſerti non ſint, ſed peculiari Inſtrumento mox poſt illud comprehenſi, longe diverſa forma, ſtantibus, ut videtur adhuc Comitiis editi fuerint.

Si quis igitur hic conjecturæ locus eſt, cum certiora non ſuppetant, videtur quidem Sigismundus objectum hoc cum Regnicolis in ipſis Comitiis concertaſſe, ſed fortaſſis iis jam concluſis (quod fieri ſolet, edito & confirmato jam Decreto, quod & hic factum eſt) ſive ſuboffenſus, quod Regeſtum adminus cum initio anni 1433. Regnicolis, oblata plena, quod ſtatuere volent, facultate transmiſſum interea temporis ne aſſumſerint quidem, ſive ab iis id negotii ſuo arbitrio delatum fuerit, ſive demum, jam Imperialibus Infulis auctus, & ſtabilitus non putaverit amplius Regnicolas in participationem executivæ poteſtatis vocando, huic aliquid derogandum eſſe, cum alioquin omnia, quæ hic præſcribuntur, partim in legibus fundata, partim uſu &

conſuetudine jam inducta & roborata eſſent, Inſtrumentum hoc re ipſa ex Conſilio Prælatorum & Baronum, non item ex Comitiis per modum Edicti, & ordinationis virtute competentis ſibi executivæ poteſtatis ediderit. Cum autem, ut præmiſſum eſt, alioquin omnia vel in præcedentibus legibus fundata, vel uſu & conſuetudine inducta & recepta præſcripſerit, cum executivam poteſtatem eidem competere indubium fuerit, cum jam ut electo & coronato Romanorum Imperatori, & ideo potenti Principi pluſculum etiam aliquid deferendum eſſe cenſuerint, præſertim in tanta imminentium periculorum multitudine & gravitate, cum denique ipſorum Comitiorum tempore ſive Edictum, ſive Decretum hoc de exercituatione emanaverit, faciles in eo adoptando Sigismundus Regnicolas nactus fuerit, & ideo inter Decreta Comitialia locum obtinuit. Sed fortaſſis deinceps plura hanc in rem detegemus, ut hypotheſi hiſtoricam notionem ſubſtituere poſſimus.

In Extractu Tabulari Nationis Saxoniæ p. 97. habetur: Manifeſtum Sigismundi Regis Hungariæ, quatenus Nobiles ſub poena occupationis eorumdem poſſeſſionum, tempore expeditionis bellicæ de ſingulis centum Jobagyionibus ſingulos tres pharetrarios equeſtres idoneos ſiſtere teneantur. Dat. A. 1435.

Decreti Majoris, ut videtur, Sigismundi Regis occurrit mentio in Adjudicatoriis Alberti Regis pro Clemente & Joan. de Mykchouch contra Nic. Turek & Georg. Literatum ad Capitulum Zagrabienſe

Digitized by Google

bienſe directis, ut Actores in portiones eorumdem poſſeſſionarias in Poſſ. Jakuſſowch Comitatus Zagrabienſis exiſtentes, & per Incattos occupatas reſtituat; præterea univerſa Jura Incattorum in facto potentiæ convictorum, intra ambitum Regni Sclavoniæ exiſtentia exequatur: in duabus partibus judiciariis, in tertia Actorum manibus aſſignanda. Habeo illas ex Collectioue Dipl. Joſephi Hajnóczy, & ſequentia habent:

„ Sibi, & præfatis aliis conquerentibus circa præmiſ-
„ ſa per ipſum D. Imperatorem (Sigismundum) & Re-
„ gem de remedio oportuno provideri poſtulante; ipſe-
„ que D. Imperator & Rex, hujusmodi novas poſſeſſio-
„ narias occupationes contra formam generalis ſui De-
„ creti, per ipſum una cum Prælatis & Baronibus, *non-*
„ *nullisque Nobilibus* Regni ſui editi, & ſtabiliti, com-
„ miſſas, ſimpliciter pertranſire nolens - - A. D. 1438.

Sigismundus Imp. & Rex in mandato, quo decimas in locis Epiſcopo Tranſylvanienſi obvenientes rite ſolvi præcipit. Anno 1436. edito, & per Ant. Szereday in Epiſc. Tranſylv. p. 149. ex originali Archivi Capituli Albæ Juliæ Faſc. V. N. 46. vulgato, & Comitiorum ante hunc annum celebratorum, & editi in iis Decreti Veſtigium reliquit, quod hic, uti illud laudatus Autor cum nonnullis hiatibus protulit inſerendum putavi.

„ Sigismundus Dei Gratia Romanorum Imperator,
„ ſemper Auguſtus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ,
„ Croatiæ &c. Rex Fidelibus noſtris univerſis & ſingu-
„ lis Baronibus, Nobilibus, & alterius cujusvis ſtatus ho-
„ minibus, ſub Juriſdictone decimationis Epiſcopatus
„ Eccleſiæ Tranſyl. in quibusvis Comitatibus conſtitutis

„ - - - ſalutem & gratiam! Gravem querelam pro par-
„ te Reverendi in Chriſto Patris Domini Georgii Epiſco-
„ pi, prædictæ Eccleſiæ Tranſylvanienſis Majeſtati no-
„ ſtræ porrectam accepimus continentem: quod nonnul-
„ li forent ex vobis, qui Dei timore poſtpoſito, deci-
„ mas frugum, & bladorum, ac quarumlibet aliarum re-
„ rum decimari conſuetarum, veſtri parte, ſeu de ve-
„ ſtris poſſeſſionibus, atque Bonis præfato Domino Epi-
„ ſcopo promta & parata in pecunia provenire deben-
„ tes, eidem ſeu ſuis Decimatoribus, ad frequentes eo-
„ rundem requiſitiones, nonnumquam etiam interdi-
„ ctum Eccleſiaſticum, in poſſeſſionibus, & locis veſtris
„ propterea impoſitum, Eccleſiaſticamque cenſuram in-
„ durato animo pertinaciter ſuſtinentes, nec cum ma-
„ jori nova noſtra moneta, quæ in dicto Regno noſtro
„ Hungariæ cuditur, & neque cum alia moneta noſtra
„ *Quartling* appellata, ad computum, & valorem præ-
„ tactæ majoris noſtræ monetæ, prout ſcilicet *ſecundum*
„ *formam Decreti noſtri, una cum Prælatis, & Ba-*
„ *ronibus, ac Regnicolis noſtris, ſuper ſolutionibus cen-*
„ *ſuum Regalium & Reginalium, nec non Eccleſiarum*
„ *Nobiliumque, ac poſſeſſionatorum hominum quorum-*
„ *cunque alias, & etiam pridem editi, & ſtabiliti* de-
„ cimæ ſolvi deberent, in quibusdam retroactis tempori-
„ bus, & annis extradare, & ſolvere per eorumque po-
„ pulos, & Jobagyones extradari, & perſolvi facere re-
„ cuſaſſent, & recuſarent etiam in futurum, quod in
„ noſtræ Majeſtatis diſplicentiam, & ſalutis animarum
„ ipſorum diſpendium, præfatique Domini Epiſcopi præ-
„ judicium, & proventuum diminutionem cedit multum
„ grande. Supplicatum itaque extitit Majeſtati noſtræ
„ - - - in perſona prædicti Domini Epiſcopi, ut ſibi - -
„ - de remedio providere dignaremur, & quia deci-
„ mæ, in patrimonium Crucifixi deputatæ, tam ex di-
„ vino legis præcepto, quam etiam de Regni noſtri ap-
„ probata, & ab antiquo obſervata conſuetudine, per
„ quemlibet hominem dari debent, atque ſolvi, hujus-

„ modi-

Digitized by Google

„ modique decimas *ſecundum formam præmiſſi Decreti* „ antefato Domino Epiſcopo per vos extradari volumus. „ Ideo Fidelitati veſtræ - - mandamus, quatenus - - - „ ulteriori noſtro mandato non exſpectato, omnibusque „ - - - poſtpoſitis prætactas decimas - - - antefato D. „ Epiſcopo - - hactenus non ſolutas - - quam etiam a „ modo - - eidem plenarie, & ex integro - - - cum „ prætacta majori noſtra moneta, cujus ſcilicet 100. de- „ narii unum florenorum auri valent, ex quibusque u- „ nus denarius ſemper, & ubique pro uno dunxat de- „ nario nominari, & computari debet, ſeu quousque „ eadem multiplicabitur, cum antedicta una moneta „ noſtra *Quartling* appellata, ſecundum valorem jam „ factæ majoris noſtræ monetæ extradare, & perſolvere „ - - - modis omnibus debeatis. Qui ſi feceritis bene „ quidem, alioquin commiſimus - - - - & committi- „ mus Fidelibus noſtris Comitibus vel Vice-Comitibus, „ & Judicibus Nobilium - - - ut ipſi per veſtri, & ve- „ ſtrum quemlibet *juxta vim - - novi noſtri Decreti* „ *contra non ſolventes decimas ſtabiliti* de ſingulis poſ- „ ſeſſionibus, & villis, quæ per unius menſis ſpatium „ interdictum eccleſiaſticum pro non ſolutione hujus- „ modi decimarum - - impoſitum animo indurato tol- „ lerando, easdem ſolvere recuſaverint, mox elapſo ipſius „ menſis ſpatio talismodi decimas in ſingulis tribus Mar- „ cis birſagialibus pro ſe indilate exigendis - - Domi- „ no Epiſcopo extradari facere teneantur. - - - Datum „ Pragæ - - - - proxima poſt feſtum B. Aegidii Abba- „ tis A. D. 1436.

Ad quod Decretum Rex in hoc Inſtrumento provocet, non ſatis intelligo. In Decretis Anni 1435. nulla decimarum occurrit mentio, in Circularibus Anni 1411. non præſcribitur, id quod hic virtute Decreti fieri præcipitur; monetæ Quartling ante annum 1430. nulla adhuc occurrit men-

 tio.

Digitized by Google

tio. Vel igitur hic probabiliter intelligitur illud, quod in Codice Kollariano inſcribitur Decretum V. de valore denariorum ſuperius relatum, & tunc illud inter Decreta Comitialia, non inter Edicta cenſendum eſſet, vel in Comitiis Anni 1434. aut alias Decretum aliquod hæc objecta tangens editum eſt, & tunc iterum unius Decreti re ipſa editi veſtigium haberemus, cujus contextu hactenus deſtituimur, & unde iterum patet, quam adhuc incompleta ſit, legum noſtrarum collectio.

Diploma ſuper dignitate Palatinatus Laurentio de Hedervar per Sigismundum Regem collata Dat. Prag. feria V. proxima ante feſt. B. Gregorii PP. A. D. 1437. videri poteſt ex Wagner Coll. Genealog. D. I. p. 67. apud Katona Hiſt. Crit. T. XII. p. 785. & conferri cum recentioribus, ut inde pateat, quis olim Palatinos elegerit, & qua Jurisdictione inveſtiverit.

In Collectione Diplomatica Sam. Székely T. I. n. 56. apud C. Ignat. de Batthyan teſte Elencho ejusdem habetur: Gratia univerſalis Infidelibus data. A. 1437.

SUB ALBERTO REGE.

Anno 1437. die 18. Decembris Albertum in Regem Hungariæ Poſonii electum & Anno 1438. die 1. Januarii Albæ Regiæ coronatum eſſe, Kat. Hiſt. Crit. T. XII. p. 821. & 829. pluribus concordibus teſtimonii, Scriptorum exterorum edocet, & pro teſtimonio Coronationis etiam Georgii Archiepi-

chiepiſcopi Srigonienſis literas, quibus citra futurum juribus ſuis præjudicium hac vice coronandi Regis munus Epiſcopo Veſprimienſi cedit. *Dat. in Alba Regali, in Vigilia Circumciſionis Domini Anno ejusdem* 1437. ex Pray Hierarch. P. I. p. 286. profert Hiſt. Crit. T. XII. p. 824. Vel hæc ſufficientia ſunt Comitiorum Inauguralium Veſtigia. In Cod. Dipl. Hiſt. Epiſt. Bernardi Pez, ſeu Theſauri Anecd. T. VI. P. III. p. 228. — 232. refertur.

Ritus benedicendi, & coronandi Reges Hungariæ, qui obtinuit, dum Albertus V. Dux Auſtriæ in Regem Hungariæ coronaretur, quod in multis cum eo, qui in ſolennibus inauguralibus N. XXV. p. 227. editus eſt, concordat. Ibidem pag. 232. ſubjungitur ſequens:

„Nota Martini Senging Mellicenſis coævi:

„Anno Domini 1437. proxima feria IV. ante feſtum B. Thomæ Apoſtoli illuſtris Princeps D. Albertus Dux Auſtriæ, Styriæ, Carinthiæ &c. Marchio Moraviæ, Comesque Tirolis &c. electus eſt in Regem Hungariæ in Oppido Poſoninenſi per Epiſcopos & Barones, aliosque Incolas Regni Hungariæ, qui pro majori parte ibidem fuerunt, & unanimiter flexis genibus, expanſisque manibus orabant una voce dicentes: Domine hodie te in Regem & Dominum noſtrum ſuſcipimus, & ſimili modo Conthoralem veſtram in Reginam, & Dominam noſtram.

„Poſtea A. D. 1438. in die Circumciſionis Domini præfatus electus, & ejus Conthoralis coronati ſunt in Eccleſia Collegiata Albæ Regalis B. V. præſentibus Epiſcopis, Baronibus, Nobilibus, ac Comitatibus.

„ Coro-

„Corona autem Regni Hungariæ per Apoſtolicum „ nomine Benedictum de Vetta eſt ad Hungariam per „ Aſtricium Epiſcopum Srigonienſem, quem S. Stepha- „ nus Rex Hungariæ miſit ad Apoſtolicum pro Cleno- „ dio, vel aliqua dotatione, ex quo terra jam, vel ha- „ bitantes in ea Chriſtiani eſſent effecti: & præ nimio „ gaudio, quia terra Poloniæ, vel habitantes in ea, eo- „ dem tempore in Chriſtianos converſi erant, & Le- „ gatio Regis Poloniæ prius fuit Romæ, quam Legatio „ S. Stephani: Iſto non obſtante Apoſtolicus Coronam „ Regi Poloniæ paratam miſit S. Stephano Regi Hun- „ gariæ, & ipſi Regi Poloniæ fecit aliam fieri, quam „ ſibi per Legatos ſuos tranſmiſit"

Ipſe Albertus in Donationalibus pro Stephano de Rozgon dat. in Wiſſegrad fer. III. prox. poſt feſt. Viſitationis B. M. V. glorioſæ A. D. 1439. apud Katona Hiſt. Crit. T. XII. p. 904. ex MSS. Corni-deſianis Electionis & Coronationis ſuæ meminit:

„Quod antelatus C. Stephanus tempore ele- „ ctionis & coronationis noſtrarum in Regem Hun- „ gariæ inter alios Barones Regni primitialiter ad- „ hærendo.

Eliſabeth Reginam Alberti conſortem in admi-niſtratione Reip. magnas partes habuiſſe, jam alii obſervarunt, ut adeo exiſtimaverint, eam inter, & Albertum diviſum fuiſſe imperium, alii non tan-tum poteſtatem, ſed etiam dignitatem Regiam cum Eliſabetha communicatam eſſe cenſerent; Chroniſta denique Mellicenſis eandem Reginam evaſiſſe inſi-nuat, ut hæc Katona Hiſt. Crit. T. XII p. 823. refert, & refellit. Ego vero non ad Reipublicæ ſolum, ſed etiam juſtitiæ adminiſtrationem eandem concurriſſe, in quibusdam mandatis inquiſitoriis

Alber-

Alberti Regis de Anno 1439. obſervavi. Jam in fronte, ubi alias conſueta formula: *Comiſſio propria D. Regis* apponi ſolet, præferunt eam formulam ita: *De Commiſſione Dominæ Reginæ, ac Prælatorum, & Baronum Vicariorum* nulla Regis facta mentione, a cujus nomine tamen conſueto more Mandata incipiunt, his in contextu clauſulis interſertis.

„ Albertus &c. - - Exponitur nobis, ac Sereniſſi-
„ mæ Dominæ Reginæ Conthorali noſtræ chariſſimæ,
„ Prælatisque & Baronibus noſtris . - ſupplicatum ita-
„ que exſtitit - - Nobis, ac dictæ Sereniſſimæ Reginæ,
„ præfatisque Prælatis, ac Baronibus noſtris - - Datum
„ Budæ feria V. prox. ante feſt. B. Priſcæ Virginis A.
„ D. 1439.

Erga hæc Mandata, in quibus inquiſitionis ſeries ad perſonalem præſentiam referenda committitur, Relatoriæ ad ipſum ſolum Regem diriguntur, ſequentibus nihilominus clauſulis conceptæ.

„ Literas veſtræ Serenitatis præceptorie loquentes de
„ commiſſione Dominæ Reginæ, ac Prælatorum, Baro-
„ num, Vicariorum confectas - - - recepimus.

Terminus executionis exponitur:

„ Sabbato proximo poſt feſtum B. Dorotheæ V. &
„ M. proxime præteritum - - - Datum Octava die diei
„ executionis prænotatæ. A. D. 1439.

In aliis Relatoriis terminus executionis exponitur.

„ Nunc feria V. prox. ante feſtum Purificationis B.
„ M. Virginis - - - Datum octava die diei executionis.

Alber-

Albertum hoc ipſo tempore a Regno Wratislaviæ abfuiſſe, patet tum ex Hiſtoricorum relationibus, tum ex literis in favorem Joannis Stock Præpoſiti Scepuſienſis Wratislaviæ in die S. Valentin. M. (d. 14. Febr.) A. D. 1439. datis, apud Katona Hiſt. Crit. T. XII. p. 874. An hic Vicariatus adhuc a tempore Sigismundi Regis, dum is Anno 1432. in Italia & deinde Baſileæ, ut præmiſſum eſt, ab eſſet, inſtitutus remanſerit, an illum Albertus, & qua occaſione, utrum dum pro Imperiali, aut Bohemica ſui coronatione proficiſceretur, an pro hac Wratislaviæ, conciliandæ pacis cauſa abſentia reſtituerit, vel quamdiu ſubſiſtere voluerit, velut minus ad propoſitum faciens hoc loco non vacat definire.

SUB WLADISLAO I. REGE.

Anno 1440. gemina, quibus Wladislaus I. in Regem electus & inauguratus, tum quibus Ladislaus Poſthumus coronatus eſt, per utriusque factionis Regnicolas Comitia celebrata eſſe, jam in Veſtigiis Comitiorum commemoravi, hactenus tamen latebat Scriptores eadem occaſione Decretum quoque conditum fuiſſe, quo Articulos libertatum & legum ab Andrea II. A. 1222. ab Andrea III. A. 1298. & a Ludovico I. A. 1351. privilegialiter conceſſos transumit, confirmat, ſuosque Conſtitutionum Articulos addit. Datum in Alba Regali, in feſto B. Eliæ Prophetæ A. D. 1440. quod ſuperius Periodo I. ad Annum 1298. protuli.

In

In Indice Telegdiano jam ſæpius commemorato ſequens habetur de Wladislao I. hiſtorica notatio:

„ Ladislaus Polonus S. Stephani Corona in Alba „ Regali coronatus, ad Varnam A. 1444. a Turcis fuſus „ & interemtus nullum edidit Decretum, quod ſervare- „ tur; a factioſis quibusdam introductus contra Ladis- „ laum Alberti Regis Poſthumum filium. „

Nimirum quia nec Telegdio, nec ulli poſt eum illud a me productum, notum erat. Clauſula illa: *quod ſervaretur*, uſus eſt ad imitationem, non ad mentem Verböczii, nam ille, ut alias monui, non de Decretorum, ſed de Privilegiorum validitate agit, quod autem Decretum Wladislai I. non fuerit ſervatum, id non ex aliquo vitio legali evenit, ſed quia ignotum fuit; certe ſi illud Moſſoczius nactus fuiſſet, & inter alia Decreta edidiſſet, vix ulli in mentem veniſſet, illud in criſim vocare, quemadmodum ſi Decretum Sigismundi A. 1411. vel nonnulla alia eo non intuliſſet, nullus ea inter Decreta reputaturus erat. Ita ex adverſo plura heterogenea locum illum ſine controverſia occuparunt.

Wladislaus jam die 8. Martii, poſtquam in Regem electus, ſed antequam inauguratus fuiſſet, in ſolenni Diplomate, quo electionem ſui in Regem Hungariæ acceptat, & conditiones a Regni Ordinibus ſibi propoſitas ſe obſervaturum promittit, cetera inter in ſe recepit; & ut vidimus, ad amuſſim præſtitit:

„ Imprimis itaque promittimus, & pollicemur, quod „ poſtquam nos Deo favente, Regni prædicti Hungariæ „ Diadema feliciter ſuſceperimus, *in ipſa* Coronatione

„ no-

„ noſtra omnia jura, libertates, & bonas conſuetudines
„ Regni ipſius usque ad præſens tempus tentas, & ob-
„ ſervatas, juramento, & literis noſtris regalibus confir-
„ bimus. “

Profero ipſum Inſtrumentum has conditiones ſuſcepti Regiminis complexum, licet illud jam etiam Katona Hiſt. Crit. T. XIII. p. 23. ex Explicat. Jur. Hung. in Ruſſiam Rubram p. 18. ediderit.

„ Wladislaus Tertius, Dei Gratia Rex Poloniæ, nec
„ non terrarum Cracovie, Sandomirie, Siradie, Lanci-
„ cie, Cuyavie, Lythvanie Princeps ſupremus, Pome-
„ ranie, Ruſſieque dominus & heres &c. Ad perpetuam
„ rei memoriam. Ad populorum regimen & tutelam
„ ſalutemque animarum & potiſſimum fidei ſancte defen-
„ ſionem & augmentum conſtitutas eſſe in orbe terra-
„ rum ab eo, per quem Reges regnant & Principes im-
„ perant, Dominantium & Regum poteſtates, divini ju-
„ ris autoritas & humani liquido declarat & oſtendit.
„ Caruiſſet profecto humana conditio jugo dominii, nec
„ libertatem a ſe, quam eis natura donaverat, homines
„ abdicaſſent, niſi quod impunita, licentia ſcelerum
„ in euidentem humani generis perniciem redundabat,
„ & ſic ex neceſſitate quadam oportuit naturam ſubeſſe
„ juſtitie, & ſervire juſtitie libertatem, ſicque non ob
„ hoc ſolum dominos ſubditis ſententia divina prefecit,
„ ut eis imperando preeſſent, ſed ut ipſis quo totius
„ reip. ſalutis vigeret integritas, pacis & juſtitie copiam
„ miniſtrando prodeſſent. Verum, quum illi ſummo
„ omnium principi DEO, & Salvatori noſtro, qui o-
„ mnem regit mundum, nihil eſt, quod fieret in terris
„ acceptius, quam ſalus animarum, qui etiam de ſecre-
„ to Patris pro operanda omnium ſalute deſcendens,
„ in terris viſus eſt, & mortem ſubiit temporalem. Pro-
„ fecto qui onus, quod conducere ad ſalutem hominum
„ non ambigitur, ſubire & ſuſcipere refugit, ſummi Re-

„ gis

„ gis dilectionem oſtendit ſe habere. Quamobrem,
„ cum, poſtquam per obitum dive memorie Sereniſſimi
„ Principis D. Alberti Rom. & Hung. Regis Regnum
„ ipſum Hungarie ſuo deſtitutum fuiſſet rectore; Regni
„ ejusdem Prelati, Principes, Comites, Barones, Pro-
„ ceres, Communitates, quatenus & ſibi, & Regni ſui
„ ſtatui ſalubriter proſpicerent, ſolennes ipſorum Am-
„ baſiatores & Nuncios Regni ejusdem Prælatos, & Ba-
„ rones, inſignes & magnificos videlicet Reverendum
„ in Chriſto Patrem D. Johannem, Segnienſem Epiſco-
„ pum, Gubernatorem Abbatie de S. Gothardo; Matho-
„ nem de Talloucz, Regnorum Dalmatie, Croatie, ac
„ totius Sclavonie Banum; Johannem de Peren Magi-
„ ſtrum Thavernicorum Regalium; Ladislaum de Pa-
„ loucz, Magiſtrum Curiæ regalis; Emericum de Mar-
„ czali, Magiſtrum Dapiferorum regalium & Comitem
„ Simigienſem, mandato & auctoritate totius Regni præ-
„ dicti fulcitos, ad præſentiam noſtram in Civitatem
„ Cracovienſem transmittendos ſtatuiſſent, qui inibi
„ conſtituti, poſt exactam, & quam tante rei pondus
„ poſtulabat, deliberationem, Nos deſiderio unanimi &
„ voto concordi in ſuum dominum & Regem Regni
„ Hungariæ præfati nominaverunt, & elegerunt. Nos-
„ que conſequenter magna cum inſtantia ſummoque de-
„ ſiderio precati ſunt, quatenus Regni illius populorum-
„ que & dominiorum ejusdem regimen & gubernacula
„ ſuſciperemus, arbitrati, quemadmodum ex ipſorum
„ votis collegimus, id ipſum pro bono & ſalute horum
„ duorum Hungarie & Polonie Regnorum, proque ipſo-
„ rum & Katholice fidei defenſione, & incremento plu-
„ rimum expedire. Nos itaque Wladislaus, Rex preno-
„ minatus, auditis eorumdem ejusmodi deſideriis & ipſis
„ attentiore conſilio noſtrorum Prelatorum & Baronum
„ examinatis, etſi dono Altiſſimi, Regni noſtri Polonie
„ predicti ampliſſima dominia nobis ad dominandum
„ ad plenum ſufficiant; ne tamen videremur, & divine
„ voluntati contraire, & ſalutem populi Chriſtiani ne-
„ glige-

„ gligere, de Conſilio Prelatorum, Principum, & Baronum noſtrorum, conſiderato maxime, qualiter prædicta Regna, ſibi confinantia & barbaris nationibus finitima, ſunt munus & clipeus fidelium pro honore nominis divini & defenſione fidei Catholicæ, ſi quod forte omnipotens DEUS ex unione horum Regnorum pro incremento ipſius fidei operari & efficere dignabitur, quod ſperamus, confiſi de miſericordia ipſius, deſideriis præfatorum dominorum annuimus, nominationi ſeu electioni ipſorum prædictæ, de perſona noſtra facte, conſenſum prebuimus, & harum ſerie conſentimus & annuimus, utque cunctis innoteſcat, Nos ad eam rem non cupiditatis ardore, nec ambitionis amore; ſed ea, quam premiſimus, animi ſinceritate attractos eſſe, pro bono ſtatu ejusdem Regni, conditiones & modos infraſcriptos, quos prenominati oratores Regni Hungariæ prædicti per Nos admittere & manutenere ardentius deſiderarunt, de mera noſtra liberalitate, grato affectu admiſimus & tenore præſentium ipſorum integre & inviolabiliter ſervare, & manutenere pollicemur & ſpondemus. Imprimis itaque promittimus & pollicemur, quod, poſtquam Nos, DEO favente, Regni prædicti Hungarie diadema feliciter ſuſceperimus, in ipſa coronatione noſtra omnia jura, libertates & bonas conſuetudines Regni ipſius, usque ad præſens tempus tentas & obſervatas, juramento & literis noſtris regalibus confirmabimus. Decreta quoque divorum, ejusdem Regni Regum & Prædeceſſorum noſtrorum, ac etiam omnes libertates & jura Eccleſiarum & Monaſteriorum Regni prædicti inviolabiliter & inconcuſſe ſervare, ac Eccleſias prædictas & bona ipſarum ab omnibus injuriis defendere & tueri promittimus. Similiter omnes Donationes, tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus perſonis vigoroſas & legitime ac ſignanter per Sereniſſimam Principem D. Eliſabeth, ejusdem Regni Reginam modernam, factas, tenebimus ac tenere atque

„ ob-

„ obſervari faciemus. Item promittimus atque pollice-
„ mur, quod regnum prædictum Hungarie & ſubditos
„ ejusdem contra & adverſus quoslibet inimicos ejus-
„ dem tam Turcos, quas quoslibet alios, ubicunque
„ poſitos & occurentes, copiis regni Poloniæ prædicti
„ & dominiorum ſuorum fideliter juxta poſſe tuebimur,
„ ſublevabimus & juvabimus; & reciproco modo ipſi
„ Regno Polonie promittimus Regnum ipſum Polonie &
„ Cives ſubditos cum potentiis Regni Hungariæ contra
„ Tartaros & quoslibet ipſius inimicos pari paſſu, mo-
„ do & viciſſitudine fideliter tueri & adjuvare. Promit-
„ timus etiam & ſpondemus, quod omni diligentia,
„ ſollicitudine, & opera noſtra, quantum in Nobis fue-
„ rit, niti & laborare volumus pro recuperandis omni-
„ bus juribus & pertinentiis Regni Hungariæ prætacti,
„ a quibuscunque occupatis. Eo etiam ſignanter expreſ-
„ ſo, quod terræ Ruſſie & Podolie remaneant in pacifi-
„ ca poſſeſſione, ſicut hactenus fuerunt, Regni Polo-
„ niæ ſine præjudicio, Hungariæ & Poloniæ, Regnorum
„ prædictorum, quousque inter Prælatos & Barones
„ utriusque Regni, & quando præfato D. Regi videbi-
„ tur, celebrari potuerit conventio pro declaratione ju-
„ ris & tituli terrarum prædictarum, cui regno compe-
„ tant. Hoc etiam ſpecialiter adjecto, quodquoad ar-
„ ticulum terre Moldaviæ, remaneat pro nunc in ſta-
„ tu, in quo eſt, & adveniente tempore, quo D. Regi
„ videbitur, de conſilio Prælatorum & Baronum utrius-
„ que Regni fiat, ſecundum quod in antiquis literis,
„ deſuper confectis, continetur. Preterea, ut noſtra in
„ his ſincera intentio appareat, & ut, quod verbo de
„ recuperandis juribus & pertinentiis Regni Hungariæ
„ dicimus & promittimus, effectu ipſo rei comprobe-
„ tur, deturque intelligi, quanto affectu incrementum
„ Regni ejusdem cupiamus, Caſtrum Lublio in terra
„ Scepuſienſi cum omnibus Civitatibus, Oppidis, Vil-
„ lisque, titulo pignoris usque ad præſens tempus ra-
„ tione Regni noſtri Polonie pacifice poſſedimus, & te-

nui-

Digitized by Google

„ tenuimus, atque tenemus, promittimus & pollicemur,
„ de noſtra mera liberalitate, ſtatim, poſtquam cele-
„ britas coronationis præmiſſe feliciter facta fuerit &
„ conſummata, reintegrare, & libere reſtituere Regno
„ Hungariæ absque quavis pecuniarum prædictarum, in
„ quibus pignori obligata fuerunt, exactione, litteras-
„ que quascunque ſuperinde confectas, mox poſt dictam
„ coronationem reſtituemus. Promittimus inſuper &
„ pollicemur rebellibus & infidelibus Regno Hungariæ
„ prædicto omnibusque & ſingulis extra fines Regni
„ ipſius ob eorum demerita pulſis & relegatis, gratiam
„ redeundi & reſumendi in Regnum ipſum non faciemus,
„ absque Conſilio Prælatorum & Baronum regni prædi-
„ cti, prout hoc habet & obtinuit Regni ejusdem anti-
„ qua conſuetudo. Pro conſervanda quoque pace &
„ quiete Regni Hungariæ præmemorati & ſubditorum
„ ejus promittimus & ſpondemus Sereniſſimam Princi-
„ pem, D. Barbaram, Imperatricem Rom. in Regnum
„ Hungariæ ſeu intra limites & pertinentias Regni ejus-
„ dem non intromittere, nec induci facere, ſed nec
„ aliter quomodolibet introductam in Regno eodem abs-
„ que voluntate & conſenſu Prælatorum & Baronum o-
„ mnium regni prædicti confoveri. Que quidem, ſi quid
„ cauſſe contra quamcunque perſonam regni ipſius ha-
„ beat habueritve in futurum, & de eadem agere &
„ experiri voluerit, per procuratorem ſuum legitimum
„ id proſequatur. Et Nos cum Prælatis & Baronibus
„ Regni prædicti eidem juſtitiam plenam & expeditam
„ miniſtrabimus & miniſtrari faciemus. Licebit tamen
„ Nobis, ſecundum regalem munificentiam præfate Ser.
„ D. Imperatrici extra fines Regni Hungarie ſupradicti
„ pro ſtatu ejusdem providentiam facere, juxta placi-
„ tum noſtre voluntatis. Præterea cum relicta Marga-
„ retha, quondam Johannis de Gara, propter quosdam
„ notorios exceſſus ſuos per judicium quondam Sere-
„ niſſimorum DD. Sigismundi Rom. Imp. quam etiam
„ Alberti Hung. Regis de conſilio Prælatorum & Baro-

„ num

„ num ejusdem regni, in capite & in bonis condempnata
„ dicatur, & propterea usque in præſens in carceribus
„ teneatur; promittimus judicium prædictum ratum &
„ gratum habere, nec aliquem ſeu aliquos occaſione
„ hujusmodi moleſtare, vel ab aliis impeti ſeu mole-
„ ſtari permittere. — Actum & datum in Civitate noſtra
„ Cracovienſi 8. die menſis Martii Anno Dom. 1440.“

Poſtridie, quam iſtas conditiones Rex acceptaſſet, Oratores Regni Hungariæ ediderunt itidem ſolemnem recognitionem, quod Wladislaum Regem Poloniæ in Regem Hungariæ electum eſſe denunciaverint, cum ſtipulatione mutuæ ex pacto defenſionis contra omnes utriusque Regni hoſtes. Datum & Actum Cracoviæ die 9. Martii 1440. Edidit eam Dogiel in Cod. Dipl. Regni Polon. T. I. pag. 53. ex originali 5. ſigillis munito, & ex eo Katona Hiſt. Crit. T. XIII. p. 37.

Hanc ſui electionem Wladislaus Friderico Rom. Imperatori, cui ea propter jura Ladislai Poſthumi probari non poterat, mox inſinuavit literis ad eum Cracoviæ d. 12. Martii datis, & a Pray Annal. P. II. p. 340. inde vero a Katona Hiſt. Crit. T. XIII. p. 42. editis, in quibus cetera inter hæc quoque habet:

„ Eidem Serenitati Veſtræ præſentium ſerie de-
„ claramus, perſonam noſtram, vacante Regno
„ Hungariæ, per obitum Sereniſſimi divæ memo-
„ riæ Principis Domini Alberti olim Romanorum,
„ & Hungariæ Regis, per Regni ejusdem Præla-
„ tos, Principes, Barones, Comites, Nobiles, &
„ Civitatum, locorumque communitates unanimi
„ deſiderio electum eſſe.“

In Hungariam inducto videntur illi quoque adhærere voluiſſe, aut ſaltem debuiſſe, qui ſive Ladislai partibus addicti, ſeu illius electioni alia ex cauſa hactenus adverſabantur. Apparet id ex literis ſalvi conductus, quibusdam ad ſe venire cupientibus die 15. Junii conceſſis, & quas cum non meminerim hactenus editas eſſe, ad illuſtrandam Conitiorum Hiſtoriam e MSS. Lakichianis deſumtas hic inſero:

Literæ ſalvi conductus, quas Wladislaus Poloniæ Rex, & Proceres ejus Proceribus Hungarorum ad ſe venturis dederunt.

„Wladislaus, Dei Gratia Rex Poloniæ, electus Re-
„ gni Hungariæ, Lithwaniæque Princeps ſupremus, &
„ hæres Ruſſiæ, vos Nobis ſincere dilectos amicos, &
„ benevolos noſtros Magnificos dominos, Ladislaum
„ de Gara, Banum Machovienſem, Comitem Johannem
„ de Korogh Judicem Curiæ Regiæ, omnesque alios
„ Prælatos, Barones, Nobiles, Milites, Clientes, &
„ Regnicolas Hungariæ fratres & amicos veſtros cujus-
„ cunque ſtatus, gradus, & conditionis exiſtant, vobis-
„ cum & in veſtra comitiva exiſtentes, poſt vosque &
„ vobiſcum ad Nos venientes usque ad numerum ſe-
„ xingentorum equorum & infra, tam noſtro quam et-
„ iam cunctorum Prælatorum, & Baronum, Militum,
„ & Clientum, Hungarorum ſcilicet & Polonorum, &
„ aliorum quorumcunque hic ad præſens Nobiſcum exi-
„ ſtentium, ac poſt & ad Nos venientium nominibus,
„ præſentibus affidamus, aſſecuramus, & in verbo ve-
„ ritatis noſtræ Regiæ Serenitatis, fide noſtra mediante
„ firmato certificamus, ſalvumque & ſecurum conductum
„ vobis, & omnibus aliis prædictis plene damus &
„ præbemus, dolo, & fraude ſine omni, ut vos una

„ cum

Digitized by Google

„ cum prædictis Prælatis, Baronibus, Nobilibus, &
„ Regnicolis fratribus, & amicis, nec non gentibus
„ comitivis familiis, rebusque & bonis veſtris & eo-
„ rundem univerſis, quibus volueritis pro faciendis No-
„ biſcum quibuscunque tractatibus, colloquiis, & diſpo-
„ ſitionibus ad noſtram Majeſtatem, Prælatosque, &
„ Barones hic Nobiſcum exiſtentes, usque & infra tri-
„ ginta dierum ſpatium a dato præſentium computan-
„ dorum liberam, tutam, & ſecuram veniendi, apud
„ Nosque ſtandi, & pauſandi, ac peractis hujusmodi
„ tractatibus ad quæcunque loca malueritis, quolibet
„ impedimento in hac parte remoto a Nobis recedendi
„ habeatis, hoc intellecto, quod adventus veſter eſſe
„ debeat usque ad quatuordecim dies, reliqui vero ſe-
„ decim intelligantur pro ſtando, tractando, &, ſi opus
„ eſſet, recedendo omnibus bonis, caſtris, terris, & do-
„ miniis, ac poſſeſſionibus veſtris a quibuslibet noſtris,
„ ſalvis interim remanentibus, & illeſis facultatem harum
„ noſtrarum teſtimonio litterarum datum Budæ Feria
„ quarta in die Sancti Viti, Anno Domini Milleſimo
„ quadringenteſimo quadrageſimo.

„ Et nos Sbigneus Dei Gratia Cracovienſis, Jo-
„ hannes Segnienſis, Joſeph Boſznenſis, Jacobus Szer-
„ mienſis, Epiſcopi, Laurentius de Hedrewára Regni
„ Hungariæ Palatinus, Mathko de Thaloucz Dalmatiæ,
„ Croatiæ Regnorum, & totius Slavoniæ Banus, Johan-
„ nes de Thanczin Cracovienſis, Sandivogius de Oſtro-
„ rog Poznanienſis Palatini, Johannes de Peren Comes
„ de Ugocha, Johannes de Marcellis, Comes Smigien-
„ ſis, Ladislaus de Paloucz Magiſter Curiæ, Nicolaus
„ de Oſſolin Radonnenſis, Vincentius de Schamotuli
„ Myedzuzeczenſis, Przedborius de Conyeczpolye Ro-
„ ſpergenſis Caſtellani, Frank de Thaloucz olim Banus
„ Zeurinienſis, Johannes Orſzak, Johannes de Conyecz-
„ polye Regni Poloniæ Cancellarius, Nicolaus de Brze-
„ ſze Regni Poloniæ Marſalcus, Andreas de Lubino
„ Regni Poloniæ Vicethezaurarius, & Petrus de Oppo-

„ row, Vexillifer Lamicienſis noſtris, & quorumlibet
„ aliorum hic & alias cum Sereniſſimo Domino noſtro
„ Rege exiſtentium, & ad Suam Majeſtatem undecun-
„ que adventantium nominibus, & in perſonis, præ-
„ miſſam ipſius Domini noſtri Regis aſſecurationem ra-
„ tam atque firmam tenemus, tenebimusque & obſer-
„ vabimus per omnia & acceptam, ſimiliter fide noſtra
„ promitten. præſentium literarum Suæ Serenitatis, qui-
„ bus penes ſigillum ipſius Domini noſtri Regis omnium
„ noſtrum ſigilla ſunt appreſſa vigore & teſtimonio me-
„ diante. Datum ut ſupra. (Locus omnium Sigillorum
„ pendentium.)

Ita ſucceſſive coaleſcentibus animis, Ordines Regni renovarunt, & approbarunt, ſuſceptionem Wladislai Regis Poloniæ in Regnum Hungariæ, non obſtante coronatione Infantis filii Alberti olim Regis per procurationem Eliſabeth Reginæ facta. Inſtrumentum Datum Budæ ipſo die SS Petri & Pauli Apoſt. A. D. 1440. Dogiel Cod Dipl. Regni Polon. T. I. p. 54. ex Originali 88. ſigillis munito, & ex illo Kat. Hiſt. Crit. T. XIII. p. 70. ediderunt.

Cum autem Eliſabeth Regina Infantem trimeſtrem clam ſublata Corona Regni coronaſſet, Coronamque abſcondiſſet, Proceres Regni Hungariæ ad coronandum Wladislaum Regem Budæ congregati, & Albam Regalem profecti, detractam ex Reliquiis S. Stephani Regis Coronam, electo Regi ſuo impoſuerunt, eique regalia jura competere declararunt, adjectis poenis in eos, qui Coronationi huic adverſari præſumerent; prout Inſtrumentum. Datum in Alba Regali d. 17. Menſis Julii A. 1440. ex Originali 65. ſigillis munito apud Dogiel Cod.

Dipl.

Dipl. R. Polon. T. I. p. 56. apud Dlugos. L. XII. Col. 744. Katona Hiſt. Crit. T. XIII. p. 91. in meis Veſt. Comit. p. 235. editum oſtendit.

Tandem die 20. Julii edito Decreto ſuperius commemorato ſolenniter inauguratus eſt, prout ipſe in Præfatione ejusdem narrat. Attentione dignum eſt *fragmentum prolixi Diplomatis*, quod Katona Hiſt. Crit. T. XIII. p. 101. profert, ſeque illud *ex autographo* deſumſiſſe profitetur, quodve iis prorſus verbis conceptum eſt, quibus Wladislaus in Decreto jam ſæpius commemorato Præfat. §. 2. utitur. Id mihi ſuſpicionem movet, an non uſpiam aliud aliquod Exemplar authenticum ab eo, quod jam in Archivo Regni repoſitum eſſe retuli, & ex quo ego illud edidi, diverſum, Decreti hujus Katona uspiam detexerit, cum prolixum illud Diploma, quod commemorat, & iisdem verbis conceptum, ſaltem, ut apparet, in Præfatione, & eodem loco, Anno, menſe, & die datum, & iſtud Decretum itidem prolixum ſit, nam ex eodem Exemplari mecum, eundem illud deſumſiſſe, mihi vix credibile eſſe videtur, tum ex ipſa ejus Hiſtoria, quam præmiſi, tum etiam ex variantibus quibusdam, quod ut Lector ipſe perſpicere poſſit, ipſum Fragmentum hic refero.

„Wladislaus, Dei Gratia Hungariæ, Polonie, Dalma-„ tie, Croatie, Rame Servie, Galicie, Lodomerie, Co-„ manie, Bulgarie Rex, Litvanieque Princeps, Supre-„ mus & heres Ruſſie; ad perpetuam rei memoriam. „ — Licet corona illa, cum qua Reges Hungarie per „ prius coronari ſoliti fuere, per Dominam Eliſabeth

Digitized by Google

„ Reginam, præfati quondam Adalberti Regis relictam
„ de Caſtro Wiſſegradienſi, propter multum incautam
„ conſervationem ejusdem clandeſtine ſublata fuerit;
„ tamen non ipſi Prælati, Barones, Comites, Milites,
„ Proceres, & Nobiles ejusdem Regni in multitudine tam
„ maxima, quantam præcedentium Regum coronationis
„ tempore in memoria hominum non comprehendit,
„ ad Nos congregati; profitentes, — feſtina guberna-
„ tione carere non poſſe, iteratoque electionem noſtram
„ pretactam uno animo approbantes & confirmantes, —
„ conſequenter alia corona beatiſſimi Regis Stephani,
„ Apoſtoli & Patroni hujus Regni, in theca reliquia-
„ rum capitis ejusdem alta veneratione conſervata, eque
„ egregii operis, & pretioſa, ſolemniter coronari fece-
„ runt, ipſoque ſacro diademate inſigniri. — Datum in
„ Alba Regali, in feſto Beati Elie Profetæ, Anno Mil-
„ leſimo quadringenteſimo quadrageſimo."

Idem Wladislaus electionem & coronationem ſui cum nonnullis præcedentibus, & ſecutis adjunctis in alio quodam Diplomate, Simoni de Rozgon dato, & e MSS. Wagnerianis apud Katona Hiſt. Crit. T. XIII. p. 82. edito narrat ſequentibus.

„ Quum de Regno noſtro Poloniæ per notabi-
„ les Eliſabeth Reginæ, ac Univerſitatis Prælato-
„ rum, Baronum & Nobilium hujus Regni Amba-
„ ſiatores, pleno eorundem mandato ad Nos trans-
„ miſſos ad Regimen hujus Regn. Hungariæ non
„ tam invitati, quam ſolemniter electi, hoc Re-
„ gnum Hungariæ, ipſius electionis jure in ſpe pro-
„ miſſæ pacis invitantium, nullius doloſitatis inſi-
„ dias timentes ingrederemur, medioque tempore
„ per D. Eliſabeth Reginam prædictam hujusmodi
„ *ſpontaneæ ſuæ invitationis, ac electionis de No-*
„ *bis factarum* propoſitum iniquo Conſilio incon-
„ ſtanter immutantem, initis cum nonnullis *per-*
„ *verſis*

„ *verſis Teutonicis*, ac Bohemis damnoſis confoe-
„ derationibus, exquiſita impedimentorum genera
„ contra hujusmodi electionem noſtram, ne eadem
„ efficerentur, fabricarentur, præfatus D. Simon
„ Epiſcopus, non obſtantibus his in ſuæ fidei fixus
„ conſtantia noſtri obviam, dum jam terram Sce-
„ puſienſem attigiſſemus, copioſo familiarium ag-
„ mine conducto adveniens, fideique ſinceritatem
„ primitiali oblatione Nobis demonſtrans, addu-
„ censque illac ad Nos ſui exemplo, & ceteros
„ nonnullos alti ſtatus hujus Regni Barones pariter
„ cum eisdem ab illinc usque Agriam, locum ſci-
„ licet Præſulatus ſui ſecuro itinere Nos conduxit,
„ relictisque Nobis in ſuo caſtro, ibidem habito
„ interim ſolus pariter cum certis fratribus, & gen-
„ tibus ſuis in Civitatem noſtram Budenſem ad præ-
„ parandam viam noſtram, & conſervandam Nobis
„ Civitatem eandem, quæ eo tunc proximis ſibi
„ gentibus Reginæ prædictæ capi timebatur, non
„ ſine perſonæ ſuæ imminenti periculo potenti ad-
„ ventu ingreſſus, ipſam Civitatem tam forti ma-
„ nu præſervavit ab hoſtibus, ut tandem de Agria
„ prædicta, in pace deſiderata, introitum in ean-
„ dem habuimus feliciter adoptatum, advenienti-
„ busque tandem illac ad Nos ſui exemplo pluri-
„ bus dietim ac pluribus hujus Regni Prælatis, Ba-
„ ronibus, Militibus, hujusmodique electionem
„ noſtram, ſicuti per prius fecerunt, ultro confir-
„ mantibus, ac nonnullis etiam ex his, qui in fa-
„ vorem prædictæ Reginæ a fidei ad electionem
„ hujusmodi præſtitæ ſemita deviantes Nobis rebel-
„ lare prætendebant, ſicuti conſilio, ſic non mi-
„ nus comminatione ejusdem Domini Simonis
„ Epiſcopi in noſtræ gratiæ ſinum reductis. - - -
„ Tandemque ſignanter coronationis noſtræ, ut
„ plurimum ſuis laboribus & providentia habitæ
„ tempore noſtro ſemper obſequia grata fidelitate

„ con-

„ continuans - - - - ſe Nobis reddidit valde gra-
„ tum.“

Reliqua narrat Raynoldus de Rozgon in literis, quibus electionem & coronationem Wladislai Regis iterum ſolenniter approbat, eique pro Rege recognito juramentum fidelitatis præſtat, cujus quia rariora adhuc exempla prolata ſunt, Inſtrumentum ipſum e MSS. Cornideſianis a Katona Hiſt. Crit. T. XIII. p. 208. editum huc inſerendum eſſe putavi.

„ Nos Raynaldus, filius condam Joannis de Rozgony, Neogradienſis & Heveſienſis Comitatuum Comes, notum facimus harum tenore univerſis, præſentes literas inſpecturis, quod quamvis ab eo tempore, quo Sereniſſimus ac Excellentiſſimus Princeps & D. D. Wladislaus modernus Hung. & Polon. Rex, Dominus noſter naturaliter gratioſiſſimus, tamquam una cum Magnatum, Procerum, & aliorum Incolarum hujus Regni Hung. voto & deſiderio ad regimen ejusdem Regni pro ipſius defenſione & utilitate vocatus, & conſequenter electus, in idem Regnum ingreſſus eſt, jus ſuum hujusmodi legitimæ electionis vigore proſequuturus, ſemper fere impraetermiſſa fidelitate ſincera Majeſtati Suæ aſſiſtere ſtudui, continueque pluribus meis ſervitiis hujusmodi fidelitatis indicia monſtraverim, ut — de mea fidelitate conſcii certiores impeſterum efficiantur, quod non coactus, nec compulſus, nec aliquo colore circumventus, quin immo bona & ſpontanea mea voluntate in ſignum purioris fidelitatis meæ, hucusque dicto Domino meo gratioſiſſimo Regi obſervatæ, & deinceps obſervandæ recognoſco & fateor publice & manifeſte per hæc ſcripta electionem præattractam de dicto D. Wladislao Rege, quoad hoc Regnum Hung. ac ipſius regimen,

„ pri-

„ primum per ſollemnes Ambaſiatores Regni Hung. ef-
„ ficaciſſime Majeſtati ejus traditum in Civitate Sua
„ Cracovienſi, factam & ſubſequente poſt ipſius in idem
„ Regnum habitum ingreſſum in conventione generali
„ Prælatorum, Baronum, Militum, & Procerum, ac uni-
„ verſitate Nobilium ipſius Regni Hung. Budæ conve-
„ nientium, & unanimi omnium acclamatione, recogni-
„ tioneque præattactæ prioris electionis roboratam, co-
„ ronationemque ejusdem D. Regis ſuccedentibus ex
„ poſt diebus in Civitate Albæregali debita cum ſol-
„ lemnitate & ſolitis ad coronationem talismodi cere-
„ moniis obſervatam, habitam, & conſuetam, legitimas
„ fuiſſe & eſſe, de meaque voluntate ſcitu & deſiderio
„ inter alios hujus regni incolas peractas fore. Quibus
„ omnibus circa talismodi electionem & coronationem
„ ipſius D. Wladislai Regis, & pro eorundem vigore
„ ſub quibuscunque modis, inſcriptionibus & clauſulis
„ habitis, factisque, ac peractis benevolum conſenſum
„ præbeo, easdem electionem, & coronationem, aliaque
„ omnia & ſingula exinde ſequuta efficaciter approbo:
„ præterea quoque; ſicuti hodie, tacto corporaliter vi-
„ vificæ crucis ſigno, & ſacris ſanctorum reliquiis, ju-
„ ravi, ita, & vigore præſentis ſcripti juro coram Deo
„ omnipotente, & ſancta ejus Genitrice Maria, omni-
„ busque Sanctis & electis Dei, pro ampliori ſinceri-
„ tate, & promptitudine, ac ſtudio, quam hucusque, fi-
„ delis ero dicto D. Wladislao Regi & Domino Regni
„ Hung. ſibique fideliter contra omnes ſuos æmulos,
„ rebelles & adverſarios, cujuscumque ſtatus, præe-
„ minentiæ, & conditionis exiſtant, aſſiſtere, & ſervire
„ volo, & neque in quemcunque eventum, ſecluſis
„ quibuscunque allegationibus, a fidelitate ſibi obſer-
„ vanda, diſcedam tamdiu, donec ipſe D. Rex vel ego
„ in humanis agemus; nec minus alium pro hujus Re-
„ gni Rege & Domino ipſo abnegato tenere, nomina-
„ re, aut repræſentare volo; ſed ipſum, ut Dominum
„ meum naturalem & Regem ſemper verebor, & revere-
„ bor,

„ bor, prout fidelem ſubditum ſpectat. Sic me Deus
„ adjuvet, & Sanctiſſima ejusdem Genitrix, peccatorum-
„ que auxiliatrix Maria, omnesque Sancti & Electi Dei,
„ nec non vivificum ſignum ſanctæ Crucis, & S. DEI
„ Evangelia. Quo reſpectu, quicquid in præmiſſorum
„ contrarium per me quocunque ſucceſſivo tempore,
„ verbo vel facto, publice vel occulte, directe vel in-
„ directe, agi contigerit, id totum contra honorem,
„ fidem & juramentum, ac humanitates meas fieri & agi,
„ & nunc profiteor & declaro. Ad quæ omnia ſupe-
„ rius declarata, obſervanda me efficio inviolabiliter
„ obligatum harum noſtrarum, meo ſigillo, meorum ar-
„ morum ſtirpis meæ communitarum teſtimonio me-
„ diante. Datum in deſcenſu meo exercituali Anno
„ Domini M CCCC XLII. “

Aeneas Sylvius a Rozgonio longe diverſæ fuit ſententiæ, ut qui electionem hanc in Epiſtola ceteras inter 81. vehementer improbat, ſed cum in omnibus ſcriptis ſuis, ubi hanc electionem, & Ladislaum Poſthumum attingit, ſuum erga hunc peculiarem affectum prodat, in probris autem erga Wladislaum congerendis intemperantiſſimus ſit, haud mirum eſt, ſi ſe tam ſeverum Gentis Hungaricæ judicem conſtituat.

Anno 1443. geminum, Strigonium nempe & Budam conventum indictum fuiſſe, patet e ſequentibus ejusdem Aeneæ Sylvii literis ad Gaſp. Schlick Friderici Imp. Cancellarium datis per Katona Hiſt. Crit. T. XIII. p. 235. ex Pray Annal. P. III. p. 6. editis:

„ Scripſi dudum tibi, Dietam indictam fuiſſe
„ per Hungaros, ut ambæ partes Budæ conveni-
„ rent, ac de Regni commodo tranſigerent. Quod
„ mihi

„ mihi admodum diſplicebat propter locum, quo „ nihil agi poſſe cernebam, niſi ex arbitrio Regis „ Poloniæ; timebamque noſtrum infantulum jure „ privari ſuo. Sed reſpicit illum Deus: & quia „ humana deſtitutus eſt ope; ex alto reperit au„ xilium. Nondum perdita ſpes eſt; nec tam fe„ lix eſt adverſarius, quam fama prædixit. Quum „ eſſemus nuper in via huc venientes; obvios Ora„ tores Hungaros apud Pruggam habuimus, qui „ usque in Luben Regiam ſequuti ſunt Majeſtatem. „ Hi attulerunt literas ex parte communitatum, „ quas optime noſti; ac ex parte Strigonienſis Ar„ chiepiſcopi, Giscræ & Ladislai Bani. Hi fuerunt „ etiam hoc anno apud Viennam: unus eſt, quem „ Giſcra tunc miſit: alter miſſus fuit per commu„ nitatem Caſſoviæ, quem nomine Philippum di„ cunt. Hi retulerunt, partem Regni, quæ obe„ dit Ladislao, nullatenus conſentire voluiſſe in „ Dieta Budenſi, ſed contenti ſunt omnes, ut duo „ conventus fiant: pars quidem Polonorum Budæ „ conveniat; & pars Ladislai apud Strigonium, „ idque in purificationis feſto proximo. Petunt „ quoque Ladislaitæ, ut Rex ad Strigonium Ora„ tores in præfixa die transmittat; nec velit res „ tantas negligere. Poſtularunt etiam Regem ſuum „ ad contermina Regni deduci, ſicut eis promiſ„ ſum eſſet. Orator Giscræ retulit, dominum „ ſuum, quamvis uxorem alterius haberet, ſtabili „ mente Ladislai partem tueri; nec timere ali„ quem, nec debere illum ſic eſſe uxorium ut „ propter feminam Regem deſerat; ſed viam ſibi „ per hoc patere, qua ſibi attrahat alienos, mulie„ remque viro ſubeſſe, non virum mulieri: & hoc „ conjugium non parum conducere Ladislao. Hoc „ reſponſum eſt Regis: Ladislaum nondum miſ„ ſum: quia ægrotus fuiſſet: ſed mittendum eſſe; „ quamprimum Rex in Auſtriam reverteretur: Ora-

„ tores

„ tores futuros in Dieta ut petitum eſſet, & ſuper
„ hoc Rectoribus Auſtriæ ſcriptum eſt, ut ipſi Ora-
„ tores mittant. Gratiæ actæ ſunt, quod in Bu-
„ denſi Dieta non ſit conſenſus præſtitus; ſcriptum
„ eſt Caſtellano Græcenſi, ut puerum his Oratori-
„ bus oſtendat. Et hoc modo dimiſſi ſunt Hunga-
„ ri Vienna.“

Ex his quidem literis non patet, an Comitia Generalia Regni, an ſolum Conventus ad tractandum de concordia celebrandi fuerint, cum hujusmodi Conventus in Diplomatibus Hungaricis veſtuſtioribus frequentius *Diætæ* nomine appellentur, quam ipſa Comitia; ex narratione tamen Dlugoſſi Lib. XII. fol. 774. quam Kat. Hiſt. Crit. T. XIII. p. 207. refert, in qua aperte dicitur: *tenetur pro feſto Pentecoſtes Budæ Generalis conventio, in qua votis ſingulorum ſcrutatis omnes hujusmodi expeditionem* (contra Turcas) *neceſſariam, & ſalutarem probant*. Manifeſte patet *Diætam* illam *Budenſem, in qua non eſt conſenſus præbitus* fuiſſe Comitia. Cum in his Comitiis, quantum conſtat, de bello Turcis inferendo præciſe actum ſit, partes autem Poſthumi contra Wladislaum adhuc nimium debiles fuerint, videtur Conventus Strigonienſis, qui potiſſimum conciliandæ pacis cauſa indictus, aut propoſitus ſolum fuerat, evanuiſſe, Budenſis autem non ex eo motivo, ſed ut Bellum in Turcas decideretur, coactus & re ipſa celebratus fuiſſe.

Anno

Digitized by Google

Anno 1443. non ſolum Comitia celebrata, ſed etiam Decretum, quod tamen hactenus e tenebris non eſt protractum, conditum fuiſſe, luculente colligitur ex Mandato inquiſitorio Prælatorum, Baronum, Nobilium, & Procerum R. Hung. univerſorum ad Capitulum Vacienſe pro Paulo Præpoſito & Conventu Eccleſiæ de Ságh contra Lad. Sigis. Steph. & Georg. filios Nicolai fil. Blaſii de Gyarmath pro 20. die Epiphaniarum Domini venturo, in quo ſequentia noſtram in rem notabilia occurrunt.

„Prælati, Barones, Nobiles, & Proceres Regni „Hungariæ Univerſi - - Quod Fr. Thomas Monachus „- - - cum procuratoriis literis - - in octavis feſti B. „Jacobi Apoſt. in figura noſtri Judicii comparendo - - „propoſuit - - - quomodo præfati Lad. Sigis. & Steph. „ac Georgius his diſturbiorum temporibus videlicet „*poſt Decretum noſtrum Generale in A. D.* 1443. „*præterito editum*, præfatam Eccleſiam in dicta Ságh „habitam occupando - - - & quod etiam Poſſeſſio„nem ipſorum Palahta vocatam contra Decretum ge„nerale iidem - - - occupaſſent. - - - Quæ ſic facta „fore exhibitionibus quarumdam trium literarum inqui„ſitionalium, unius veſtræ, ac alterius Capituli Stri„gonien. nec non tertiæ V. Comitis & Judlium Comi„tatus Honthen. ſub uno ſenſu, & forma verborum in „diverſis terminis emanatarum Domino Wladislao Re„gi ad ſua literatoria Regia Mandata reſcriptarum de„clarans. - - - Et poſt hæc hujusmodi communis In„quiſitionis ſeriem cum propriis & poſſeſſionum atte„ſtantium nominibus, ut fuerit expediens ad octavas „dicti feſti Epiphaniarum Domini legitime perduran. „nobis ſuo modo reſcribatis. Datum Budæ 72. die ter„mini prænotati. A. D. 1446.

Hoc

Digitized by Google

Hoc Inſtrumentum productum eſt in Proceſſu metali Conventus B. M. V. de Ságh contra complures 1765. coram Tabula Regia moto per Partem A. ſub Lit. U. unde Inſtituto Dipl. Hiſt. obtigit pro Diplomatario Univerſali producto autem exemplari ſubſcriptum fuit:

„Præſentem copiam cum ſuo vero & genuino Ori-
„ ginali collatam, eidemque in omnibus Punctis, Clau-
„ ſulis & Articulis (in quantum tamen legi non po-
„ tuit lineolis tractis) conformem eſſe in fidem ſubſcri-
„ ptus atteſtor. Poſonii die 1. Nov. 1777. L. S. Mar-
„ tinus Lendvay Vice Archivarius Regio-Cameralis.

Et fides hujus viri, quem in vidimandis Inſtrumentis accuratiſſimum eſſe, notorium eſt, & id, quod in hoc Inſtrumento referatur jam ſub Wladislao I. Rege in hoc factum potentiarium Inquiſitiones inſtitutas eſſe, ſatis luculente evincunt, annum 1443. quo Decretum Generale editum eſſe refertur, rite exſcriptum eſſe, ne quis forte 1445. reſcribendum eſſe arbitretur. Evidens igitur Veſtigium iſtud eſt & Comitiorum, & Decreti A. 1443. editi, & quidem Generalis, in quo Articulus de potentiariis poſſeſſionum occupationibus contineri debuerit. Notatu dignum præterea hic eſt, quod Prælati, Barones, Nobiles, & Proceres utantur illa clauſula: *Decretum noſtrum* quin Wladislai Regis mentio injiciatur, quemadmodum & illa: *in figura noſtri Judicii* quæ ſuo loco cum aliis deſerviet ad illuſtrandam Hiſtoriam Comitiorum tempore minorennitatis Ladislai Poſthumi celebratorum, & determi-

terminandum, quando *Prælati, Barones, Nobiles, & Proceres* e Comitiis & quando extra illa e Conſilio vel Judicio cenſendi ſint edidiſſe multas, quæ ſuperſunt literas hoc nomine ſcriptas.

In Collect. Dipl. Sam. Székely T. I. N. 234. apud C. Ignat. de Batthyan Acta poſt Victoriam ad Belgradum referuntur.

Anno 1444. Budæ Comitia celebrata fuiſſe, in Veſtigiis dubie ſolum ex adjunctis conjectabam, cum nullum teſtimonium Diplomaticum habuerim, in quo id diſerte indicaretur. Dlugoſſus, qui horum Comitiorum paulo prolixiorem hiſtoriam contexuit, teſtatur de Wladislao eum hoc anno *Conventum totius Regni Ungariæ pro die S. Georgii Budam inſtituiſſe*, in quo indubie reſciſſa pace vix dum concluſa bellum in Turcas decretum eſt.


In Decreto, ſive Conſtitutionibus Statuum & Ordinum Anno 1445. editis, mox hic proferendis Art. VI. occurrit Clauſula: *a tempore Decreti anno proxime præterito facti*, ex qua ſat aperte colligitur, in Comitiis Anni 1444. Decretum aliquod hactenus a nullo in lucem productum, conditum fuiſſe, & licet id de Judiciis intelligendum eſſe videatur, tamen inde quoque ad Decretum, in quo Judicia celebranda eſſe, ordinatum erat, ut ſoepe alias in Comitiis editum, legitimum duci poteſt argumentum. An autem in Conventu pro die S. Georgii Budam indicto, ibique re ipſa celebrato, vel in poſterioribus aliquibus hoc anno adhuc celebratis Comitiis quorum nullum hactenus habemus, Veſtigium, conditum fuerit, nondum definire poſſumus,

Bayerische Staatsbibliothek München
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google